كتاب

محمد بن كثير الفرغاني

في الحركات السماوية وجوامع علم النجوم
بتفسير الشيخ الفاضل

يعقوب غوليوس

MUHAMMEDIS FIL. KETIRI FERGANENSIS,

Qui vulgo

ALFRAGANVS

dicitur,

ELEMENTA ASTRONOMICA,

Arabicè & Latinè.

Cum Notis ad res exoticas sive Orientales, quæ in iis occurrunt.

Opera

JACOBI GOLII.

AMSTELODAMI,
Apud JOHANNEM JANSONIUM à WAASBERGE,
& Viduam ELIZEI WEYERSTRAET, 1669.

LECTORI BENEVOLO

Typographus Salutem.

Anni jam elapsi sunt bene multi, LECTOR BENEVOLE, *cum celeberrimi ex antiquioribus auctoris* ALFERGANI *Elementis Astronomicis, scripto sane in nobilissimo doctrinæ genere eximio, nec nostræ laudis aut commendationis indigo, ex fonte suo, id est, Arabicâ Linguâ, recognoscendo, & pro quam par erat, annotationibus illustrando, Viri Clarissimi* JACOBI GOLII, *Mathematum & Linguarum Orientalium in inclyta* LEYDA *Batavorum, dum viveret, Prof. Publ. erudita manus sese admovit. Nec immerito gratulari sibi Alferganus poterat, quod post tot secula peregrinis in oris hospes Virum invenisset, quo singulari cultore, vernaculo sermone exciperetur non tantum; sed & fido interprete, communi Eruditorum orbi, sub felici æternitatis omine, novâ industriâ transscriberetur; tam certe, quam* GOLIUS

ipse, oblato, in quo exoticarum eruditionum suarum copiam effunderet, monumentumque exigeret ære perennius, campo uti amplissimo, ita pulcherrimo. Neque, quantum per publicas privatasque occupationes licuit, cœpto operi defuit; id sibi palmarium ducens, ne quid minus elaboratum, aut dignissimo auctore non condignum promeret. Verum enimvero, uti ardua humanæ spei insperato plerumque nec optato casui subjacent; antequam propositam telam pertexere licuerit, invida ecce Parca vitale filum abrumpere properavit; ut sic prius vivendi spatio, quam scribendi negotio finito, imperfectum opus, magno utique cum Reipubl. Literariæ dolore ac desiderio, post se reliquerit. Interim ne ipsæ hæ, suo merito luce dignissimæ lucubrationes indignis mergerentur tenebris, & suo auctori contumularentur, quin potius Viri meritissimi immortalem famam, cum cæteris, quæ publico dedit, assererent, neque adeo literatus orbis tam præclaro nec facilis jacturæ ornamento, funere velut & luctu geminato, privaretur; fieri aliter non decuit, quin ipsi Alfergani operi Golianæ etiam NOTÆ *(sive quam earum Fata indulsere particulam) fidâ manu adjunctæ, publico usui unà communicarentur; vel eâ spe ac voto, si forte quando alter* GOLIUS *exsurgere*

gere in locum, & quod relictum est telæ pertexere inde animari velit. Cæterum quam rerum memorabilium, ac rarioris eruditionis supellectilem Notæ hæ Golianæ suppeditent, jure suo, si absolvi contigisset, pro singulari & absoluto quodam antiquitatum Orientalium, seu Geographiæ historicæ thesauro habendæ, ipse annexus index, quem quâ fieri potuit industriâ, pro ampliori usu concinnandum curavimus, curioso Lectori haud obscure exponet. Quem ne in limine diutius moremur, hisce valere jubentes, auctoris meritissimi, omniumque votis citius erepti memoriam gratâ mente culturum; & hanc, quam publicando operi impendimus operam, solito favore excepturum haud dubitamus.

INDEX
CAPITUM.

INDEX

Index Rerum, quæ Elementis Aſtronomicis Al-fergani continentur.

**

Regio-

L

Regionum & urbium, quæ septem Climatibus comprehensæ, cap. IX. pag. 35.—39. ab Auctore recensentur, series alphabetica; addito subinde climatis numero.

Aca.	3
Adana.	4
Aden.	1
Aderbigiâna.	5
Ægypti pars inferior.	3
Africa.	1.2
propria.	3
Ahvâza. regio.	3
Alanorum regnum.	ult.
Albirôn.	2
Alexandria.	3
Alkyn.	1
Almansôra.	2
Amasia.	6
Amida.	4
Amonia.	4
Anbâr.	3
Andalusia.	5
Ansina.	2
Antiochia.	4
Arabia.	2
Arabiæ penins.	1
Armenia.	5
Arzén.	5
Ascalon.	3
Asna.	2
Asphetira.	1
Assax.	5
Asvân.	2
Bagdâdum.	3
Bahreina.	2
Balchum.	4
Balis.	4
Barbaricum regnum.	1.2
Barca regio.	3
Basra.	3
Béleda.	4
Bérdaa.	5
Buchâra.	4
Burgiâna regio.	6.7. ult.
Cabul regio.	3
Cæsaria.	3
Calicala.	4
Candahâr.	3
Cara.	5
Cárala insula.	1
Carkisia.	4
Carmania regio.	3
Cazarorum regio.	6
Cazvyn.	4
Chalâtum.	5
Chalcedon.	6
Charasâna reg.	6
Chárxena.	5
Chogenda.	4
Chorasâna reg.	4
Chorasânæ borealia.	5
Chovarizma.	5
Cólzuma.	3
Coma.	4
Comus.	4
Constantinopolis.	6
Cûsa.	3
Cûsa.	2
Cyprus insula.	4
Dafar.	1
Daibul.	2
Damascus.	3
Damjâra.	3
Deilem.	4
Dinavenda regio.	4
Dinór.	4
Duncâla.	1
Fergâna.	4
Fustâta.	3
Gaza.	3
Genâsa.	3
Georgiâna.	3
Giaura.	3
Girofta.	3
Giudda.	2
Giurex.	1
Giuzma.	1
Habassinum regnum.	1
Hadramûta.	1
Hager.	2
Halebum.	4
Hamedân.	4
Harrân.	4
Heraclea.	6
Hierosolyma.	3
Higiâza.	2
Hijâr.	3
Himsa.	3
Hira.	4
Hulvân.	4
Hyta.	3
Iagôgû regnû.	5.6.7. ult.
Iátriba.	2
Ichmyn.	2
Jemâma.	2
Jémena regio.	1
India.	3
Indiæ metidionalia.	1
Irâca regio.	3
Isfahân.	4
Isphigiâbum.	5
Istachra.	3
Keiravân.	3
Kenisatossauda.	4
Kinsarina	4
Laodicea.	4
Mahar.	1
Mahrubân.	3

MUHAMMEDIS ALFERGANI
ELEMENTA ASTRONOMICA.

CAPUT I.

De annis Arabum & Barbarorum; de nominibus mensium & dierum; eorumque inter sese discrepantia.

ARabes & Barbari numerant menses anni duodecim. ARABUM quidem menses hi sunt, 1 *Muharram;* 2 *Safer;* 3 *Rabîa prior;* 4 *Rabîa posterior;* 5 *Giumâda prior;* 6 *Giumâda posterior;* 7 *Regeb;* 8 *Xabân;* 9 *Ramedân;* 10 *Xavâl;* 11 *Dulcâda;* 12 *Dulhâgia.* Qui menses constant alternatim diebus tricenis, & undetricenis. ita ut ex iisdem mensibus sex integri sive pleni sint; sex reliqui mutili sive cavi:

annuſque dies obtineat CCCLIV, juxta calculum abſolutum ſive rotundum; qui & vulgatior. Sed juxta ſubtilius ratiocinium, hæc anni Arabici quantitas, per tricenos annos, excreſcit diebus undecim: de quibus anno cuique cedit portio $\frac{1}{5}$ & $\frac{1}{6}$ diei. Atque ita annus præciſe habet dies CCCLIV, cum $\frac{1}{5}$ & $\frac{1}{6}$ diei unius: & annus ille, quo hæc fractio, ſeu hæ partes diem integrum conſtituunt, menſes ſibi vindicat ſeptem plenos, & quinque cavos.

Hic autem numerus diebus menſium congruit, ſubductâ ratione ad Solis & Lunæ congreſſum, juxta medium utriuſque motum. Sed numerus à primo naſcentis Lunæ ſplendore initus, exceſſu vel defectu variat, quo minùs conſequētes menſes alternis ſint pleni & càvi. Non enim ſemper contingit, initium menſis, ratione & calculi & primæ phaſeos, incidere in eundem diem: neq; hoc fit, niſi tractu temporis ambo inter ſe æquentur.

Dies Arabum, quibus dinumerantur menſes, ſunt dies ſeptem: quorum primus eſt dies Solis, initium capiens ab occaſu Solis die Sabbati; finem verò ab ejuſdem occaſu, die Solis. quo modo etiam reliqui ſeſe dies habent. Auſpicantur enim Arabes diem quemque cum ſua nocte, id

eſt

est civilem, ab eo momento, quo Sol occidit: propterea quòd dies cujusq; mensis apud illos ineunt à prima Lunæ visione; ea autem contingit circa occasum Solis. Sed apud Romanos, & alios, qui non instituunt suos menses ad Lunæ phasim, dies nocti præmittitur, & dies quisque civilis incipit ab exortu Solis, & ad exortum ejus sequentem finitur.

Menses verò Syrorum sunt, 1 *Tixryn prior*, constans diebus xxxi. 2 *Tixryn posterior*, dierum xxx. 3 *Canon prior*, dierum xxxi. 4 *Canon posterior*, dierum itidem xxxi. 5 *Xubât*, habens tribus annis dies xxviii; at quarto anno dies xxix: qui annus, ob diei hujus auctarium, embolimæus seu intercalaris dicitur. 6 *Adâr*, continens dies xxxi. 7 *Nisân*, dies xxx. 8 *Eijâr*, dies xxxi. 9 *Hazirân*, dies xxx. 10 *Tamûz*, dies xxxi. 11 *Ab*, dies xxxi. 12 *Eilûl*, dies xxx. Itaque anni dies colliguntur ccclxv; quartusque annus, uno auctus die, præcisè complectitur dies ccclxvi.

Menses Romanorum numero dierum conveniunt cum mensibus Syrorum. Et quidem primus illorum mensis *Januarius*, est horum Canon posterior; ita conveniunt, 2 *Februarius*, & Xubât; 3 *Martius*, & Adâr; 4 *Aprilis*, & Nisân; 5 *Majus*,

 & Eijâr;

& Eijâr; 6 *Iunius*, & Hazirân; 7 *Iulius*, & Tamûz; 8 *Augustus*, & Ab; 9 *September*, & Eilûl; 10 *Octo-ber*, & Tixryn prior; 11 *November*, & Tixryn posterior; 12 *December*, & Canon prior.

Menses PERSARUM hi sunt, 1 *Fervardynma*; cujus prima dies NEURÛZ dicitur. 2 *Ardabehishtma*; 3 *Chordâdma*; 4 *Tyrma*; 5 *Mordâdma*; 6 *Xabryrma*; 7 *Mihrma*; hujus dies XVI MIHRGIÂN dicitur. 8 *Abânma*; cujus dies XXVI primus est illorum decem, qui vocantur FERVARDIGIÂN: ex iis quinque complent mensem; quinque reliqui adjiciuntur extra mensium ordinem, dicti ANDERGIAHÂT. 9 *Adurma*; cujus primus dies celebratur equitatu KEUSEGIS. 10 *Deima*; 11 *Bahmenma*; 12 *Asfendarmedma*. Et quidem singulorum mensium dies sunt numero triginta. Sed inter *Abânma* & *Adurma* inseruntur dies quinque: ita ut conflentur anni dies CCCLXV.

Singulorum autem mensium diebus hæc indita fuere à Persis nomina, 1 *Hormûz*; 2 *Bahmen*; 3 *Ardabehisht*; 4 *Xabryr*; 5 *Asfendarmed*; 6 *Chordâd*; 7 *Mordâd*; 8 *Deibadur*; 9 *Adur*; 10 *Abân*; 11 *Chaur*; 12 *Mâ*; 13 *Tyr*; 14 *Giûs*; 15 *Deibamihr*; 16 *Mihr*; 17 *Surûsh*; 18 *Resh*; 19 *Fervardyn*; 20 *Bahrâm*; 21 *Râm*; 22 *Bâd*; 23 *Deibadyn*; 24 *Dyn*; 25 *Ard*;

26 *Ixtâd*;

26 Ixtâd; *27 Asmân*; *28 Zamiâd*; *29 Marasfend*; *30 Anirân*. Dies verò ANDERGIAHÂT, ſeu appendices ita vocantur: *1 Ahnûdgia*; *2 Axnudgia*; *3 Asfendmedgia*; *4 Ochxutergia*; *5 Vaheshtgla*.

Menſes denique ÆGYPTIORUM hi ſunt: *1 Thoth*; *2 Paophi*; *3 Athyr*; *4 Choiac*; *5 Tybi*; *6 Mechir*; *7 Phamenoth*; *8 Pharmuthi*; *9 Pachon*; *10 Payni*; *11 Epiphi*; *12 Meſori*. Hiſce adjiciuntur quinque dies reſidui, dicti appendices, & Ægyptiis epagomenæ. menſes enim ſinguli conſtant XXX diebus: annus autem comprehendit dies CCCLXV; totidem, quot habet annus Perſarum.

Olim quidem principia horũ menſium reſpondebant initiis menſium Perſicorum: ita ut principium menſis *Thoth* idem eſſet cum initio menſis *Deima*; & porrò menſis quivis alter cum altero: donec anni Ægyptiaci finis conveniret cum fine menſis *Adur*. quod etiam obtinet in tabulis, ad tepmus illud conſtructis. At verò menſes Ægyptiaci, qui apud Ægyptios hodie in uſu ſunt, aliter procedunt; illi enim, imitati Romanos ac Syros, magnitudinem anni augent diei quadrante. Quamobrem etiam illorum menſes Perſicis diſſimiles ſunt: at Romanis atque Syriacis con-

gruunt, in explendo dierum anni numero. Primus autem apud eos anni dies, respondet diei xxix mensis Ab.

Æræ, sive *Epochæ*.

ÆRA Arabum ducitur à principio ejus anni, quo Muhammed, relictâ Meccâ, cõmigravit Medînam: eratq; istius anni initium feria quinta.

Æra Persarum petitur ab initio illius anni, quo imperare cœpit Iezdegirdus, fil. Sjahriâri fil. Cosræ; eratque istius anni principium feria tertia.

Romani, & Syri, æram deducunr ab initio annorum Alexandri, dicti bicornis; qui quidem dies fuit feria secunda.

Ægyptiorum epocha, usurpata in magno Ptolemæi opere, subducitur à principio ejus anni, quo regnare cœpit Nabonassarus: quod incidebat in feriam quartam. at verò æra Ægyptiaca, in Ptolemæi tabulis expressa, procedit ab initio annorum Philippi: qui dies fuit feria prima.

Intervallum inter epocham Nabonassari, & epocham Iezdegirdi, constat annis Persicis 1379, & 3 mensibus.

Epocha Philippi distat ab epocha Iezdegirdi annis 955, & 3 mensibus.

Inter epocham verò Alexandrinam & Iesdegirdicam, sunt anni Romani 942, & 259 dies.

Denique epocha Alhigræ, id est, migrationis Muhammedicæ, ab eadem Iezdegirdis epocha differt diebus 3624.

Harum epocharum omnium prima est epocha Nabonassari; secunda Philippi; tertia Alexandrina; quarta Alhigræ; ultima Iezdegirdica.

Cap. II.

De cœli rotunditate; ejusque, & omnium siderum circulari motu.

Haud controversia inter sapientes est, quin cœlum figurâ sit sphęricâ, & cum omnibus stellis convertatur circulari motu, super duobus polis, fixis ac immotis: quorum alter in plaga boreali consistit, alter in australi.

Hoc autem ex eo demonstratur, quòd stellæ omnes, ab oriente emersæ, paulatim ascendunt, unum servantes tenorem in suis motibus, magnitudinibus, atque intervallis; donec attingant culmen cœli, indeque rursus declives ferantur in occasum, eodem modo & ordine. Quos quidem motus peragere observantur in circulis parallelis, absque ulla discrepantia in velocitate, aut mora:

mora: non secus, ac si ipsæ infixæ sint in superficie alicujus sphæræ, quæ uno motu eas circumagat simul omnes.

Rotunditatis quoq; cœli evidens maximè indicium, firmumque argumentum præbent conversiones illorum siderum, quæ in tractibus borealibus perpetuò supra terram appârent. uti sunt Algiudda, (*quæ est extima in cauda Ursæ minoris;*) Alfarcateín, (*ita appellantur lucidiores duæ stellæ ejusdem asterismi;*) Benât naäx, (*quæ sunt tres stellæ in cauda majoris Ursæ;*) & quæcunque aliæ hisce propinquæ fuerint. Eæ namque stellæ ambiunt circulis æquè ab invicem dissitis: ut quæ vertuntur omnes circa idem punctum. Et quę ex iis puncto huic est vicinior, minorem conficit circulum; motusq; ejus appâret lentior. Quæ verò longius recedit, circulum describit, qui vicinoris circulo major est; & in quo motus cernitur velocior, pro ipsius magnitudine, & distantia ab illo puncto. donec intervallum hoc pertingat ad eas stellas, quæ excipiuntur supter terram. Ita quidem, ut quæ harum propiores sunt eidem puncto, longiorem moram trahant supra terram, antequam occidant; & post occasum, breviori tempore lateant sub terra, antequam ad ortum redeant.

Quæ

Quæ verò longiùs ab eo puncto distant, minori tempore appareant, & majori tempore occultentur. Eâ tamen lege, ut stellarum omnium, quæ occidunt & non occidunt, conversio peragatur eodem tempore, & tali congruentiâ, ut haud quidquam eæ inter sese discrepent, non aliter acsi una sit sphæra, quæ circumvehat simul omnes. Ac proinde necesse est punctum illud esse alterutrum sphæræ polum. Hoc quidem manifestissimum est, quod nos certiores reddit de cœli rotunditate, ejusque circulari motu.

Præterea si cœlum foret planum, ita ut homines quidam ferunt, non sequeretur omnes cœli tractus à nobis æquali abesse intervallo; sed necesse foret, viciniora nobis esse ea cœli loca, quæ capitibus nostris imminerent; remotiora verò, quæ indè vergerent horizontem versus. Atq; ita Sol & Luna cæteræque stellæ circa ortum suum in oriente apparerent exiguæ & obscuræ; propter distantiam à nostro conspectu: deinde magis magisq; viderentur augeri, quo magis accederent ad cœli medium, utpote visui nostro propiores redditæ: hinc descendentes versus occasum, rursus decrescere, & paulatim diminui viderentur; donec obtutum effugientes evanescerent. Quo-

rum quidē omnium observamus nihil: at siderum magnitudines circa ortum suum, medii cœli transitum & occasum eodem sese modo habent.

Quin immo magnitudines eorum in exortu & occasu majores nobis sese exhibent, quàm in medio cœlo. Ita videmus Solem occidentem, quando infima corporis ejus pars attingit horizontem, pedetentim demergi, & velut ab horizonte dissecari: donec suprema quoque ejus pars abscondatur. ita etiam se Luna habet. Non verò propterea nobis major cernitur in oriente, vel occidente, quòd ibidem propiùs à nobis abest, quàm in cœli medio; sed quòd vapores, qui à terra continuò ascendunt, inter visum nostrum & horizontem positi, majorem exhibent. præsertim, cum ii multi & humidi in aëre objiciuntur; quod hyberno tempore, & post pluvias accidit. & tunc quidem Sol & Luna sub ortum & occasum videntur grandiores. Ita si quis rem quampiam collocet in limpidæ aquæ fundo, majorem certè, quàm ea revera sit, conspiciet: & quo spissior aqua, & altior fuerit, eo res in fundo major videbitur. Hæc igitur causa est, quæ stellas, prope horizontem sitas, ampliores reddit.

CAP.

CAP. III.

De figura sphærica terræ & simul aquæ.

HAud secus inter sapientes convenit, terram unà cum aqua globosam esse. Ejus rei indicium faciunt Sol & Luna, stellæque reliquæ: quippe quæ non eodem tempore quibuslibet terræ incolis oriuntur & occidun t. Nam earum ortum plagæ orientales prius intuentur, quàm occidentales; earum itidem occasus ad orientem versus priùs conspicitur, quàm ad occidentem.

Quod quidem appàret manifestiùs ex iis rebus, quæ in sublimi contingunt; siquidem unius ejusdemque rei tempus diversum cernitur. talis est eclipsis Lunæ, quæ si in duobus observetur locis, juxta orientem & occidentem ab invicem dissitis, & deliquii illius momentum in loco orientali incidat, exempli gratiâ, in horam noctis tertiam, idem momentum in occidentaliori loco horam tertiam anteverret; pro ratione distantiæ, quæ inter duo illa loca fuerit. horarum verò in priore loco excessus commonstrat Solem ibi priùs occidisse, quàm in altero.

Similiter quoque, si magnæ alicujus stellæ dis-

cursus, ejusque momentum notetur in duobus locis, ab invicem remotis eo modo, quo diximus, major comperietur horarum numerus in orientali loco, quàm in occidentali. Atq; hæc temporum differentia in toto orbe, orientem versus & occidentem habitato, exactè respondet locorum intervallis.

Idem observabitur in iis locis, quæ distant juxta aquilonem & austrum: nam si quis in terra progrediatur ab austro ad boream, animadvertet ab hac quidem parte sibi stellas quasdam perpetuò apparere, solitas antea occidere; ab illa autem parte, nempe austrina, pari ratione quasdam semper occultari, quæ antea ortæ fuerant.

Quæ quidem demonstrant terræ superficiem orbicularem esse, terramque sphæræ similem. Si autem terra plana foret, haud quidquam eorum contingeret, quæ exposita fuerunt. exorirentur enim sidera uno ubique tempore: neque iter facienti inter septentrionem & austrum, stellarum semper apparentium ulla unquam absconderetur; aut perpetuò latentium aliqua se conspectui offerret.

CAP. IV.

Quòd terra ſphæra ſita eſt in medio ſphæra cœli; quòdque ejus magnitudo ad univerſi cœli complexum puncti inſtar obtinet.

TErram in medio cœli conſiſtere, ex eo ipſo liquet, quod ſuprà retulimus de ſiderum diſtantia, & quomodo cujuſq; ſtellæ moles in omnibus cœli plagis æqualis appâreat. Hoc enim oſtendit, ex omni parte æquari terræ & cœli intervallum, & neceſſariò terram eſſe ſitam medio cœli loco.

Ex evidentioribus ejus rei indiciis hoc eſt, quòd, niſi terra eſſet in medio, ſed ad unam cœli partem propiùs accederet, quàm ad alteram, neceſſe foret eos, qui incolerent montes ejuſmodi loci cœlo vicinioris, nunquam conſpicari aliam cœli partem quàm dimidio minorem: contrarium verò iis accideret, qui in montibus degerent à cœlo remotioribus. At verò hoc ipſum ſenſibus repugnat: ubiq; enim terrarum omnibus ſex apparent cœli ſigna, & totidem occuluntur. Quod etiam argumento eſt terram, propter exiguitatẽ ſuam, puncti inſtar eſſe reſpectu cœli: Si enim terra, ad cœlum collata, inſignem ali-

quam magnitudinem obtineret, nullus eorum, qui in ea degunt, aliam cœli portionem unquam conſpiceret, quàm dimidio minorem.

Quamobrem, cùm terra cœli medium occupet, plana ſuperficies, quæ cœlum bifariam dividit, tranſibit per centrum terræ; utpote quod idem eſt cum centro cœli. cùmq; omnibus è convexo terræ appareat cœli dimidium, abſque ullo ſenſibili diſcrimine, equidem hoc arguit planum illud, quo viſus ſuper terrę gibbo diffunditur uſq; extrema cœli, nullâ ſenſibili quantitate diſſidere ab eo plano, quod per terræ centrum extendi intelligitur: neque ſpatium, quod eſt inter centrum terræ ejuſque ſuperficiem, ullam notabilem habere rationem ad quantitatem cœli: ac proinde univerſum terræ globum inſtar puncti eſſe, ſi comparetur ad globum cœli.

Docebimus quoque poſtea, ubi de magnitudine ſtellarum agemus, ſtellarum fixarum, quæ quidem in cœlo diſtinctè cernuntur, omnium minimam terrâ majorem eſſe: at verò ſtellarum minima in cœlo videtur eſſe puncto ſimilis: unde conſequitur, terræ moli, quam minima ſtella magnitudine vincit, nullam eſſe quantitatem perceptibilem reſpectu cœli.

Conſtat

Constat itaque per ea, quæ diximus, terram in medio universi velut centrum consistere, ab omni parte circumfusam aëre; quem cœlum undiq; globosâ formâ ambit: & magnitudinem terræ, cum cœli magnitudine comparatam, se habere præ exiguitate suâ ad modum puncti in circulo.

CAP. V.

De duobus primariis cœli motibus: quorum alter est motus universalis, ab oriente in occidentem, causa diei & noctis: alter motus stellarum proprius in orbe signifero, ab occidente in orientem.

FOrmâ cœli & terræ ita priùs definitâ, institutum persequamur describendis iis rebus, quæ de primariis cœli motibus apparent. Dico itaque duos in cœlo observari principales motus: quorum primus totum versat cœlum, facitque noctem & diem. is namque circumagit Solem, & Lunam, omnesque stellas reliquas ab oriente in occidentem, unâ quotidie conversione: & quidem uno eodemque modo, & pari celeritate, circa duos polos fixos; qui dicuntur poli primi motus. eorum alter, de quo antè diximus, septentrionem respicit; alter oppositus meridiem.

Necesse

Necesse autem est sidera, hoc motu correpta, in circulis ferri parallelis: quorum maximus est æquator diei, & velut medius cingulus primi motus; sphæram cœli dividens in duas æquales partes, & æquali intervallo remotus ab utroque polo.

Æquator verò diei, sive æquinoctialis dicitur, propterea quòd Sole circulum illum transeunte, dies & nox parem quantitatem obtinent per universam terram; prout in sequentibus exponemus.

Motus autem secundus is est, quo Solem & stellas versari cernimus ab occidente in orientem, in partes primo motui contrarias; & quoque super aliis duobus polis, extra polos motus primi. Circulusque maximus, qui ab utroque hoc polo æqualiter distat, & motus secundi cingulus est, circulus signifer sive zodiacus & ecliptica vocatur.

Is quidem designatur à proprio Solis incessu ab occidente in orientem; & distribuitur in duodecim æquales partes, appellatas signa: quorum hæc sunt nomina; Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Unumquodque autem signum dividitur in triginta gradus; ita quidem,

dem, ut totus circulus ſit graduum CCCLX; & gradus quilibet ſexaginta minutorum.

Quare neceſſe eſt circulus ſignifer æquinoctialem ſecet in duobus punctis oppoſitis: & ab eo in utramque plagam, ſeptentrionem & auſtrum declinet æquali intervallo. ſectionis quidem punctum illud, quo Sol ab auſtriali æquinoctialis parte tranſit ad ſeptentrionalem, punctum dicitur æquinoctii verni; quod eſt ſigni Arietis principium. punctumque alterum, quo Sol à tractu ſeptentrionali tranſit in auſtralem, appellatur punctum æquinoctii autumnalis; quod eſt ſigni Libræ initium. enimvero æquinoctialis circuli reſpectu ſex ſigna dicuntur ſeptentrionalia, nempe, à principio Arietis ad finem Virginis; ſex alia ſigna auſtralia, ſcilicet, à principio Libræ ad finem Piſcium.

Deſcribitur autem in cœlo circulus tertius, in tranſverſum protenſus à ſeptentrione ad meridiem, per polos duorum circulorum præcedentium, qui tranſpolaris circulus atque colurus vocatur; dividens utrumque circulum, æquatorem diei & zodiacum in duas æquales partes.

Unde neceſſariò ſequitur zodiacum à coluro interſecari in duobus punctis, quæ ab æquino-

ctiali versus septentrionem & meridiem plurimũ declinant. Punctum quidem septentrionale dicitur conversionis æstivæ seu solstitii punctum; estque signi Cancri principium. Punctum verò australe nominatur conversionis hybernæ sive brumæ punctum; estque initium signi Capricorni.

Ejusdem autem circuli transpolaris portio, inter utrumq; punctum tropicum & æquinoctialem comprehensa, mensura est declinationis maximæ, quâ zodiacus ab æquinoctiali deflectit. ea quidem, prout Ptolemæus invenit, est partium 23, & minutorum 51; qualium scil. totus circulus est partium 360. at verò juxta dimensionem, quam probatam vocant, quamque piæ memorię Almámon institui jussit, adhibitis ad eam rem viris doctis compluribus, ea declinatio continet gradus 23, & minuta 35.

Ex iis, quæ dicta sunt, jam evidens est, stellas errantes motu proprio ab occasu ferri in ortum, circa zodiaci polos; & simul ipsas cęterasq; stellas omnes motu primo retorqueri ab ortu in occasum. tum quoq; liquet colurum obire & permeare primum mobile: & æquatoris polos, super quibus primus motus peragitur, firmos atque immo-

immotos consistere: signiferi verò polos gyrari motu primo circa polos æquinoctialis, suis tamen locis hærentes in coluro.

CAP. VI.

Describitur habitabilis terræ quadrans; & summatim traditur, qualis accidat in eo cæli conversio, quæque dierum & noctium varietas.

HIsce quidem ita præmissis, quæ de duobus primariis cœli motibus præmitti necesse fuit, instituamus nunc sermonem de terræ habitationibus, quoad exploratum vel auditum nobis fuit; & de summariis motus cœlestis accidentibus, noctisque & diei varietate, quæ iis locis conveniunt.

Cum itaque globi terrestris & cœlestis unum sit commune centrum, necessariò sequitur terræ sphæram ab æquinoctialis plano bisecari in æqualia; eâque sectione in terræ superficie signari orbem, qui æquinoctiali sit parallelus. Is quidem æquator dicitur; terræ superficiem dividens in duas æquales partes; quarum una polo boreo, altera austrino subjicitur.

Constat autem tractum orbis habitabilem, cujus quidem ad nos pervenit notitia, in hemi-

ſphærio contineri boreo; & quicquid primo orientis & extremo occidentis termino interjacet, haud excedere intervallum duodecim horarum æquinoctialium.

Quòd ſi in terræ ſuperficie concipimus circulum maximum, qui æquatorem ad rectos angulos bifariam ſecet per extremas orientis & occidentis habitationes, duò illi circuli terræ ſuperficiem neceſſariò diſtribuent in quatuor quadrantes. & quidem duorum ſeptentrionalium alter complectetur univerſum terræ tractum habitabilem; cujus ab oriente ad occidentem longitudo reſpondeat ſemiſſi diurnæ revolutionis: partis verò in eodem quadrante habitatæ, quoad cognoſcimus, latitudo ab æquatore eò uſque protenditur, ubi polus ſeptentrionalis ſupra horizontem eminet partibus ferè 66.

Hoc autem loco definiendi nobis ſunt circuli duo, horizon & meridianus, cunctis climatibus communes.

Horizon quidem circulus eſt, qui diſtinguit inter partem cœli ſupra nos conſpicuam, & partem cœli ſub terra conditam; polum habens punctum illud, quod capitis vertici inſiſtit. eſtque unus ex maximis circulis, qui cœlum in duas partes

tes æquales dirimunt; propterea quod terra respectu cœli exiguam modò quantitatem obtinet, quæ sensu percipi nequeat.

Meridianus verò circulus est, qui per polos æquinoctialis, & loci punctum verticale describitur; polum habens in communi sectione æquinoctialis & horizontis, dividensque omnia circulorum segmenta, qui æquinoctiali paralleli sunt, & supra & infra terram in binas æquales partes.

Ut autem de terræ habitabilis constitutione generatim constet, faciamus ab æquatore initium, qui ad quadrantis habitabilis australem partem primus est latitudinis terminus. Cum igitur æquinoctialis circulus verticibus omnium, qui ad æquatorem degunt, immineat, necesse est ejus polos ibidem horizontibus incumbere, & cœli conversionem ad eosdem horizontes rectè ferri sine ulla obliquitate. sequitur etiam Solem ibidem deflectere æquali utrinq; à vertice spatio in septentrionē & austrum: ita ut æstas & hyems temperiem inibi majorē obtineant prę cęteris anni partibus. ibidē horizon circulos, æquinoctiali parallelos, omnes in æqualia bina segmenta dividit; quippe qui ibi transit per æquinoctialis polos. ideoque quolibet anni die tempus à Solis &

reliquorum ſiderum exortu uſque ad occaſum, æquale eſt tempori ab eorundem occaſu ad exortum; ita ut ibi nox atque dies perpetuò invicem æquales ſint.

At verò in locis omnibus, quæ ab æquatore ſpectant in boream, æquinoctialis à puncto verticis ſpectat in auſtrum eodem intervallo, quo polus borealis ſupra horizontẽ attollitur. Et circulus, æquinoctiali parallelus, qui tantum à polo diſtat, quantum polus ab horizonte, perpetuò ſupra terram eminet, cum ſtellis omnibus, quas intra ſe complectitur. circulus verò, circa polum auſtralem illi oppoſitus, ſemper deliteſcit cum omnibus, quæ in eo ſtellæ exiſtunt. Horizon autem ſolum ex omnibus parallelis æquinoctialem æqualiter bipartitur; ſed inæqualiter parallelos quoſq; reliquos. & eorum quidem circulorum, qui æquinoctiali ad ſeptentrionem ſunt paralleli, ſegmenta, ſupra terram extantia, majora ſunt ſubter latentibus. & è contra parallelorum auſtralium ſegmenta ſupera ſunt minora inferis. quoniam enim polus ſeptentrionalis elevatur & auſtralis deprimitur, circuli quoque ſeptentrionales aſſurgunt, & eminet cujuſque pars ſemiſſe major: circuli verò auſtrales ſubſidunt, &

cujuſque

cujusque pars ſemiſſe major ſub terra conditur. Quanto autem magis polus boreus in climatibus attollitur, tanto quoque magis hæc ſegmentorum differentia augetur; magiſq; variant dies æſtivi & hyberni. In uno etiam eodemque climate, quanto magis parallelus quiſque ab æquinoctiali ad polum vergit, tanto quoque majore exceſſu ejuſdem paralleli ſegmentum majus à minore differt.

Ex iis igitur, quæ jam expoſita, conſequitur, ut quando Sol occupat puncta æquinoctialia, quę ſunt principium Arietis & principium Librę, dies ubique terrarum æquetur nocti: quia Sol tunc per æquinoctialem fertur, quem nullus non horizon in partes duas æquales ſecat. At verſante Sole in ſignis boreis, neceſſe eſt dies excedat noctem, quantoque magis Sol in boream tendit, tanto hunc exceſſum majorem efficiat: donec ab æquinoctiali ſummam tandem attingat diſtantiam, quæ eſt ad Cancri principium. tunc enim dies maxima, nox minima exiſtit. Quamdiu verò Sol ſigna auſtralia permeat, contrario, quam dixi, modo ſe res habet: dies cedunt noctibus, decremento uſq; continuato; donec Sol obtineat initiũ Capricorni. tunc enim dies eſt breviſſimus, nox

verò

verò longiſſima. quoniam in binis quibuſq; parallelis, perçquè ab æquinoctiali remotis in partes oppoſitas, ſegmentū unius, ſupra terram extans, æquale eſt ſegmento alterius, ſub terra condito: adeò ut dies unius noctem æquet alterius, nox unius alterius diem. ac proinde dies maximus, cum Sol ingreditur Cancrum, maximæ nocti, cùm tenet principium Capricorni, neceſſariò æqualis redditur, & contra ſolſtitii nox diei brumę. Et hæc quidem earum rerum ſumma eſt, quæ univerſis terræ habitationibus accidunt.

CAP. VII.

De partium habitati orbis proprietatibus. deque locis illis, in quibus Sol exortus aliquot menſibus non occidit, ſimiliterq; poſt occaſum non oritur.

NUnc verò enarremus, quid locis illis proprium ſit, quæ inter æquatorem & extremum quadrantis habitabilis terminum incoluntur. In illis habitationibus, ubi altitudo poli minor eſt maximâ zodiaci declinatione, Sol quovis anno bis tranſit punctum, vertici capitis oppoſitum: quippe quod ab æquinoctiali minus diſtat, quam indè declinat principium Cancri. ideoque ab hoc principio utrinque locus eſt,

cujus

cujus declinatio elevationi poli æquatur. quando Sol alterutrum horum locorum occupat, tunc per punctum verticale tranſit. quamdiu verò Sol in parte ſeptentrionali verſatur, inter duo illa zodiaci loca, verticem tranſgreditur ſeptentrionem verſùs. Ubi poli elevatio æqualis eſt zodiaci obliquitati, ſeu declinationi maximæ, ibi Sol contingit verticem quotannis tantùm ſemel, cùm tenet principium Cancri.

In cæteris locis, ubi altitudo poli maximam zodiaci declinationem excedit, Sol punctum verticale nunquam attingit: ſed perpetuò commoratur in ea parte, quæ indè ſpectat in meridiem. Et, quanto polus magis attollitur, tanto magis Sol in meridiem deflectit; ortuſq; ſolſtitialis longius abeſt ab ortu brumali, & dies ſolſtitii diem brumæ majore exceſſu vincit: donec perveniatur ad ea loca, ubi polus ſupra horizontem tantum eminet, quantum ab ipſo polo abeſt Cancri principium; quod intervallum continet partes 66 cum $\frac{1}{4}$ & $\frac{1}{6}$ partis unius. ibi enim & vertex & polus zodiaci à polo æquinoctialis æqualiter diſſident. Quare etiam zodiaci polus converſione diurnâ fertur per punctum verticis, & tropicus æſtivus totus ſemper extat ſupra horizontē; tropicus verò

D hyber-

hybernus ſemper ſub horizonte latet. Quamobrem Sole tenente primum Cancri gradum, conſtabit dies 24 horis: & exiſtente Sole in principio Capricorni, nox totidem durabit horas, nullâ interlucente die. Iiſdem in locis contingit, quando zodiaci polus occurrit vertici, zodiacum congruere cum horizonte. ita ut principium Arietis conſiſtat in ortu, principium Libræ in occaſu; & initium Cancri in puncto horizontis boreo; initium Capricorni in auſtrino. Sed quamprimùm polus zodiaci à vertice recedit, hoc ipſo circulo & horizonte invicem per medium ſecantibus, ortivus zodiaci ſemicirculus elevatur, occiduus deprimitur. ac proinde unico momento ſex ſimul oriuntur ſigna, quæ ſunt à principio Capricorni ad finem Geminorum; eodemq; modo ſex ſigna reliqua ſimul occidunt.

Quod ſi quis noſſe deſiderat conſtitutionem ejus tractus, qui, hiſce locis ſuccedens, reliquum quadrantis terreni explet, ejuſmodi quidem locis proprium eſt, ut, ubicunque poli altitudo ſupra horizontem major eſt tropici æſtivi ab ipſo polo diſtantiâ, ibi portio illa zodiaci, cujus utrinque à principio Cancri verſus boream ab æquinoctiali deflexus major eſt, quam poli à vertice diſtantia,

perpetuò

perpetuò ſupra terram appareat: ſimiliterq́; portio, circa Capricornum oppoſita, ſemper latitet. Quam ob cauſam fit, ut totum æſtatis intervallum, quamdiu Sol proprio ſuo motu partes zodiaci, ſemper conſpicuas, percurrit, unus tantùm continuus ſit dies; & æquale hyemis ſpatium una tantùm continua nox ſit. Ubi quidem poli elevatio eſt 67$\frac{1}{4}$ partium, ibi zodiaci portio, inter medium Geminorum & medium Cancri interjecta, ſemper eminet ſupra horizontem; portio verò, quæ eſt à medio Sagittarii ad medium Capricorni, ſemper ſub horizonte occulitur. Quare ibidem æſtate ad menſem integrum continuus eſt dies, ſine ulla nocte; & hyemis totus aliquis menſis unica nox eſt, diei expers: anni verò menſes reliqui habent quoſlibet dies cum ſuis noctibus horarum 24.

Cùm polus eminet gradibus 69 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$, tunc duorum ſignorum ſpatium, ſcil. Geminorum & Cancri, perpetuò appâret: & duorum, ſcil. Sagittarii & Capricorni ſpatium ſemper occultatur. Ac proinde ibidẽ æſtate duo menſes continuum efficiunt diem: hyeme verò menſes duo continuam faciunt noctem.

Ubi polus attollitur 73. gradibus & ſemiſſe, ibi

quicquid eſt à medio Tauri uſque medium Leonis, nunquam occidit; neque de partibus oppoſitis quicquam oritur. Quapropter tribus æſtatis menſibus, continuus ibi dies; & totidem menſibus hyemis, continua ibi nox eſt.

Si autem poli altitudo partium fuerit 78½, ſigna Tauri, Geminorum, Cancri, & Leonis ſemper exiſtunt ſupra horizontem; & oppoſita ſemper ſub eo latent. Ideoque quatuor æſtivis menſibus tantùm dies eſt ſine ulla nocte, quatuorque hybernis ſine ulla die nox eſt.

Ubi poli elevatio eſt 84 graduum, ibi totus tractus, inter medium Arietis, mediumque Virginis interceptus, ſemper eſt conſpicuus; & ſigna oppoſita perpetuò occultantur. Adeò ut æſtate, toto quinq; menſium ſpatio, dies ibi continuetur, noctis expers; & hyeme, totidem menſibus, nox continuetur, ſine die.

In commemoratis hiſce locis ob diurnam zodiaci converſionem accidit, ut, quando ejus polus meridianum verſùs auſtrum ſecat, principium Arietis exiſtat in ortu, principium verò Libræ in occaſu; utque ſigna ſeptentrionalia terræ immineant, meridionalia ſubter lateant: & ſignorum, ſupra terram extantium, ordo ab oriente verſùs occiden-

occidentem tunc aliter ſe habeat, quàm quidem in locis habitatis appâret. Nam quicunque zodiaci gradus, inter Capricornum & Cancrum medii, ibidem oriuntur, inverſo modo emergunt; nempe Taurus ante Arietem, & Aries ante Piſces, & hi ante Aquarium: atque ita etiam ſigna oppoſita ordine inverſo occidunt.

Unus denique locus reſtat, ubi polus, 90 partibus ſupra horizontem eminens, incumbit vertici. Ibi quidem æquinoctialis horizonti ſemper congruit; cœlumque molæ truſatilis inſtar in gyrum vertitur, horizonti reſpondentem. & cœli hæmiſphærium, quod ab æquinoctiali in ſeptentrionem vergit, ſupra terram perpetuò patet; auſtrale autem ſub terra ſemper conditur. Eapropter Sol, quoad verſatur in ſignis borealibus, extare conſpicitur, horizontem ambiens; ejuſque ſumma altitudo, ad quam ab horizonte pertingit, æqualis eſt declinationi maximæ, quâ ab æquinoctiali deflectit. Quamdiu verò ſigna tenet meridionalia, perpetuò deliteſcit. adeò quidem, ut totus ibidem annus unicus modò ſit dies; cujus pars altera continuâ ſex menſium luce, pars altera nocte æquali conſtat.

CAP. VIII.

De Terræ dimensione & habitabilium septem climatum divisione.

TErræ habitabilis situ exposito, declaranda nobis totius superficiei terrestris dimensio; climatumque omnium, quæ ibidem incoluntur, describendus habitus, juxta longitudines suas & latitudines: quarum mensurâ ipsa dividuntur; respectu habito ad orbem cœlestem, & superficiei terrestris expansum.

Cùm itaque manifestum sit ex iis, quæ antea dicta sunt, terræ centrum idem esse cum centro ipsius cœli, sequitur terræ quoq; orbem respondere & parallelum esse orbi cœlesti. ita ut nobis inter septentrionem & austrum, juxta meridianam lineam, procedentibus augeatur & minuatur borealis poli elevatio, pro quantitate itineris terra in confecti.

Eâ quidem ratione deprehendimus, unius gradus cœlestis intervallo respondere, in circuitu terræ, milliaria 56 cum besse; quorum singula contineant cubitorum, quos regios vocant, quatuor millia. sicuti tempore Almamonis glor. mem. compertum fuit, pluribus viris doctis ad eandem dimensionem adhibitis.

Hâc

Hâc verò unius gradus quantitate ductâ in circuli circumferentiam, quæ eſt ejuſmodi partium 360, conficietur terræ ambitus: eruntque milliarium 20 millia cum quadringentis.

Quod ſi totus ille ambitus dividatur per $3\frac{1}{7}$, dabit quotus terræ diametrum, nempe 6 millium & ferè quingentorum milliarium.

Si verò diametrum duxeris in circumferentiam, producetur totius ſuperficiei terreſtris area; comprehendens 132 millena millia, & ferè 600 millia milliarium quadratorum.

Totuſque terræ habitatæ quadrans ſuperficie ſuâ continebit eorundem milliarium 33 millena millia & 150 millia.

Indè quoque cognoſcemus ſpatii illius latitudinem, quod in hoc quadrante habitari, perferente ad nos famâ, accepimus. ſcilicet ab æquatore ad ea uſque loca, ubi polus tantum ſupra horizontem eminet, quantum ab eodem polo diſtat primum Cancri punctum, hoc eſt, partibus 66, partiſque $\frac{1}{4}$ & $\frac{1}{2}$. atque ita huic ipſi latitudini cedent 3764 milliar.

Quod ad longitudinem attinet, ea tanto intervallo extenditur, quantum horis duodecim orbis cœleſtis percurrit, ad æquatorem quidem dimidiæ

dimidiæ æquatoris circumferentiæ æquatur, quæ est decies mille & ducentorum milliarium. at ipsa minor est circa boream, propter arctatas ibi sphæræ partes; ejusq; quantitas accedit ad quintam modò circumferentiæ partem, continens quater mille & octoginta milliaria.

Solent autem habitabilis quadrantis hujus cultiora loca distribui in septem climata. Quorum primi quidem pars media eas regiones transit, ubi maximi diei spatium est horarum tredecim; septimi verò medium, ubi diei maximi longitudo est horarum sexdecim.

Tractus autem, qui meridiem versus patet ultra primi climatis initium, mari cingitur; neque multâ habitatione constat. & qui in boream excurrit, supra climatis septimi extrema, paucas etiam nobis cognitas civitates habet.

Climatum quidem simul omnium longitudo, ab oriente in occidentem exporrecta, definitur spatio duodecim horarum æquinoctialium. At verò eorundem latitudines discrimine manifesto differunt, scil. dimidiâ longissimæ diei horâ.

Itaque primi climatis medium per ea loca porrigitur, ubi quantitas diei maximæ est 13 horarum; & polus supra horizontem elevatur 16 partibus

tibus & $\frac{2}{3}$ partis unius. Principium verò eſt, ubi maxima dies continet horas 12 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$. Finis denique, ubi dies longiſſima conſtat horis $13\frac{1}{4}$; & polus attollitur partibus $20\frac{1}{2}$. idque totius climatis intervallum eſt milliarium 440.

Climatis ſecundi medium exiſtit, ubi dies maximus conſtat horis $13\frac{1}{2}$; poliq; altitudo partibus 24, partiſque $\frac{1}{10}$. Patet autem climatis hujus latitudo à termino primi climatis ad eum locum, ubi dies longiſſimus continet horas 13 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$ hora unius; polique elevatio partes habet $27\frac{1}{2}$. quod quidem ſpatium eſt 400 milliarium.

Tertii climatis medium eſt, ubi dies maximus horas complectitur 14; & poli elevatio partes 30 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{5}$. Latitudo à fine ſecundi climatis ad eum pertingit locum, ubi dies maximus habet $14\frac{1}{2}$ horas; & poli altitudo $33\frac{2}{3}$ partes. quod intervallum eſt 350 milliarium.

In medio quarti climatis longiſſimus dies facit horas 14 cum $\frac{1}{2}$; & poli elevatio 36 partes cum $\frac{2}{5}$. Ipſius autem latitudo à tertii climatis termino extenditur eò uſque, donec dies maximus obtinuerit horas 14 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$; & altitudo poli partes 39. ejuſque latitudinis dimenſio eſt 300 milliarium.

Climatis quinti medium constituitur eo loco, ubi dies maximus est horarum 15; & poli elevatio partium $41\frac{1}{3}$. Latitudo verò est à fine climatis quarti ad eum locum, ubi dies maximus est horarum $15\frac{1}{4}$; & altitudo poli partium $43\frac{1}{2}$. quòd quidem spatium est milliarium 255.

Sexti climatis medietas transit ea loca, in quibus dies maximus comprehendit 15 horas cum semisse; & altitudo poli 45 partes cum $\frac{2}{3}$. Latitudo autem à quinti climatis fine eò excurrit, ubi dies maximus comprehendit 15 horas cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$, & altitudo poli 47 partes cum $\frac{1}{4}$. protenditur ergo ad 210 milliaria.

Septimi deniq; climatis medium est, ubi longitudo diei maximę æquatur horis 16; & poli elevatio partibus 48, ac præterea partis unius $\frac{2}{3}$ & $\frac{1}{4}$. Ejus latitudo à fine sexti climatis eò pertingit, ubi dies longissimus est horarum $16\frac{1}{4}$, & poli altitudo partium $50\frac{1}{2}$. ideòque ea ipsa latitudo constat 185 milliaribus.

Differentia igitur inter initium primi & finem ultimi climatis est horarum $3\frac{1}{2}$; atque elevationum differentia 38 partium. Universæ autem latitudinis intervallo cedunt de terræ circuitu milliaria 2140.

CAP.

CAP. IX.

Traduntur regionum & urbium celebriorum nomina, quas ſingula orbis climata comprehendunt.

NUnc recenſenda nobis locorum & urbium nomina, quæ in quoque climate celebres exiſtunt. initium autem faciemus ab orientali orbis parte; explicantes priùs, quid locorum longitudo & latitudo notent. Dico igitur urbis cujuſq; longitudinem eſſe diſtantiam ejus à primo quadrantis habitabilis termino, prout orientem reſpicit vel occidentem. ejus quidem menſura eſt æquatoris ſpatium, quod inter utrumq; & urbis & principii illius meridianum intercipitur. Latitudo autem eſt urbis ab æquatore diſtantia; & definitur, ſuâ velut menſurâ, ipsâ poli ſupra horizontem altitudine.

Primum quidem clima incipit ab oriente, ſcil. Sinenſis regni extremis;& protenditur per auſtrales ejus partes. Hîc ſita Sinarum urbs regia; & Aſphetîra, ubi ſuus illis portus eſt. Hinc tendit per maris littora, Indiæ atq; Sindiæ meridionalia. tunc in ipſo mari inſulam tranſit Cáralam, & ultra mare peninſulam Arabum, ſcilicet regionem ejus Jémenam. ibi urbes claræ Dafar, Omân, Ha-

dramûta, Aden, Sánaa, Alkyn, Mara, Tebâla, Giurex, Mahar, Saba. Ac poſtquam mare Rubrum tranſiit, regnum Habaſſinum interſecat, & Nilum Ægypti. in hoc climate regni Habaſſini metropolis, quæ Giuzma dicitur, & urbs Nubiæ Duncâla. Deinde porrigitur per Africam, nimirum regni Barbarici auſtralia: donec terminetur ad mare heſperium.

Clima ſecundum, ſumpto etiam ab oriente initio, tranſit per Sinas: tum per Sindiam, ubi civitas Almanſôra, Albirón & Daibul. Deinde, ſuperato maris Perſici & Baſrenſis concurſu, pervadit per Arabiam, ſc. regionem Negdam & Tehâmam. in hoc climate ibi extant inter cæteras urbes Jemâma, Bahreina, Hager, Iátriba, Higiâza, Mecca, Tháïfa, Giudda. Hinc, ſecto mari Rubro, per Säîdam Ægypti ac Nilum tranſit. ibi inter alias urbs Cûſa, Ichmyn, Aſna, 'Anſina, & Aſvân. Deniq; procedit per medium Africæ propriè dictæ, & per Barbarorum terram, uſque ad mare heſperium.

Tertium clima ab oriente exporrigitur per borealem Sinarum tractum: tum per Indiam, ubi eſt urbs Candahâr. Succedunt borealia Sindiæ, regio Cabul, Carmania, Alexandria, Segiſtân, Muhamme-

Muhammedia, Girofta, Sirgiân. maris Basrensis littora. Ibi inter urbes cæteras Istachra, Giaura, Phasa, Sabûra, Xirâs, Sirâpha, Sinys, Genâsa, Mahrubân. Deinde transit per regiones Ahvâzæ & Irâcæ. ubi inter alias hæ sitæ sunt urbes, Basra, Vásitha, Bagdâdum, Cûfa, Anbâr, Hyta. Posthæc per Syriã extenditur. ibiq; urbes sub hoc climate Hijâr, Salamia, Himsa, Damascus, Tyrus, Aca, Tiberias, Cæsaria, Orsûfa, Hierosolyma, Rama, Ascalon, Gaza, Medjan, Cólzuma. Tunc interſecat quoque inferiorem Ægypti partem. ubi Pharma, Tanis, Damjâta, Fustâta, (quæ Ægypti caput;) Phejûma, Alexandria. Denique tendit per Barcam; Africamq; propriam, in qua oppidum Keiravân: donec terminetur mari hesperio.

Quartum clima, ab oriente inchoatũ, producitur per Tebetarũ regnum; tum per Chorasânã: ubi inter urbes cæteras extant Chogenda, Osrúxena, Fergâna, Samarcanda, Balchum, Buchâra, Hira, Ommavia, Marvarûda, Mera, Sirchas, Thûsa, Nisabór, Georgiâna, Comus, Tabristâna, Dinavẽda, Cazvyn, Deilem, Ræa, Isfahân, Coma, Hamedân, Nihavenda, Dinór, Hulvân, Xahrezór, Sermenrea, Mausel, Béleda, Nasibyn, Amida, Raso-llaina, Calícala, Simxât, Harrân, Racca, Carkisia. Deinde

de ſeptentrionalem Syriæ partem interſecat. ibi inter urbes alias Balis, Menbigium, Samoſata, Malathia, Zantara, Halebum, Kinſarîna, Antiochia, Tripolis, Miſsîſa, Sidon, Keniſato-ſſauda, Adana, Tarſus, Amonia, Laodicea. Porrò maris Mediterranei inſulas Cyprum & Rhodum tranſit: & denique in Mauritania regionem Tingitanam, uſque finem ſuum; nempe mare heſperium.

Clima quintum, ab oriente deductum, ſc. Iagôgum regno, tendit per borealia regionis Chorasânæ. Ibiq; inter alias urbes continetur Tirâs emporium, Navakîta, Chovarizma, Iſphigiâbum, Aſlax, Tiranirenda, Aderbigiâna; oppida Armeniæ, Bérdaa, Nexva, Arzén, Chalâtum. Deinde intra Romanorum fines excurrit per Chárxenam, Caram, & magnam Romam. tum per borealia mediterranei maris littora; & tandem per Andaluſiam: donec deſinat ad mare heſperium.

Clima ſextum quoque ab oriente per Iagôges porrigitur: tum per Cházaros, & medium mare Caſpium tranſit, uſq; Romanorum ditionem. & ſecat Charasânam, Amaſiam, Heracleam, Chalcedonem, Conſtantinopolim, tractus Burgiânæ. & tandem finitur ad mare heſperium.

Septimum denique clima ab oriente itidem, ſc. bo-

ſc. boreali Iagôgum regione exorſum, protenditur per Turcarum terras; borealia Caſpii maris littora, tum per mare Euxinum, & paludem Mæotidem; porrò per regiones Burgiânæ atque Sclavoniæ. terminatur item mari heſperio.

Reliquum verò habitati tractus, quod quidem cognovimus ultra hæc climata proferri, initium quoque capit ab oriente, ſcil. Iagôgum regno. Dehinc Tagárgarum, Turcarum, Tatarorum, & Alanorum regna ſecat. Deinde per Burgiânam & Sclavoniam tendit. tandemq; à mari heſperio finem habet.

CAP. X.

De aſcenſionibus ſignorum; earumque in ſphæris rectis & obliquis varietate.

POſt ea, quæ ſuprà dicta fuerunt, deſcribendæ nobis ſignorum in utraq; ſphæra, tum recta, tum obliqua aſcenſiones. itaque principio notandum, ſphæras rectas intelligi, cùm circuli finitores tranſeunt per utrumque æquinoctialis polum; quales quidem contingunt locis omnibus, quæ ſub æquatore exiſtunt: ſuntq; hi ipſi circuli etiam climatum meridiani. Sphæras autem obliquas conſtituunt horizontes climatum,

qui

qui nullâ sui parte polum æquinoctialis transeunt.

Cùm zodiacus ab ortu convertatur in occasum, & quidem circa æquinoctialis polos, necesse est æquales ejusdem zodiaci portiones in sphæra recta & obliqua temporibus inæqualibus emergere. Horum enim æquabilitas desumitur à conversione æquinoctialis, quæ fit super propriis ejus polis, & motus est ipsius universi. Eaque moti æquinoctialis tempora, quæ signis in quaque sphæra orientibus respondent, signorum coortus & ascensiones indigitantur. etenim ipsa sunt arcuum zodiaci mensura, qui unà cum illis in sphæra ascendunt.

In recta quidem Sphæra quadrantes zodiaci ascensiones habent sibi æquales; quadrantes, inquam, principiis quatuor signorum, Arietis, Cancri, Libræ & Capricorni interjecti. Eorundem autẽ quadrantium partes, ascensiones habent sibi inæquales: adeò ut bini tantùm arcus, ab horum IV. punctorum quolibet utrinque æquales, sicuti ab æquinoctiali æqualiter declinant; ita etiam in sphæra recta ascensiones obtineant invicem æquales.

In sphæris obliquis duo tantùm semicirculi, qui

qui punctis æquinoctialibus interjacent, suis ascensionibus æquantur. & bini tantùm zodiaci arcus, qui ab eodem æquinoctiali puncto utrinque sunt æquales, habent ascensiones suas invicem æquales.

At bini quique zodiaci arcus, ab eodem puncto tropico utrinq; æquales, ascendunt inæqualiter; & quidem ascensio unius, qui signo Arietis propior, in sphæra obliqua tanto minor est, quàm in recta; quanto ascensio arcus alterius, qui signo Libræ propior, in eadem sphæra obliqua major est, quàm in recta.

Eapropter bini quiq; zodiaci arcus, ab eodem puncto tropicò utrinque æquales, ascensiones suas in sphæra obliqua, simul conjunctas; faciunt æquales cõjunctis ascensionibus in sphæra recta.

Atq; etiam bina quævis signa opposita ascensiones obliquas, simul sumptas, obtinent æquales simul sumptis ascensionibus rectis.

Utique si bina quæque signa, quorum unum à principio Arietis vel Libræ, alterum, illi oppositum, à principio Cancri vel Capricorni æqualiter removentur, ascensiones sibi vendicant invicem æquales.

Similiter, quoniam oriente zodiaci segmento

aliquo oppositum occidit, etiam tempus, quo signum quodque adscendit, æquatur tempori, quo oppositum signum descendit.

Et in sphæris rectis, quales sunt tractus sub æquatore siti, signi cujusq; ascensio signi oppositi ascensionem æquat. ideoq; signorum coortus & cooccasus, seu ascensiones & descensiones ibidem sunt æquales. At in sphæris obliquis, quales climatum tractus sunt, quia signi cujuslibet ascensio discrepat ab ascensione signi oppositi, signorum ascensiones & descensiones quoq; differre necesse est: ita tamen, ut ambæ, simul sumptæ, æquentur duplo ascensionis rectæ.

CAP. XI.

De quantitate temporis diurni, & nocturni: & horarum æqualium atque inæqualium differentia.

NUnc autem diei & noctis dimensionem exponamus, & horarum diversitatem. Ac primum quidem declarabimus, quæ sit diei cujusq; cum sua nocte, sive nychthemeri quantitas. Hanc itaque esse dico conversionem mundi, factam ab uno Solis ortu ad alterum subsequentem.

Cùm verò Sol, per zodiacum incedens adversâ in orientem viâ, nychthemero quolibet disparem faciat

faciat progressum, unius quasi gradus & diversæ ascensionis pro diverso horizonte; tempus, inter binos Solis ortus proximos elapsum, conversionis mundanæ periodum excedit spatio istius progressus.

Unde manifestum est cujuslibet nycthemeri quantitatem constare 360 gradibus, & simul ascensione spatii, quo Sol die illâ & nocte processit.

At quia ascensiones obliquæ variant bifariam, tum propter differentes zodiaci partes, tum propter differentes climatum horizontes, rectarum verò ascensionum variatio simplex est, & loci cujusq; meridianus velut horizon est sphæræ rectæ; propterea astronomi inire solent nycthemeri mensuram à meridie ad meridiem subsequentem.

Conversionis mundanæ quantitas, factæ ab ortu Solis ad occasum, arcus diurnus dicitur; estque ille, quem Sol delineat suo ab oriente in occidentem motu, æquinoctiali quàm proximè parallelum. ita quoque conversionis, factæ ab occasu in ortum, quantitas vocatur arcus nocturnus.

Distribuitur autem nycthemeron quodlibet in 24 horas. quarum singulæ sunt graduum 15

& particulæ cujuſdam munitiſſimæ converſio. Atque hæ quidem horæ appellantur æquales; quia earum intervalla neutiquam differunt. Et ſi arcus diurni quantitas dividatur per 15, invenietur numerus horarum æqualium, quo dies illa conſtat. Si quoque dividatur in 15 arcus nocturnus, orietur horarum æqualium numerus, qui cedit nocti: eſtque hic ipſe numerus, qui horis diei deficit ad explendas horas 24.

Horæ temporariæ ſive inæquales dicuntur, quando, æſtate & ſimul hyeme, tum dies, tum nox quælibet diſtribuitur in horas 12. quæ quidem horæ quantitatem variant, pro diei ipſius & noctis ſpatio protracto vel contracto.

Ideoque cùm dies nocte major eſt, horæ quoq; diurnæ majores ſunt nocturnis. Similiter, cùm dies brevior, & horæ ejus breviores ſunt. Et quidem, ſi arcus diurnus dividatur per 12, dabitur converſionis mundanæ portio, quæ horæ cuique reſpondet: atque hæc appellantur horarum tempora. Ita etiam, arcu nocturno in 12 diviſo, horarum nocturnarum tempora provenient; eruntque ipſa temporibus horarum diurnarum complemento ad 30 gradus.

Perſpicuum itaque eſt, eas horas dici æquales, quarum

quarum quidem numerus pro diei longitudine vel brevitate major vel minor eſt; tempora verò manent æqualia. horas autem temporarias vel inæquales dici, quarum tempora ſunt inæqualia; at numerus ſemper æqualis eſt.

CAP. XII.

Deſcribuntur orbium ſtelliferorum figura ac compoſitio, & diſtantiarum à terra ordines.

POſtquam ſuperiore tractatione, quam præmitti oportebat, diximus de climatum partibus; & quæ in iis diei & noctis varietas, quæque res cæteræ conſequentes accidunt, ſermonem nunc inſtituamus de ſtellis fixis & errantibus. Primùm autem referemus orbium, eas continentium, formam & ordinem; ſequuturi in eo ſapientiorum, qui ante nos fuerunt, ſententiam & conſenſum.

Dico igitur orbes, qui ſtellarum omnes motus complectantur, numero eſſe octo: quorum quidem ſeptem conveniunt ſtellis ſeptem errantibus; octavus verò, qui ſupremus, univerſis ſtellis fixis: idem cum orbe ſignifero.

Sunt autem orbes hi figurâ ſphæris ſimiles: quarum aliæ alias includunt. earum minima, quę

terræ proxima, Lunæ eſt; ſecunda Mercurii; tertia Veneris; quarta Solis; quinta Martis; ſexta Iovis; ſeptima Saturni; octava denique ſiderum fixorum. Et quidem hæc ultima, quæ & ſignifera, centrum idem habent cum centro terræ; ſeptem verò reliquæ, quæ planetarum ſunt, centra ſua habent à centro terræ diſſidentia in diverſas partes.

Unamquamque harum ſphærarum octo circulus ab oriente ſecat ad occidentem: qui quidem in ſtellarum fixarum ſphæra eſt ipſe motus ſecundi cingulus ſeu zodiacus, de quo ſupra diximus; ad eumq; refertur & expenditur motus inæqualis verus; quo obſervantur ſtellæ omnes procedere ab occidente in orientem: in ſphæris verò eccentricis, circulus ille quoque eccentricus dicitur: eſtque ille, in quo concipitur ſtellarum motus ab occidente ad orientem æqualis medius.

Ex iis, quæ dicta ſunt, conſequitur, in quolibet horum ſeptem orbium duo eſſe loca ſibi oppoſita, in quorum uno orbis à terra abeſt longiſſimè; in altero proximè. ideoq; ſummæ diſtantię locus vocatur perigæum, ſeu abſis ſumma; minimæ verò diſtantiæ locus apogæum, ſeu abſis ima.

Cum igitur ſtella verſatur in hemyclio remotiore,

tiore, ſcil. in quo apogæum eſt, appâret motus ejus in zodiaco tardior, & motu medio per orbem ſuum minor; propter majorem diſtantiam à terra: cùm verò ſtella eſt in hemyclio propiore, appâret motus ejus in zodiaco velocior, medioq; motu major. motus autem medius, ſemper regularis, ille eſt, quo ſtella in eccentrico ſuo fertur æquabiliter: motus verus ille dicitur, quo videtur ſtella progredi in zodiaco.

Quod quidē ad Solem ſpectat, ejus corpus parili ſemper converſione vehitur in ipſius eccentrico; cujus planum jacet in plano zodiaci, inclinationis expers. Quod verò ad ſex ſtellas reliquas attinet, vehuntur earum corpora, non in eccentrico; ſed in orbibus exiguis, qui appellantur epicycli: utpote qui deyehuntur ipſi in eccentricis. Hi autem circuli utriq;, eccentrici & epicycli, ſuperficies ſuas ad planum zodiaci inclinatas habent.

Epicycli Lunaris centrum circumducitur per eccentricum illum, de quo diximus: veruntamen converſio ejuſdem centri ęquabilis conficitur ſuper centro zodiaci. Epicyclorum verò, ſideribus quinque reliquis competentium, centra deferuntur in eccentricis, à prioribus illis, quorum præceſſit mentio, diverſis; qui tamen prioribus iiſdem

dem magnitudine æquales ſunt, & ſuperficies obtinent in eodem cum ipſis plano. Verùm, quæ in hiſce eccentricis ambiunt epicyclorum centra, æquales motus æquali tempore peragunt ſuper eccentricorum priorum centris. Ideoq; circulus ille, in quo circumfertur epicycli centrum, vocatus fuit eccentricus deferens: circulus verò prior, circa cujus centrum æquabili motu procedit centrum epicycli, dictus fuit eccentricus motum æquans.

Cæterùm eccentricorum, qui planetis ſex tributi ſunt, ſuperficies quælibet planum eclipticæ in duas æquales partes ſecat duobus locis oppoſitis; atque ab eo in duas plagas, ſeptentrionem & auſtrum, deflectit. Quæ quidem mutua utriuſq; circuli, ſc. ſtelliferi & ſigniferi, interſectio figurâ refert Græcorum literam χ. punctum autem illud, quo circulus ſtellifer à ſignifero in ſeptentrionem vergit, caput Draconis ſeu nodus evehens, dicitur; punctum verò oppoſitum Draconis cauda, ſeu nodus devehens.

Lunæ quidem epicyclus ſuperficiem habet in plano eccentrici: atque in latitudine contingit illi una ſimplex mutatio, quâ eccentricus ejus declinat à ſignifero. at ſtellarum quinque reliquarum

epicycli

epicycli deflectunt ab ipſis eccentricis declinatione etiam alterâ. ideoque eorundem ſiderum cuique contingit latitudinis ab ecliptica variatio gemina; una quidem ob eccentrici à ſignifero deflexum; altera verò ob epicycli deflexum ab eccentrico. Atque hoc eſt, quod de orbium ſtelliferorum figura & connexione ſapientes unanimi conſenſu ſtatuunt.

CAP. XIII.

Quâ ratione Sol, Luna, & ſtellæ fixæ in ſuis orbibus vertuntur in utrumq; tractum, orientem & occidentem; qui motus longitudinis dicitur.

DEſcriptis ſuâ formâ ſtellarum ſphæris, orbiumque connexione, nunc exponenda nobis ſphæræ cujuſque converſio atque periodus. Et quidem initium capeſſemus à ſtellarum fixarum ſphæra; quippe cujus motus duntaxat unus eſt, & uniuerſis ſtellis errantibus communis.

Ea quidem ſphæra ab occidente gyratur in orientem ſuper zodiaci polis, centenis quibuſque annis, ut Ptolemæi eſt ſentẽtia, per ſpatium unius gradus. eodem motu unà convertuntur ſeptem planetarum ſphæræ: ita ut ipſorum abſides

& nodi tantundem promoveantur in consequē-tia, id est, secundum signorum ordinem; totumque zodiacum percurrant annis 36000. Stellæ autem illæ appellantur fixæ, propterea quòd simul omnes ab occasu in ortum aguntur æquali motu; ac proinde figuras suas & distantias servant immutabiles.

Soli ab occasu in ortum motus simplex est, scil. unus per eccentricum, ipsi proprius; qui in dies singulos est minutorum quasi 59: motus alter tardissimus, (qui fit circum zodiaci polos, & octavæ sphæræ motum æquat,) in centenos quosque annos unius gradus. Ex hisce duobus motibus conflatur ille, quo Sol ab occidente versùs orientem progredi cernitur in zodiaco; totumque percurrere diebus 365 & quadrante, excepto particulæ inobservabilis momento.

Luna peragit motus circulares quinque. Nam ipsius corpus in epicyclo fertur; ab ortu quidem in occasum, cùm superam ejus partem occupat; contrà ab occasu in ortum, cùm tenet inferam. Epicycli centrum in eccentrico convertitur ab occidente in orientem. At eccentrici hujus centrum ambit circellum zodiaco concentricum, ab oriente in occidentem; nimirum in adversas partes

tes

tes à moto epicycli centro. Eſt autem Lunæ & alter orbis, zodiaco etiam concentricus & in eodem plano; quem circulus obliquus bifariam ſecat in duobus punctis oppoſitis, nimirum capite & cauda Draconis, inclinatus ad ipſum in ſeptentrionem & auſtrum. Idem autem ille circulus, zodiaco concentricus & ejuſdem cum eo plani, motu ſuo obliquum hunc circulum ſecum vehit in occidentem, circum polos zodiaci; ipſoſq; nodos retrahit in antecedentia, id eſt, contra ſignorum ordinem. Contingit quoq; ſphæræ Lunari, quæ hoſce motus complectitur, tarda in orientem converſio, ſtellarum fixarum converſioni æqualis.

Ut autem hæc ipſa, quæ de Lunæ motibus dicta ſunt, exemplo propoſito illuſtrentur; dicimus Lunam, in ſuperiore epicycli parte conſtitutam, unâ die ferri motibus ſuis ſimul omnibus, hoc modo. Ejus corpus movetur in epicyclo occidentem verſus, per grad. 13 & min. 4, ſcilicet ejuſdem epicycli partes. Hujus epicycli centrum fertur per eccentricum, verſus orientem, ſpatio 14 grad. & 23 minut. ſecundum quantitatem circuli cum zodiaco homocentrici. Ejus eccentrici centrum vertitur in circello quodam, qui zodiaco concen-

tricus eſt; & converſione ſuâ apogæum ad occidentem retroagit gradibus 11 & minutis 9. Atq; ita colligitur centrum epicycli in orbe, qui zodiaco concentricus, quotidie ſuo motu conficere 13 grad. & 14 minut. Concentricus autem ipſe, & unà cum eo obliquus circulus, eundem interſecans, convertitur in occidentem, per 3 minuta. Quam ob cauſam epicycli centrũ videtur tranſire in zodiaco gradus 13 & minuta propè 11; qui eſt Lunæ motus medius. Ex motu verò corporis Lunæ in epicyclo exiguum quidpiam zodiaco cedit; quod motui medio additur vel detrahitur, ut proveniat Lunæ in zodiaco motus verus.

Ex hiſce itaque conſtat centrum epicycli in eccentrico obtinere motum æqualem duplo exceſſus, quo motus Lunæ medius ſuperat medium motum Solis. quod ſi enim Solis motus medius, qui eſt minutorum 59 & alicujus particulæ, auferatur à medio motu Lunæ, qui eſt graduum 13 & minutorum ferè 11, reſtabunt 12 gradus & 11 minuta cum ſemiſſe: hiſce autem duplicatis, efficientur 24 gradus cum 23 minutis; quantus eſt motus centri epicycli.

Ex eo, quod de progreſſu centri epicycli diximus, quòd nempe is duplam æquat Lunæ à Sole digreſ-

digreſſionem, neceſſariò ſequitur idem epicycli centrum bis quovis Lunari menſe permeare eccentricum.

Præterea ipſa Lunæ ſphæra, quæ motus hoſce includit, alio quodam motu lento cietur ſuper zodiaci polis, in orientem vergens, quotannis per gradum unum; quantum procedunt ſtellæ fixæ.

Atque ita oſtenſum eſt Lunæ inceſſum, qui ab occaſu ad ortum in zodiaco animadvertitur, componi ex quinque motibus circularibus, ſcil. motu ipſius corporis in epicyclo; motu centri epicycli in ambitu eccentrici; motu centri eccentrici in parvo circulo, cujus centrum idem eſt cum centro zodiaci; motu obliqui circuli & ſimul circuli illius, cujus planum cum plano zodiaci idem eſt, ſuper zodiaci polis: hic motus caput & caudam Draconis transfert in ſignorum antecedentia. denique motu ſphæræ totius, qui ſtellarum fixarum motui eſt æqualis.

Cæterùm epicyclo Lunari in ſua per eccentricum converſione accidit declinatio quædam & inflexio, modò in ortum, modò in occaſum; hâc quidem lege. ſi quando epicycli centrum revera exiſtit in apogæo vel perigæo eccentrici, diameter epicycli, quæ apogæum ipſius tranſit, in-

directum jungitur cum diametro eccentrici ductâ per centrum zodiaci. poſtquam autem epicyclus duo abſidum loca eſt tranſgreſſus, diameter ejus nec ad centrum eccentrici inclinat, nec ad centrum zodiaci. at perpetuò vergit ad diametri eccentrici punctum, quod ſit inter apogæum ejus & centrum zodiaci; tantâ diſtantiâ ab hoc centro remotum, quantâ indidem abeſt centrum eccentrici: ita ut linea, quæ puncto illo & hoc eccentrici centro terminatur, à zodiaci centro ſecetur bifariam. Hanc ob cauſam orbi epicyclo in converſione ſua quædam accidit inclinatio; quâ apogæum ejus, quod quidem ex dicto puncto videretur, à loco ſuo deflectit; quâque apogæum ejus, quod reipſa videtur è centro zodiaci, loca in epicyclo mutat. Cũ enim epicycli centrũ ab apogæo fertur ad perigæum, apogæum epicycli viſum priorem abſidem præcedit verſus orientem; cùm verò centrum epicycli fertur à perigæo ad apogæum, tunc apogæum epicycli viſum abſidem priorem ſequitur ad occidentem. Et quidem præceſſio hęc atque ſucceſſio evadunt maximæ, centro epicycli delato ad medias eccentrici diſtantias. Apogæum illud epicycli prius, quod in motu ſuo à puncto memorato dependet,

det, nuncupatur apogæum medium; illud autem, quod videtur è centro zodiaci, apogæum verum dicitur. Atque ita expositi nobis sunt universi Lunæ motus.

CAP. XIV.

Describuntur quinque siderum vagorum motus in orbibus suis secundum longitudinem.

VErùm stellarum quinq; vagantium motus in suis epicyclis, diversi sunt à motu Lunæ: earumque orbes, & ab orbe Lunæ & ab invicem differunt.

Unum est, quòd cùm stellæ illæ tenent superna epicycli, incedunt versus ortum, quâ nempe parte centrum epicycli fertur per eccentricum.

Tum etiam ex iis stellis cuilibet eccentrici duo sunt, inter se æquales; quorum meminimus suprà: ubi diximus ab uno deferri centrum epicycli; ad alterum referri motum ejusdem centri medium, eum scilicet, qui temporibus æqualibus transire cernitur æquales partes. Ad hujus circuli centrum, qui exæquat motum, inclinatur & deflectit diameter epicycli.

Quod quidem ad Saturnum, Iovem, Martem & Venerem spectat; in iis eccentrici, centrum epicycli

cycli deferentis, centrum diſtinguit cujuſque lineam, quæ centrum zodiaci cum centro circuli motum æquantis connectit, in duas æquas partes; & quidem ſemper eodem modo. Quod autem ad Mercurium attinet, ejus eccentrici deferentis centrum haud ſemper eodem loco manet: ſed in parvo quodam circulo convertitur; ſicuti in Luna res habet. Hujus autem circelli centrum fixum atque immotum hæret in ea linea, quæ per centrum utrumque tranſit, tantumque ab eccentrici fixi centro diſtat in partem à centro zodiaci alteram, quantũ ipſum zodiaci centrum indidem abeſt. ita ut circellus ille lineam, centro ſuo & zodiaci centro interjectam, bifariam interſecet in eccentrici fixi centro.

Centrum quoq; epicycli utriuſque, tum Mercurii, tum Veneris, medio motu conjungitur Soli; & converſione Solis convertitur. Quamobrem neceſſe eſt, ut quando ipſi in epicycli ſui apogæo verſantur vel perigæo, medio motu cum Sole coëant: quando autem conſiſtunt ad epicycli ſui latera in contactu linearum, quæ à terra ad illa eductæ fuerint, diſtantiam à Sole obtineant maximam.

At in Saturno, Iove & Marte centrum epicycli

quodque

quodque motu tardiore, quàm Sol convertitur: ita tamen, ut, motu corporis cujuſque ſtellæ in ſuo epicyclo ad motum centri epicycli adjecto, compoſitum hoc converſionem Solis ipſius æquet. Unde etiam ſequitur trium horum ſiderum quodlibet epicycli ſui ambitum peragere eodem tempore, quo Sol ab ejus congreſſu ad eundem redit: & eorum ſingula contingere apogæum, cùm Sol motu ſuo medio cum ipſis congreditur; ſicut etiam in Venere & Mercurio accidit: tunc verò tenere epicycli ſui perigæum, cùm Sol ipſis opponitur.

Nunc verò ſpeciatim exponamus ea, quæ de Mercurii motibus obſervantur; quoniam ipſi magis impliciti ſunt. Mercurius igitur in epicyclo ſuo, dum quidem in ſuperiore ejus parte eſt, movetur orientem verſus. Epicycli centrum in eccentrico defertur etiam ad orientem. Centrum eccentrici deferentis vertitur in circello, ſuprà deſcripto, ad occidentem. Denique Mercurii ſphæræ, quæ motus hoſce includit, converſio accidit in orientem, converſioni ſiderum fixorum æqualis.

Ejus rei exemplum dabimus; ita uti in Luna fecimus. Mercurius, inquam, in epicycli ſupe-

rioribus existens, die unâ motibus suis agitur simul omnibus. In epicyclo quidem ad ortum procedit tres ejusdem circuli partes & sex minuta. Hujus epicycli centrum in deferente eccentrico spatium conficit, quod (in partibus eccentrici immobilis, motum æquantis,)par est duplo cursus solaris medii; scilicet gradum unum & scrupula 59. Centrum eccentrici, qui centrum epicycli defert, in circello convertitur, & apogæum retroagit circuitu in occidentem per scrupula 59; quantus est progressus Solis. Unde contingit centrum epicycli orientem versus tantum peragere de eccentrici fixi partibus, quantum Sol ipse promovet, nempe scrupula quoque 59. Itaq; Mercurii epicyclus centro suo circumit eccentricum illum fixum, motus æquatorem, spatio temporis annuo; quo Sol percurrit suum eccentricum: eodemque tempore bis ambit eccentricum mobilem, qui ipsum defert; sicuti Luna uno mense bis absolvit eccentricum. Orbis denique Mercurii totus, hasce conversiones in se complectens, versatur in orientem centesimo quoque anno per gradum unum: quemadmodum moventur sidera cœlo affixa.

Atque ita constat Mercurii motum, prout in zodiaco

zodiaco appâret, compoſitum eſſe ex motibus quatuor: ex motu corporis ejus in epicyclo; motu epicycli in eccentrico; motu centri, quod eſt eccentrici deferentis, per circellum in partes motui primo adverſas; & ex motu ſphæræ totius, qui ſtellarum fixarum motum æquat.

Quod autem ſpectat ad ſidera quatuor reliqua, antè oſtenſum fuit orbium formam, & centrorum diſcrepantiam eodem ſeſe habere modo; eorumque motus ſimul tendere in orientem. Horum motuum menſuræ hæ ſunt: motu diurno conficit Venus in epicyclo quidem ſcrupula hujuſce peripheriæ 37; epicycli autem centrum in eccentrico æquatore ſcrupula 59; quantum peragunt Sol atque Mercurius.

At in Saturno, Jove & Marte converſionis ratio diverſa eſt: nam ſi cujuſque in epicyclo motus additus fuerit ad centri epicycli motum in eccentrico æquatore, ſumma illa erit motui Solis medio æqualis. Atque ita motu quotidiano progrediuntur illa ſidera, Saturnus quidem in epicyclo 59 minuta; epicycli ejus centrum in eccentrico æquatore minuta quaſi duo: Iupiter autem in epicyclo minuta 54; epicycli hujus centrum in æquante eccentrico minuta propè 5. deniq; Mars

conficit in epicyclo minuta 28; centrum epicycli in eccentrico æquatore minuta fere 31. Omnium verò horum siderum sphæræ centesimo quoque anno peragunt partem unam: quæ est stellarum fixarum conversio.

Constat igitur motum, quem siderum horum quatuor singula, Mercurio nempe excepto, in zodiaco exhibent, conflari ex motibus duntaxat tribus: motu sideris in epicyclo; motu centri epicycli in eccentrico; & motu sphæræ totius, stellarum fixarum motum æquante.

Horum verò quinque vagantium siderum cuiq; accidit in epicyclo suo inclinatio quædam & deflexio: quemadmodum & in Luna contingit. Nam epicycli diameter, per ejus apogæum ducta, transit per centrum signiferi, siquando eccentrici apogęo vel perigęo vero occurrit. in locis autem, quæ inter absidas hasce sunt, per centrum signiferi haudquaquam transit; neque etiam transit à parte perigæi; veluti in Luna contingit: sed in motu suo semper cohęret cum centro eccentrici, qui exæquat motum. Ideoq; cùm in quinq; hisce sideribus centrum epicycli ab apogæo fertur ad perigæum, tunc apogæum epicycli verum retrocedere videtur ab apogæo medio ad occasum;

contrà

contrà atque fit in Luna: similiter, cùm fertur à perigæo, tunc videtur ad apogæum medium accedere in ortum. Atque ita demonstrati nobis sunt omnes stellarum motus secundum longitudinem.

Cap. XV.

De quinque vagorum siderum regressione in Zodiaco.

Explicare nobis hoc loco visum est, quis stellis quinque vagantibus regressus accidat in sua per zodiacum conversione. Ac primùm, quia stellæ in superiore epicycli parte constitutæ incedunt ortum versus, quò etiam tendit ipsius epicycli centrum, ipsæ cursu incitatę appârent; propter conjunctionem duorum motuum in eandem partem: in tractu verò epicycli inferiore feruntur ad occasum, partem priori motui contrariam. At quando stella in alterutro epicycli latere versatur, orientali vel occidentali, (eo quidem loco, ubi lineæ à terra protensæ circulum contingunt,) de stellę per epicyclum motu haud quidquam in zodiaco appâret: adeò ut quicunque in zodiaco motus ejus observatur, tantùm pertineat ad circumactum epicycli centrum. Quando autem stella ab eo loco procedit,

ubi linea epicyclum in parte orientali tangit; tunc incipit motus ſtellæ, in epicyclo ad occaſum apparens, tardiſſimus: ac proinde ab eo motu deficit, quo ad ortum videtur ferri ipſius epicycli centrum. Quantum autem ſtella, deſcendens in epicyclo, ad perigæum accedit, tanto motus ejus in epicyclo occaſum verſus appâret major: donec quantitas motus ſtellæ, qui in epicyclo notatur, motum centri epicycli adæquet. atque ita, duobus illis in duas adverſas partes motibus inter ſe æquatis, nullus in zodiaco obſervatur ſtellæ progreſſus, aut regreſſus: ac ſi ipſa ſubſiſteret. Dehinc motus ejus, qui in epicyclo cernitur ad occaſum, intenditur; motumque vincit alterum, qui in ortum vergit. atq; ideo ſtella tùnc appâret in zodiaco retrograda ad occaſum. & quidem apparens hic retrogreſſionis motus tunc eſt maximus, cùm ſtella exiſtit in epicycli perigæo. Cùm verò ea, perigæum tranſgreſſa, in occidentali parte aſcendit; atque ad eam diſtantiam delata eſt, ex qua in orientali parte cœpit retrogreſſus; tunc rurſus ambo illi motus æquantur. ideoq; ſtella loco ſuo, quem in zodiaco tenet, ſtationalis cernitur: uſq; dum, hoc limite ſuperato, curſu in orientem directa appareat.

Atque

Atq; hæc causa est, ob quam sidera illa quinq; videantur retroferri. Sed quæ, dixerit aliquis, Lunæ conditio, cùm & ipsa ad modum quinque siderum incedat per epicyclum, ut tamen nullus ipsi accidat regressus, siquando etiam in superiore epicycli parte agitur ad occidentem? ejus rei causa est, quòd Lunæ per epicyclum incessus, in quamcunque partem is contingat, spatium in zodiaco sibi vindicat exiguum præ motu centri epicycli. ita ut Lunæ ex suo per epicyclum incessu solùm accidat velocitas & tarditas; illa quidem in perigæo; hæc autem in apogæo.

Nunc ipsa definiamus loca, in quibus contigit planetam ferri retrorsùs vel directè. Dico itaque, cùm sidus in utrovis epicycli latere à perigæo epicycli vero abest partibus jam designandis, aut infra eas consistit; tunc ipsum motu suo esse retrogradum: cùm autem ultra eas partes processit, motu suo tendere in directum. ea quantitas Saturno est graduum 66; Iovi grad. 55; Marti gr. 17; Veneri gr. 13; & Mercurio grad. 34. Distantia autem maxima, quâ & Venus & Mercurius à Sole recedunt orientem versùs vel occidentem, quando nempe ad lineas existunt epicyclum contingentes, Veneri quidem est gr. 48; Mercurio verò grad. 28.

CAP.

Cap. XVI.

Quam rationem habeant ſtellarum orbes, qui dicuntur epicycli, ad orbes eccentricos; quantumq; eccentricorum centra abſint à centro terræ.

Determinemus hoc capite, quas menſuras centrorum intervalla, quaſque orbes epicycli obtineant. Quod quidem ad Solem ſpectat, oſtenſum fuit illi unum duntaxat eſſe orbem eccentricum: ejus orbis centrum à centro terræ diſtat talibus partibus 2½, qualium ſemidiameter eſt 60; quæ quidem media eſt diſtantia Solis à terra. Quod autem ad ſtellas ſex reliquas attinet, declaravimus ſuprà eorum cuilibet eſſe centra bina, diverſa à centro terræ. & ex ſideribus quinque vagis cujuſque bina centra, fixa atque immota conſiſtere in recta linea cum centro terræ; eorumq; centrorum intervalla manere æqualia: Mercurio autem centrum eſſe tertium, quod moveatur circùm duorũ reliquorum alterum; eo quidem intervallo, quod immotis illis intervallis æquetur. Lunæ centra eſſe duo demonſtravimus, quorum alterum ſit fixum; alterum vertatur circùm centrum terræ, eodem intervallo, quo diſtat centrum fixum.

Qua-

Qualium autem eccentrici radius eſt partium 60, (quæ eſt ſideris in eccentrico à terra diſtantia media,) tales quodque illorum ſiderum pro æqualibus illis intervallis obtinet, Saturnus quidem partes 3 & $\frac{1}{4}$ cum $\frac{1}{6}$; Iupiter verò partes 2 & $\frac{1}{2}$ cum $\frac{1}{4}$; Mars partes 6; Venus partem 1 & $\frac{1}{4}$; Mercurius partes 3; Luna part. 12 & $\frac{1}{2}$.

Quod denique ad quantitates epicyclorum ſpectat; cujuſmodi partium radius eccentrici ſtatuitur eſſe 60, ejuſmodi partium radius epicycli eſt Saturno 6 & $\frac{1}{2}$; Iovi 11 & $\frac{1}{2}$; Marti 39 & $\frac{1}{2}$; Veneri 43 & $\frac{1}{6}$; Mercurio 22 & $\frac{1}{2}$; Lunæ 6 & $\frac{1}{3}$.

CAP. XVII.

De periodicis ſiderum converſionibus per orbes ſuos & per Zodiacum.

AD periodos ſiderum quod attinet; primùm quidem dicemus de converſionibus orbium epicyclorum. Luna ambitum epicycli peragit diebus 27, & horis 13, ac quaſi $\frac{1}{3}$; Mercurius menſibus 3, & diebus fere 26; Venus anno Perſico 1, menſibus 7, & diebus propè 9; Mars annis 2, menſe 1, & diebus quaſi 20; Iupiter anno 1, menſe 1, & diebus ferme 4; Saturnus anno 1, & diebus propè 13.

Orbium autem eccentricorum periodi sunt propè eædem cum periodis zodiaci; quia interea dum zodiacus circuitum conficit, motui sideris ex suscepto motu illo lento, qui stellarum fixarum conversioni respondet, haud quicquam adhærescit, quod alicujus sit momenti: præterquam in Saturno & Iove; propter longum temporis tractum, quo uterque periodum absolvit. Atque ita Lunę periodus erit dierum 27, horarum 7 cum $\frac{1}{2}$ & fere $\frac{1}{4}$. Mercurius, Venus & Sol sigillatim quisque orbem conficit diebus 365, & propè $\frac{1}{4}$: Mars anno Persico 1, & mensibus 10, & diebus ferme 22. Iupiter in eccentrico quidem peragrando hæret annis 11, mensibus 10, & diebus 16; in zodiaco autem eo minùs die 1 & quasi $\frac{1}{2}$: Saturnus in eccentrico quidem annis 29, mensibus 5, diebus 15; in zodiaco autem hoc tempore minùs diebus 7.

Lunæ nodi circuitum zodiaci peragunt annis 18, mensibus 7, diebus 16 & $\frac{1}{3}$. Stellæ fixæ, & septem siderum absides nodique zodiacum periodo transeunt annis 36000.

CAP.

CAP. XVIII.

Describuntur siderum fixorum & errantium motus in utramque partem septentrionis & austri: qui motus latitudinis dicuntur.

POstquam jam expositi nobis sunt siderum motus in longitudinem, deinceps dicendum quoque nobis erit de eorum motu in latitudinem; quæ eorundem declinatio est ab ecliptica in septentrionem & austrum. Dico itaque primùm, si cogitemus à polo signiferi per stellam trajici circulum ad ejus gradum in ecliptica, hujus circuli portione, quæ inter stellam ejusque in ecliptica gradum comprehenditur, definiri stellæ latitudinem.

Sol quidem, prout commemoravimus suprà, suâ ab oriente in occidentem conversione describit eclipticam: nam eccentrici illius; in quo Sol ambit, planum convenit cum plano eclipticæ; ab eo neutiquam declinans.

Ex reliquis verò præter Solem sideribus ea quidem, quę dicuntur fixa, moventur simul in orientẽ super polis eclipticæ. ideoq; si quæ ex hisce existunt in eclipticæ plano, dum movẽtur, in eodem plano manent: si quæ autem extra planum eclip-

ticæ ſita ſunt, in converſione ſua eandem diſtantiæ ab ecliptica quantitatem ſervant:neque ab ea recedunt. Itaque liquet ſtellas fixas omnes, ſive latitudine careant, ſive latitudine præditæ ſint, eandem perpetuò ſervare rationem.

At Luna & quinque vaga ſidera alio ſeſe modo habent: quoniam eorum motus non ſuper polis zodiaci fiunt; at ſuper polis eccentricorum, qui planum zodiaci ſecant in diametro, & ab eo declinant in utramque plagam, borealem & auſtrinam. atque proinde ipſorum ab ecliptica latitudo variat. Eccentrici Lunæ planum interſecat planum zodiaci in utroque capitis & caudæ puncto: atq; à zodiaci plano deflectit ad ſeptentrionem & auſtrum declinatione ratâ ac immutabili. Planum verò epicycli Lunæ cohæret plano ſui eccentrici; haudquaquam ab eo devians. ideoque Lunæ in latitudine mutatio duntaxat una eſt; quæ contingit ob eccentrici ad zodiacum inclinationem. At ſidera quinque vaga mutationem latitudinis non unam obtinent; quia ipſorum eccentrici declinant à zodiaco, & etiam epicycli ab ipſis eccentricis.

Eorum eccentrici ſecant planum zodiaci in ipſius diametro, ab ipſoque declinant ſeptentrio-

nem

nem versus & austrum. Communia autem harum sectionum loca illis quinque stellis disposita sunt ad hunc modum; Saturno quidem in absidis intermediæ & utriusque extremæ medio: stellis verò quatuor reliquis ad absidas duas intermedias.

Saturnus, Iupiter atque Mars eccentricorum suorum absidas summas & imas habent declinatas à zodiaco, illas ad boream, hasce ad austrum, secundùm eandem semper deflexus mensuram: quemadmodum res in Luna obtinet.

At Venus & Mercurius declinationem suorum orbium non semper eandem servant: utpote quæ circum zodiaci diametrum nodos transeuntem convertitur, exiguo quodam motu in septentrionem & austrum: is quidem motus quotannis semel revertitur ad suum principium; sicuti motus ipse secundùm longitudinem. Atque ita semicirculus eccentrici apogæus à zodiaco deviat sex mensibus in boream, totidemque mensibus in austrum; & semicirculus eccentrici perigæus simili ratione transfertur in ambas illas partes borealem & australem. Planum autem eccentrici quotannis bis convenit cum plano zodiaci; nimirum in nodos incurrente epicycli centro. Cùm

quidem Veneris epicycli centrum occupârit nodum utrumlibet, tunc ſemicirculus, qui nodo illi ſuccedit, declinare incipit in boream; & ſemicirculus alter in auſtrum: è contra, cùm Mercurii epicycli centrum in utrolibet nodo fuerit, tunc ſemicirculus, qui nodum eundem conſequitur, principium capit declinationis in auſtrum; & ſemicirculus alter in boream. Ideoque neceſſe eſt, ut centrum epicycli ſtellæ hujus utriuſque conſiſtat aut in plano ipſo zodiaci circà nodos; aut ad partem à zodiaco unam: nec unquam declinet ad alteram: Veneris quidem epicycli centrum ſemper vergat ad boream; Mercurii verò ad auſtrum. eſtque manifeſtum, hanc eccentrici à zodiaco in boream & auſtrum declinationem tum Veneri, tum Mercurio eſſe maximam; ſiquando extiterit epicycli centrum in eccentrici apogæo vel perigæo.

Eorundem autem quinq; ſiderum epicycli declinationem habent, quę etiam movetur ac transfertur; quæq; principii locum repetit quotannis ſemel; prout ipſe motus in longitudinem. Saturni quidem Iovis & Martis epicyclus quiſque gyratur circum diametrum, quę tranſit per duas abſidas intermedias: ita ut ejus abſis ſumma ſex menſi-

mensibus teneat partem ab eccentrico borealem; & sex mensibus australem. estque illa per intermedias absidas diameter perpetuò parallela plano zodiaci: ita ut planum epicycli in conversione sua semper intersecet planum eccentrici, nec unquam cum eo coalescat; at verò cum plano zodiaci conveniat bis quotannis, cùm nempe ejus centrum attingit locum utriusvis nodi.

Epicycli autem cujusq; apogæum & perigæum declinare ab eccentrico incipiunt in ipsis duobus nodis; ejusque declinationis terminus summus existit in eccentrici apogæo & perigæo. Partes verò, quò ipsa vergit, ita habent; epicyclorum quidem perigæa deflectunt ab eccentricis in eandem partem, ad quam inclinant ipsi eccentrici à zodiaco; epicyclorum autem apogæa in partem contrariam. ac proinde epicyclorum perigęa, ubi existunt in semicirculis eccentricorum borealibus, in boream vergunt; ubi in australibus, in austrum.

Veneris & Mercurii epicyclus motum declinationis obtinet geminum: eorum alter est similis motui siderum reliquorum trium; quo nempe epicycli duæ absides, summa & ima, mutant declinationem ab eccentrico: motus autem alter

alter est, quo absides quoque intermediæ declinationem variant; quæ obliquatio dicitur. Epicycli absis quidem summa & ima declinationem ab eccentrico occipiunt in abside summa & ima ipsius eccentrici; declinationem autem faciunt maximam in utrovis nodo. atq; tunc conveniunt inter sese planum eccentrici planumque epicycli. intermediæ verò epicycli absides principium declinationis obtinent ad ipsos nodos; summum autem ejus incrementum in abside eccentrici summa & ima: atque tunc eccentrici à zodiaco declinatio existat maxima. Conspicuum itaque est, harum declinationum epicycli alterutrâ ad summum auctâ, alteram omnino desinere; quoniam initium unius contingit ad finem alterius.

Partes autem, in quas ea declinatio fit, se habent ad hunc modum: cùm epicycli centrum existit in illo eccentrici semicirculo, qui initium ab ejus apogæo sumit, tunc superiora epicycli declinant ab eccentrico; in Venere quidem septentrionem versus; in Mercurio autem ad meridiem: declinantque epicycli inferiora in partem oppositam. at quando epicycli centrum versatur in semicirculo eccentrici altero, contrà fit atque

in

in priore designavimus. Ex iis verò, quæ suprà de stellis tribus reliquis dicta sunt, constat declinationem hanc esse maximam circa utrumq; nodum. & tunc intermediæ duæ absides epicycli, qui utrivis huic stellæ convenit, inhærent duobus planis eccentrici & zodiaci simul congruentibus. Quod autem ad partem attinet, in quam obliquatio illa declinat; cùm epicycli centrum existit in semicirculo eccentrici apogæo, tunc epicycli intermedia absis orientalis declinat ab eccentrico, in Venere quidem ad septentrionem; in Mercurio verò ad meridiem; & intermedia absis occidentalis ad partem oppositam. cumque epicycli centrum est in semicirculo eccentrici perigæo; contrarium obtinet, atque de semicirculo apogæo diximus. Liquet verò obliquationem hanc fieri maximam circa utramque eccentrici absidem, summam & imam. ac tunc extremę duę absides epicycli jacent in plano eccentrici.

Quantitates latitudinum istarum in septentrionem & meridiem: hæ sunt; Lunæ conveniunt partes 5; qualibus, inquam, constat ecliptica. Dicemus autem breviter, quæ stellis quinq; latitudo maxima proveniat ex universis in boream & austrum motibus: Saturno tribuuntur

partes 3; Iovi partes 2; Marti in boream partes $4\frac{1}{3}$, in auſtrum 7; Veneri, juxta Ptolemæi obſervata in magno opere, partes $6\frac{1}{3}$; at alibi partes 9; Mercurio, & in boream & in auſtrum, partes $4\frac{1}{3}$. Atque ita definiti nobis ſunt ſtellarum motus omnes in latitudinem.

CAP. XIX.

De ſtellarum fixarum numero; earumque ſecundum magnitudinem ſuam diſtinctione: nec non de locis cœli, ubi earum maximæ quindecim ſitæ ſunt.

DEſcriptis antè ſiderum motibus in longum & latum, exponamus ſtellarum fixarum numerum, & magnitudinum earum formam; prout ſapientes ipſas dimenſi ſunt: tum quoque recenſeamus ſtellarum maximarum nomina; quamque ipſæ cœli partem occupent, & quidem hoc ævo noſtro; quoniam per centenos quoſque annos promovent gradum unum.

Sciendum itaque ſapientes iniviſſe menſuram ſtellarum fixarum omnium, quoad inſtrumentis obſervari eæ potuerunt, extremam uſq; meridiei partem, in tertio climate ipſis conſpicuam: Earum ſecundum magnitudinem quantitates diſtribuerunt in ſex claſſes. ad primam retulerunt magnas illas

illas atque lucidas; ut ſunt Canis & Procyon, Vultur cadens, & cor Leonis. Hiſce paulò minores ſtellas dixerunt magnitudinis ſecundæ; quales ſunt Urſæ minoris claræ duæ; & ſplendentes illæ, quæ in cauda Urſæ majoris. Atque ita ſtellarum quantitates porrò diſtinxerunt ratione ſimili; adeò ut minimæ omnium, quæ ſub menſuram caderent, magnitudinis forent ſextæ.

Invenerunt autem ſtellas magnitudinis primæ quindecim; ſecundæ quadraginta quinque; tertię ducentas & octo; quartæ quadringentas ſeptuaginta quatuor; quintæ ducentas ſeptendecim; magnitudinis ſextæ ſexaginta tres. inter eas obſcuræ ſunt novem; & nebuloſæ ac tenues quinque; veluti illæ ſunt, quæ exiſtunt in Orionis capite, atque in Leonis rictu: ipſæ enim exiles ſunt, & in unum compactæ; nubi ſimiles. Itaque ſtellæ univerſæ, quarum agi menſura potuit, ſunt mille viginti duæ. de quibus cernuntur in parte citra zodiacum boreali ducentæ ſexaginta; in ipſis zodiaci aſteriſmis trecentæ quadraginta ſex; in parte meridionali trecentæ & ſexdecim.

Deſignemus autem loca ſiderum illorum quindecim, quæ ad magnitudinis ordinem primum pertinent. Ex iis ſtella una ſignum tenet

 Arietis;

Arietis; quæ ſita eſt in extremo Fluvii, cujuſque curriculum vicinum eſt curriculo Canopi. in Tauro ſtella rubicunda exiſtit ad Tauri oculum, quę Debarân vocatur. in Geminis ſita eſt Capella, ſtella ſubruffa; quæ fertur prope punctum verticale in climate quarto: item ſtella iſta, quæ eſt in ſiniſtro pede Orionis: & ſubrubicunda, quæ in humero ejuſdem dextro: tum Syrius, qui Abor dicitur; & Canopus, una ex ſtellis aſteriſmi Navis; quæ ſimul cum Sirio conſiſtit in extremo Geminorum: ita ut ambo medium cœli tranſeant eodem tempore. in Cancro extat Procyon; quæ ſtella dicitur Gomeiſa. in Leonis ſigno cor Leonis eſt; ac ipſum occupat zodiacum, Solis orbitam. in Virgine eſt Leonis cauda; quam Sarcam nuncupant. Libra ſpicam habet, quæ in manu ſiniſtra Virginis: & ſtellam rubentem Arcturum; quæ decurrit prope capitis noſtri verticem: & quoq; ſtellam in lævo pede Centauri, qui aſteriſmus Tolimân dicitur; eaque idem fere curriculum obtinet cum Canopo. in Sagittario continetur Vultur cadens; tranſiens ad capitis verticem: in Aquario os Piſcis notii; ejuſdem fereparalleli cum Scorpionis cauda, quã Xaulam nuncupant. Atq; hæ ſunt ſtellarum cœli omnium maximæ.

CAP.

CAP. XX.

Deſcribuntur ſtellæ, quas Lunæ manſiones vocant, numero viginti octo.

Hîc quoq; domicilia ſive manſiones Lunæ ſuis explicemus nominibus; quibus eas inſigniverunt Arabes: quia ipſas plerique homines ita dignoſcunt.

Prima *Xartân* dicitur; ſunt duæ ſtellæ in capite Arietis lucidę & ſeparatæ: at cum borealiore quędam ſtella jungitur ipsâ minor.

II. *Batyn*; quæ venter Arietis: ſunt tres ſtellæ exiguæ, invicem propinquæ.

III. *Tureija*, quam & Negmam dicunt; ſex ſtellulæ ſimul junctæ.

IV. *Debarân*; quam ſuprà recenſui inter ſtellas maximas: Arabes Fenîcam vocant. huic adſtant minores quædam ſtellæ; quæ Calûſæ appellantur.

V. *Hacaa*; quæ caput Orionis, nimirum tres ſtellulæ invicem propinquæ.

VI. *Hanaa*, duæ ſtellæ ab invicem disjunctæ; quarum lucidior, quæ borealis eſt: ambæ inter pedes Geminorum.

VII. *Dirâa*, duæ ſtellæ clariores in capite Geminorum.

VIII. *Netra;* quæ & os Leonis dicitur; est autem nebulosum quid exiguum, veluti nubis portio: stellæ sunt duæ exiguæ, quæ in figuris Ptolemaïcis referuntur ad corpus Cancri.

IX. *Tarfa*, stellæ duæ parvæ; quas Arabes appellant oculos Leonis.

X. *Gebha*, stellæ quatuor splendidæ, inter sese inflexæ; quarum una est cor Leonis.

XI. *Zubra*, stellæ duæ splendidæ, sequentes cor Leonis; quas Arabes Charatanas vocant.

XII. *Sárfa*, stellæ illæ, quas existere diximus in Leonis cauda.

XIII. *Auva*, stellæ quinque, referentes characterem Alif; quatuor dispositæ sunt in rectum, ab invicem separatæ; una in flexu occidentem versus: suntque ipsæ sub asterismo Virginis.

XIV. *Semac'o-lásil*, (Latinis spica Virginis;) cujus meminimus inter stellas maximas.

XV. *Gafra*, tres stellæ exiguæ ab invicem latiùs diductæ; quarum duæ sunt collocatæ ante duas chelas Scorpionis.

XVI. *Zubaniæ*, stellæ duæ ab invicem separatæ; suntque lances Libræ.

XVII. *Aclyl*, tres stellæ splendentes, positæ in recta linea.

XVIII. *Cal-*

XVIII. *Calbo-lacrab*, ſtella rubra, & fulgens; inter duas lucidas.

XIX. *Xaula*, quæ eſt cauda Scorpionis; ſunt duæ ſtellæ ſeparatæ, quarum altera eſt clara.

XX. *Naaïmæ*, ſtellæ octo clariores; quarum quatuor in orbe Lacteo, & vocantur accedentes; quatuor extra eum, & dicuntur recedentes.

XXI. *Beleda*, ſpatium cœli parvum; quod ſuccedit Naâmis, ſtellis vacuum.

XXII. *Sado-ddábih*, duæ ſtellæ exiguæ; earum borealiori prope adſtat ſtella obſcurior, quam Arabes Ovem nuncupant: atq; hinc illud nomen.

XXIII. *Sado-búla*, duæ parvæ ſtellæ ejuſdem paralleli.

XXIV. *Sado-ſſoûd*, ſtellæ tres; quarum una ſplendida.

XXV. *Sado-lachbia*, tres ſtellæ, referentes figuram trianguli; in quarum medio conſiſtit ſtella quarta.

XXVI. *Fargo-ddélu anterius*, ſtellæ duæ lucidæ, quarum borealior dicitur Equi ſcapula.

XXVII. *Fargo-ddélu poſterius*, duæ ſtellę lucidę, & diviſæ; quæ ſequuntur præcedentes duas.

XXVIII. *Batno-lhût*, hæ ſtellæ Piſcis borealis ſunt; quibus ſuccedit Xartân.

CAP.

CAP. XXI.

Definiuntur ſuis menſuris ſtellarum errantium & fixarum intervalla à terra.

POſtquam ſtellarum, juxta ſuos ordines, numerum recenſuimus; definiendæ ſunt menſuræ, quibus ipſæ à terra diſtant. Ptolemæus quidem in libro ſuo expoſuit, quanta ſit diſtantia duntaxat Solis & Lunæ. neque comperimus quicquam ab illo proditum de diſtantiis ſiderum reliquorum: niſi quòd docuerit, quantum diſſideant centra orbium à centro terræ; quantique ſint orbes Epicycli.

Quòd ſi igitur ponamus diſtantiam Lunæ, reſpectu utriuſque ſimul orbis, (eccentrici & epicycli) remotiſſimă eſſe eandem cum diſtantia Mercurii proxima. & eâdem ratione utamur, ut diximus; procedentes ſimiliter in Mercurio & Venere: inveniemus ſummam Veneris in utroq; ſimul orbe diſtantiam æquari Solis diſtantiæ minimæ, quam explicuit Ptolemæus. Cujus rei indicium ex eo capimus, quòd inter orbes nihil eſt vacui. Deinde ita quoque procedemus in cęteris: donec pervenerimus ad ſtellarum fixarum orbem; cujus centrum idem eſt cum centro terræ. Atque propterea

pterea ſtellarum fixarum diſtantiæ perpetuò æquales ſunt, nulli mutationi obnoxiæ.

Conſtituerunt autem Ptolemæus atque alii ſapientes terrę ſemidiametrum veluti menſuram, quâ metirentur ſtellarum diſtantias à centro terræ: & molem terræ conſtituere menſuram, quâ metirentur ipſa ſtellarum corpora. at jam antè diximus, cum de terræ dimenſione ageremus, terræ diametrum eſſe milliarium 6500. quare ejus ſemediameter, quâ æſtimantur ſtellarum diſtantię, erit milliarium 3250.

Minimum quidem Lunæ à terra intervallum æquat ſemidiametrum terræ tricies ter, & ipſius ſemiſſem, ſemiſſiſque partem decimam; id eſt, milliaria 109,037. Maxima verò Lunæ à terra diſtantia, quæ Mercurii eſt minima, comprehendit terræ ſemidiametrum ſexagies quater cum parte ſexta; hoc eſt, milliaria 208,542.

Longiſſima Mercurii à terræ diſtantia, quę Veneris eſt proxima, complectitur partes, terrę ſemidiametro æquales, centum ſexaginta ſeptem; quæ ſunt milliaria 542,750.

Diſtantia ſumma Veneris, quæ ima eſt Solis, æquatur ſemidiametro terræ millies centies vicies id eſt, milliaribus, 3,640,000.

Maxima Solis distantia, quæ est Martis minima, terræ semidiametros habet mille ducentas & viginti; quæ faciunt milliaria 3,965,000.

Distantia Martis remotissima, quæ Iovis proxima, partes continet, terræ semidiametro æquales, octies mille octingentas septuaginta sex; suntque milliar. 28,847,000.

Suprema Iovis distantia, quæ Saturni est infima, constat semidiametris terræ quater & decies mille quadringentis quinque; hoc est 46,816,250 milliaribus.

Maxima Saturni distantia, quæ stellarum fixarũ distantiis æquatur, atque etiam diameter est orbis signiferi, semidiametros terræ complectitur vicies mille centum & decem; id est, milliaria 65,357,500. quibus duplicatis, existet ipsa orbis diameter milliar. 130,715,000. hâc autem quantitate multiplicatâ per $3\frac{1}{7}$, erit orbis maximi circuitus milliarium 410,818,570: & quantitas gradus cujusque milliarium 1,141,162.

CAP.

CAP. XXII.

De siderum dimensione juxta mensuram quantitatis terræ.

HIsce stellarum distantiis insistentes, explicemus corporum earum mensuram. Ptolemæus quidem demonstravit etiam corporum duntaxat Solis & Lunæ magnitudinem, neque cæterorum dimensionem tradidit. ejus tamen rei cognitio elucescet ex ea ratione, quam ipse usurpavit in Sole & Luna.

Quod attinet ad Lunam, ostendit ille corporis Lunæ diametrum, ubi ipsa in orbis sui apogæo est, æqualem esse apparenti diametro Solis: hæc autem præ se fert gradus minuta $31\frac{1}{3}$. Itaque diameter Lunæ continebit partem unam, quales habet diameter terræ $3\frac{2}{5}$; & diameter Solis æquabit totas terræ diametros $5\frac{1}{2}$. Ac proinde quantitas corporis Lunaris erit quantitatis terræ pars tricesima nona: corporis verò Solaris quantitas æquabit quantitatem corporis terræ centies sexagies sexies.

Quod autem spectat ad stellarum reliquarum corpora, definiemus priùs quanta visui ipsa appareant, ubi mediam obtinent distantiam; deinde

L 2 ipsam

ipſam declarabimus eorum magnitudinem. Mercurius quidem corporis ſui diametrum viſui offert, prout obſervatum fuit, æqualem diametri Solaris parti decimæ quintæ; Venus ſuam parti ejus decimæ; Iupiter octavæ decimæ; & ex ſtellis fixis quindecim maximis ſingulæ parti viceſimæ. Ipſarum uerò diametrorum quantitates ad terræ diametros ſeſe ita habent: diameter corporis Mercurii habet partem unam ex diametri terræ partibus 18; diameter Veneris unam ex $3\frac{1}{3}$: diameter Martis æquat diametrum terræ unam & $\frac{1}{6}$: diameter Iovis continet diametros terræ 4 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{16}$: diameter Saturni diametris terræ æquatur $4\frac{1}{2}$: diameter ſtellæ cujuſque ex fixarum maximis facit terræ diametros 4 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$. Unde hæc ſtellarum exiſtit magnitudo: Mercurii quidem moles eſt quaſi pars una, quantis moles terræ conſtat vicies & bis mille; moles Veneris pars una eſt de terræ partibus 37: Mars autem æqualis eſt terræ dimidiæ & $\frac{1}{8}$: Iupiter æquat terram nonagies quinquies; Saturnus nonagies ſemel; fixarum maxima quæq; centies ſepties. Ex harum autem dimenſione deducitur etiam dimenſio reliquarum. diverſæ enim earum magnitudines diſtributæ fuerunt in claſſes ſex: ideoque earum, quæ

ſecundæ

secundæ magnitudine, singulæ æquantur terræ nonagies; classis tertiæ quælibet bis & septuagies; quartæ classis quæq; quinquagies quater; quintę magnitudinis singulæ tricies ter: sextæ magnitudinis stellæ, scilicet minimæ omnium, quæ sub conspectum positæ mensuram admittunt, terram decies octies mole exæquant.

Atque ita ostensum fuit corporum, quæ in mundo existunt, maximum esse Solem; magnitudine secundas esse fixarũ maximas quindecim: tertium esse corpus Iovis; quartum Saturni: quinti ordinis esse stellas fixas reliquas secundum suas classes: magnitudine sextum esse corpus Martis; septimum terræ; octavum Veneris; nonum Lunę; & decimum Mercurii.

CAP. XXIII.

Quid accidat discriminis inter stellam quamque & ejus in Zodiaco gradum, quando ipsa transit cœli medium, oritur, vel occidit.

EXponamus hoc loco, quæ contingat differentia inter stellæ transitum per meridianum, & inter transitum gradus longitudinis ejus in zodiaco: neque enim necesse est, ut quovis loco stella meridianum contingat simul cum suo gradu: at semper cum eo gradu

transit; qui gradus transitus dicitur. estque ille, quem designat circulus maximus, ductus per stellam, & æquinoctialis polum: circulus verò qui gradum longitudinis definit, ducitur per stellam & polum zodiaci. Ideoque cùm stella existit in principio Cancri vel Capricorni, gradus transitus erit idem qui gradus longitudinis in zodiaco: quia circulus, qui duobus illis locis determinat gradum transitus, convenit cum circulo qui definit gradum longitudinis; incedit enim ille per polos circuli utriusque.

At quando stella alibi consistit extra duo illa loca, gradus transitus à gradu longitudinis discrepat. namque medietate illâ, quæ est à principio Capricorni ad finem Geminorum, meridianum transeunte, polus zodiaci borealis extra meridianum vergit ad occidentem; & polus australis ad orientem. proinde quæcunque stellæ in hâc medietate existunt boreales zodiaco, ad medium cœli perveniunt ante suum gradum; & quæ australes, post eum.

Medietate autem illâ meridianum transeunte, quæ est à principio Cancri ad finem Sagittarii, polus zodiaci borealis extra meridianum consistit ad orientem; australis ad occidentem. & ideo quæ-

quæcunque ſtellæ in hac medietate à zodiaco vergunt ad boream, meridianum tranſeunt poſt tranſitum ſui gradus; & quæ ad auſtrũ, ante eum. Hæc autẽ differentia in iis ſtellis eſt maxima, quæ principio Arietis & Libræ propinquæ exiſtunt. Ita etiam differt gradus ortus & occaſus à gradu longitudinis; præterquam in iis locis, quæ definiemus. In eo tractu, qui climatis ſecundi medio eſt borealior, differentia ad unam vergit partem; ſicuti ipſa gradus tranſitus differẽtia: quia zodiaci polus in hiſce climatibus ſemper eminet ſupra terram. ideoq; ſi ſtella à zodiaco abeſt ad boream; quocunq; loco fuerit, oritur ante ortũ ſui gradus, & poſt eundem gradum occidit; ſi ad auſtrum eſt, poſt illum oritur, & ante illum occidit. Hæc autem differentia exiſtit maxima, ad ortum quidem in Ariete; ad occaſum verò in Libra. Si ſtella in principio Cancri vel Capricorni fuerit, utræq; differentiæ in ortu & occaſu æquantur.

At in eo tractu, qui ab æquatore extenditur uſque ad ſecundi climatis medium, differentia contingit bifariam: quia ibidem polus zodiaci boreus non perpetuò appâret; ſed ortum obtinet & occaſum. In æquatore quidem polus oritur & occidit cum principio Capricorni: at in locis ultra

æqua-

æquatorem ortu & occaſu diſcrepat; nam ante principium Capricorni oritur, & poſt illud occidit; duorumq; graduum ortus & occaſus diſtantiæ ab eodem Capricorni principio ſunt æquales.

Proinde in locis hiſce, ſiquidem polus zodiaci ſupra terram extat, res ſe ita habet, uti de alio tractu diximus: nempe quæcunque ſtellæ ſunt boreales, oriuntur ante ſuum gradum; quę auſtrales, oriuntur poſt eum. ſimiliter, quæ occidentium boreales, poſt gradum ſuum occidunt; quæ auſtrales, ante eum. Si verò polus zodiaci ſub terra latet, contrà accidit: quæcunque earum boreales ſunt, poſt exortum gradus ſui oriuntur; quæ auſtrales, oriuntur ante eum: & pariter, quæcunque ex occidentibus ſunt boreales, ante gradum ſuum occidunt; quæ auſtrales, poſt eum. Si autem oriatur ſtella cum ipſo ortu poli, (quod non contingit, niſi in iis quæ ſunt inter principium Libræ & finem Sagittarii, gradus ortus convenit cum ipſo gradu longitudinis: ita quoque ſi ſtella occidat unà cum occaſu poli, quod fieri nequit niſi in iis, quæ ſunt inter principium Capricorni & finem Piſcium,) gradus occidens idem eſt cum gradu longitudinis: quia horizon in utraque diſpoſitione tranſit per polum zodiaci & per ſtellam.

CAP.

CAP. XXIV.

De stellarum habitu in oriente & occidente; eorumque occultatione sub radiis Solis.

DIcendum hoc loco; quî se planetæ habeant in oriente & occidente; & quî fulgore Solis occultentur. Cum itaque motu suo Saturnus, Iupiter & Mars Sole tardiores sint, contingit ut si illorum aliquis Solem præcedat; Sole ad ipsum appropinquante, vespertino tempore conspicuus appareat in occidente; eôq; occidentalis dicatur: donec cooperiatur radiis Solis. Quando verò Sol incessu planetis iisdem antevertit; ipsi è radiis Solis egressi, tempote matutino apparent in oriente: atque hinc orientales nominantur. Ex hisce igitur planetis unusquisq; occasum habet horis vespertinis; ortum verò matutinis.

At Venus & Mercurius ortum atque occasum sortiuntur & horis matutinis & vespertinis; quia uterque cursu est velocior Sole. cum itaq; alteruter prope Solem est, & cursu directus; prævertit Solem, atque è radiis emergit: ac proinde in occidente contingit ortus ejus vespertinus: donec attigerit digressionem à Sole maximam. tunc

planeta motum remittit, atque ſub radios Solares revertitur; & eapropter in occidente obtinet occaſum veſpertinum. cùm autem Sol à Venere vel Mercurio longiùs abſceſſit, tunc ipſi ex radiis rurſus emergunt, atque in oriente ortum obtinent matutinum: donec à Sole quam maximè digreſſi curſum accelerent, & aſſequatur Solem: ideoque in oriente contingit matutinus eorum occaſus.

Sed Luna, quia curſus celeritate Solem vincit, & retrocurſus expers eſt; Solem inſequitur: & propterea in oriente manè occidit. Solemque tranſgreditur:atq; ita in occidente veſperi oritur.

Quod verò ad ſtellas fixas ſpectat, initio hujus libri expoſuimus ut ſe habeant illæ, quæ polo ſeptentrionali propinquę ſunt. hæ quidem in climatibus ſeptentrionalibus ortu carent; quantoq; major eſt climatis in ſeptentrionem diſtantia, proindeq; poli ſupra horizontem elevatio magis augetur, tanto plures ex iis ſtellis in illo climate ſunt, quibus nullus eſt occaſus. tales in climate quarto exiſtunt Giudda, Farcadân & Benât-naax. Ac ſimiliter quæ hiſce ſtellis ad meridiem oppoſitæ ſunt, iis nullus omnino contingit ortus. Tum etiam quæcunque ex ſtellis fixis occidunt in tra-

ctibus

ctibus ultra secundum clima sitis, & borealem à zodiaco latitudinem insigniorem obtinent, haud occuluntur radiis Solis; propterea quod super terram diutius morantur: & siquando Sol illarum gradũ obtinet, ipsæ ante Solem oriuntur & post eum occidunt. si quidem stella consistit prope Cancri vel Capricorni principiũ, æquali tempore & Solem in ortu præcedit, & eum in occasu consequitur. Quæ verò stellæ fixæ existunt in zodiaco, aut prope eum ad utramvis partem; demerguntur sub radios Solares vesperi, & in oriente emergunt manè. sicuti in Saturno, Iove & Marte ostendimus.

Tempora autem per quę sub radiis delitescunt, diversa sunt, pro corporum ipsarum magnitudine, & pro latitudinum diversitate. Si enim latitudo sit borealis; tempus occultationis brevius; si australis, tempus est longius. Quæ à zodiaco ad austrum distat longiùs, ei tempus moræ supra horizontem est brevius; & siquando Sol versatur in ejus gradu, oritur post Solem, & occidit ante eum: ita ut ortum & occasum sortiatur interdiu, qui conspici nequeant. quantoque distantia illa à zodiaco in austrum major est, tanto occultationis tempus est prolixius. Ita se Canopus ha-

 bet:

bet: namque in principio climatis quarti sub Sole latet mensibus quinque; ortumque & occasum obtinet interdiu, ita ut sub aspectum non cadat. Quod si stella principio Cancri & Capricorni propinqua sit; eodem etiam tempore à Sole in ortu retrò linquitur, quo eundem in occasu antevertit: ut quoque idem Canopus, utpote qui existit in fine Geminorum.

Mansionibus Lunæ circa Solis ortum peculiaris convenit exortus & occasus. exortus quidem, cùm stella è radiis Solis profert se; ita ut manè in oriente emergat ante ortum Solis. occasus verò, cùm stella, exorienti stellæ opposita, in occidente eodem tempore absconditur. Ita prima Lunæ mansio, quæ Xartân dicta, exoritur die decimo à fine mensis Nisân; eique opposita, quæ est Gafra, occidit. Deinde post ternos quosq; dies exoritur mansio alia, & opposita occidit, usque ad finem anni.

CAP. XXV.

De novarum Lunæ phaseôn exortu; deque Lunaris luminis incremento ac decremento.

POstquam diximus, quomodo stellæ appareant in oriente & occidente, exponamus quid accidat in Lunæ novæ & cæterorum quinque

quinque siderum emersu è radiis Solis. A Luna itaque initium capescentes dicimus, Lunam collustrari ab incidente Solis lumine; ita ut dimidia corporis ejus superficies, quæ obversa Soli, fulgeat. Quando igitur unà cum Sole est, pars ejus obscura nobis opponitur; quoniam ipsa existit inter terram & Solem. Cùmque progressa, Solem prævertit orientem versus, lumen in ipsa transfertur, pro digressus ipsius quantitate; ita ut lumen ab orientali ejus parte recedat, & ad occidentalem accrescat; atq; tunc ad nos reflectatur, figuram visui exhibens arcui similem.

Cum quidem Sol versatur in duobus signis Ariete & Piscibus, tunc fulgoris arcuati extrema duo existunt in situ fere parallelo ad horizontem; quia tunc zodiacus horizonti rectè insistit. cum verò versatur Sol in Virgine & Libra, novæ Lunæ fulgor videtur rectè situs; quia tunc zodiacus inclinationem ad horizontem obtinet maximam.

Quantumque augetur Lunæ à Sole distantia, tantum augetur illa luminis portio, quæ in Lunę corpore secundùm ipsius progressum apparet: donec ex adverso opponatur Soli. tunc dimidia ejus pars tota fulgens nobis obvertitur; quoniam tunc inter Solem & Lunam intercedit terra. De-

inde ipsa oppositum illum locum transit, & Soli ad orientem appropinquat: ideoque dimidius ejus orbis ad nos convertitur secundùm progressus item quantitatem; & pars altera illustrata ad occidentē nobis subducitur: donec ipsa in oriente radiis Solaribus tegatur. Tum prævertit Solem; & in occidente emergit novum fulgorem efferens.

Quando autem Luna existit cursu velocior, ejusque latitudo à zodiaco borealis, parum commoratur sub Solis radiis, quo in conspectum veniat: & fieri potest, ut ad finem mensis cernatur manè in oriente, & postridie conspiciatur nova in occidente: præsertim ubi illa signa occupat, quæ in sphæra recta oriuntur tardè; ut sunt Gemini, Cancer Sagittarius, & Capricornus. nam simul sumptum utrumque tempus, quod horum signorum ortui & occasui competit in climatibus boreis, exuperat tempus illud, quod convenit ortui & occasui reliquorum.

At quando Luna incedit tardior, & latitudinem obtinet australem, trahit moram sub Solis radiis longiorem: fierique potest, ut per triduum abscondatur, neque appareat; & fulgore micare incipiat die quarto: præsertim ubi in illis versatur signis, quæ in sphæra recta celeriorem habent ortum:

tum : ut ſunt Aries, Piſces, Virgo & Libra. nam utrumque tempus & ortus & occaſus, quod hiſce ſignis in climatibus boreis convenit, conjunctim ſumptũ deficit à tempore ortus & occaſus ſignorum reliquorum. at ſigna quatuor cætera, quæ ſunt Taurus, Leo, Scorpio & Aquarius, tempora ortus & occaſus, ſimul conjuncta, habent prope æqualia ſuis in zodiaco partibus.

Quantitas autem diſtantiæ ejus à Sole, quâ definiatur ipſius phaſis, (& quidem juxta medium modum, quem uſurpant tabularum cœleſtium auctores in quarto climate,) talis eſt, ut inter Lunam & Solem in ortu & occaſu intercedant duodecim gradus æquinoctialis. contingit tamen primam phaſin cerni ex intervallo minore & majore. Ex minore quidem, cùm in iis verſatur ſignis, quæ celeriter oriuntur & occidunt, & Lunæ à Sole diſtantia in partibus zodiaci magna eſt; ac proinde lumen in ejus corpore eſt diffuſius: tunc enim conſpici poteſt propiùs, quàm è duodecim graduum intervallo. è majore autem intervallo cernitur, quando ipſa exiſtit in ſignis, quæ oriuntur occiduntque tardè, & Lunæ à Sole diſtantia eſt exigua: tunc enim videri nequit niſi è ſpatio, quod gradus duodecim excedat.

Hujus

Hujus rei proponemus exemplum: Cum Luna, existens in Solis orbita, in climate quarto primùm nasci cernitur; atque inter stellas ambas circa occasum intercedunt conversionis mundanæ gradus duodecim, dicimus inter eam & Solem intercedere de gradibus zodiaci, si quidem ipsa fuerit in Libra, gradus octodecim; si in Ariete, gradus decem. atque ita intervalla ambo in mora æquantur; at ipsum lumen in corpore Lunæ differt fere juxta duplum. In eo etiam climate accidit, ut conversionis mundanæ duodeni gradus distantiam inter Solem & horizontem circa Arietem & Libram majorem efficiant, quàm circa Cancrum & Capricornum; propter arctatas duobus hisce in locis partes conversionis, propterque motus Solaris in iis tarditatem.

CAP. XXVI.

De quinque siderum exortu è radiis Solis.

SIderum vagorum quinq; tria superiora, scilicet Saturnus, Iupiter & Mars, conjunguntur Soli, quando in superiore existunt epicycli parte: atque ideo eorum per signa progressus, & corporum quoque quantitates parum differunt; tempusq; moræ sub radiis Solis

existit

existit longius & brevius, solummodo pro diversa signorum ascensione, diversaque planetæ ipsius latitudine.

At Venus & Mercurius cum Sole conjunguntur in superiore parte epicycli aliquando directi, & in inferiore ejus parte aliquãdo retrogradi: ac proinde morę sub radiis Solaribus differentia major est; propter differentiam latitudinis, differentiam incessus stellæ, & differentiam magnitudinis. Veneri quidem ex differentia signorum, differentiaque quantitatis latitudinis suæ duntaxat (citra differentias reliquas) colligitur accidere, ut (supposita summâ latitudine, quam adhibuit Ptolemæus in magno opere, graduum 6 & ½) quando in Piscibus retrograda est in climate quarto, se abdat sub Solis radiis tantùm per biduũ; donec existat in gradu Solis: ac proinde eo die conspicitur in oriente; utpote disjuncta à Sole. at cùm ipsa est in Virgine, sub radiis Solis commoratur dies sexdecim, antequam in oriente appareat. Mercurio ex duabus illis simul differentiis etiam accidit, ut summam à Sole distantiam obtineat, nempe ad lineam quæ epicyclum contingit, nec tamen ullo pacto conspicuus sit: quæ quidem distantia ecliptica dicitur. hęc ipsa stellę distãtia, si quando

veſpertina, in Scorpione erit; ſiquando matutina, in Tauro.

Diſtantiæ autem, quæ phaſim determinent ratione mediâ, prout eâ utuntur auctores tabularum cœleſtium, hæ ſunt; quando planeta à Sole abeſt in ortu & occaſu (ita ut & in Lunæ phaſi præſcriptum fuit) converſionis mundanæ gradibus, Saturnus 15; Iupiter 11; Mars 17; Venus 7; Mercurius 13.

At verò juxta modum, quem Ptolemæus uſurpavit in hiſce ſtellis tantùm, (neq; enim id ipſum demonſtravit in Luna) diſtantiæ illæ ſumuntur inter Solem & horizontem eo tempore, quo ſtella ſupra horizontem ſubit; quia hoc ſolum intervallum circa horizontes definit lumen Solis (illud nempe quod initio noctis crepuſculum, & in fine noctis diluculum nominant) in omnibus zodiaci partibus ſecundùm unam menſuram. Hunc autem modum ipſe inſtituit in climate medio, nimirum quarto, & exiſtente Sole in Geminis & Cancro; propterea quod eo tempore zodiaci ad horizontem inclinatio mediocris exiſtit, & aër clarior atque ſubtilior eſt. comperitque Saturno quidem convenire partes 11; Iovi 10; Marti 11½; Veneri 15; Mercurio 10. Atque ita, quoad

quoad ſatis eſt, diximus de ſiderum diverſo emerſu è radiis Solis.

CAP. XXVII.

Quæ parallaxis ſeu aſpectus differentia accidat Lunæ, cæteriſque ſtellis vicinis terræ.

HIſce præmiſſis, oſtendamus quæ circa Solem & ſtellas inferiores contingat viſus aberratio ab ipſarum locis veris in orbe ſignifero. Suppono itaque, ſi concipiamus rectam lineam à terræ centro (quod & centrum eſt orbis ſigniferi) ad centrum corporis Lunæ aut planetæ alterius; eam ad orbem ſigniferum productam incidere in punctum, quo ad orbem illum ſtella ſecundùm longitudinem & latitudinem revera pertinet. Quare cùm ſtella vertici capitis inſiſtit, linea hæc eſt una & eadem cum illa, quæ à loco aſpectus noſtri ducitur; efficitque, ut conſpiciamus ſtellam loco ſuo, quem in orbe ſignifero revera occupat. Cùm verò ſtella non eſt ad verticem, duæ illæ lineæ ſunt diverſæ, & interſecant ſeſe in ſtellæ centro; & linea, quæ à loco viſus ad eam exporrigitur, conſpectum noſtrum defigit in locum, qui diverſus eſt à vero loco ſtellæ in ſignifero: ac proinde differentia

inter utrumque locum, deviatio visus seu parallaxis dicitur. estque ea arcus circuli maximi per punctum verticale & stellam transeuntis: qui circulus est altitudinis. Proinde stella à vertice aberit, secundum visionem longiùs quàm sit revera, arcus illius portione. Itaque ex eo quod de parallaxi diximus, quòdque ejus initium sit à verticali puncto, manifestum est parallaxim fieri maximam stellâ existente circa horizontem; propterea quòd deflexus illius angulus tunc major est, quam in aliâ quacunque cœli parte.

In superioribus quidem stellis, quæ nempe consistunt supra Solem, de hac parallaxi haud quicquam deprehenditur; quod ullatenus queat sensu dignosci. Quod quidem ad Solem spectat; neque ejus etiam parallaxis observando animadvertitur. at cùm subducitur ex prævia Solis distantia à terra; summum ejus, quod prope horizontem colligitur, tria sunt minuta. In Venere autem, Mercurio, & Luna parallaxis sensibilis est. præsertim in Luna: nam circa horizontem, si fuerit in orbium suorum perigæo, parallaxis illi accidit unius gradus & 44 minutorum; sin in orbium suorum apogæo fuerit, minutorum 54.

tempo-

temporibus verò eclipſium accidere illi colligimus parallaxin gradus 1, & minutorum 4.

Ut igitur definiamus, quid parallaxeos contingat in motu ſecundùm longitudinem, quidq; in motu ſecundùm latitudinem, ita habendum. Siquando zodiacus, interea dum ſtella cernitur, ſecat verticem, (in eo climate, ubi hoc fieri queat,) ipſaque ſtella conſiſtit in zodiaco; arcus parallaxeos erit zodiaci pars: quia idem zodiacus tunc vicem explet circuli altitudinis. ideoque parallaxis tota erit in longitudine, neque de ea quicquam in latitudinem incidet. parallaxis autem hæc à loco vero in eam verget partem, in qua extiterit ipſa ſtella: adeò ut, ſi ſtella ad orientem ſita fuerit; videamus ipſam conſiſtere ante locum ſuum verum; ſi ad occidentem, videamus eam ponè locum ſuum.

Sed quando zodiacus ad hunc modum, quem diximus, ſe non habet, & circulus polos zodiaci & ſtellam tranſiens etiam incedit per verticem; dum ad ſtellam viſus convertitur, arcus parallexeos quoque erit circuli ejuſdem pars: quia idem circulus tunc loco eſt circuli altitudinis. ideoque parallaxis tota latitudinis fuerit; neque ejus quicquam ſpectârit ad longitudinem. eaque in latitudine

tudine parallaxis etiam in eam deflectet partem, ubi sita fuerit ipsa stella: ita ut, si à vertice ad septentrionem vergat, contueamur ipsam à loco suo vero septentrionalem; si à vertice ad austrum, eam à vero suo loco conspiciamus australem.

Quando horum circulorum neuter (scilicet nec zodiacus, nec illi transpolaris) vertici occurrit eo tempore, quo stella cernitur; parallaxis erit divisa: parte ejus ad longitudinem spectante, parte ad latitudinem. Et similiter, quæ in longitudine parallaxis est, in eam partem verget in quam circulus zodiaco transpolaris deviat à vertice, ortum versùs vel occasum. Quæ autem in latitudine parallaxis est, ad eandem inclinat plagam ad quam zodiacus à vertice deflectit, in septentrionem vel meridiem. Atque ita se habet quæ contingit prospectus differentia.

CAP. XXVIII.

De Eclipsi Lunæ.

IN præcedentibus ostensum à nobis fuit Lunam mutuari lumen à Sole; ac dimidiam corporis ejus superficiem, quæ Soli obversa, esse fulgidam: ac proinde in ejus cum Sole congressu nobis objici dimidium orbē corporis

poris opacum; cùm autem Solem ex adverſo adſpicit, tunc opponi nobis dimidium orbem ejus lucidum. Hîc verò addo, Solem illuſtrare quoque dimidium globum terræ: adeò ut lumen in terræ ſuperficie circumagatur circumactu Solis ab ortu in occaſum; pariterque eandem ſuperficiem ambiat caligo. Et quia Sol terrâ eſt major, neceſſe eſt terræ umbram per aëra protendi coni effigie; & in rotunditate attenuari, donec deficiat: lineam verò, quæ coni umbroſi axis eſt, in eclipticæ jacere plano, ſemperq; dirigi in punctum gradui Solis obverſum.

Umbræ quidem à terræ ſuperficie ad finem uſque longitudo, juxta Ptolemæi dimenſionem, æquat dimidiam diametrum terræ ducenties ſexagies octies; & rotunditatis diameter eo loco, quem Luna in oppoſitione tranſit, continet tantas partes 2 & $\frac{2}{5}$, quanta eſt ipſa Lunæ diameter.

Cùm igitur Luna ad caput vel caudam Draconis acceſſerit expers tantæ latitudinis, quantâ opus eſt ut terræ umbra removeatur ad ſeptentrionem vel auſtrum, ipſa quidem per umbram incedet, terrâ adimente ipſi lumen Solis: ideoque Luna deficere cernitur, uſque dum permeârit umbram: hæc enim movetur motu Solis, quem

Luna

Luna antevertit; ita ut à parte orientali prodeat, allabente ad ipsam Solis lumine.

Cùm verò Luna tempore oppositionis consistit in ipso Capitis vel Caudæ puncto; ita ut nulla prorsus illi supersit latitudo: corporis ejus centrum feretur per centrum umbræ eo loco in orbem ambientis: estque illa eclipsium maxima & diutissima.

At si Luna tempore oppositionis fuerit latitudine prædita, defectio ejus non erit maxima. Nam si quidem latitudo par fuerit excessui semidiametri umbræ supra semidiametrum Lunę; corpus ejus in transitu circulum umbræ continget intrinsecus: ac proinde tota obscurabitur; at citra moram. Siquando autem latitudo ejus fuerit umbræ semidiametro æqualis; corporis ejus centrum in transitu suo stringet circulum umbræ: ac proinde deficiet Lunæ dimidium; eaque obscurata pars in latus verget contrarium, atque latitudo. Quòd si denique latitudo Lunæ æqualis extiterit semidiametris & Lunæ & umbræ simul; corpus ejus in transitu circulum umbræ tanget extrinsecus: ideoque ab eclipsi immunis erit. Atque hæc defectus Lunaris causa est.

CAP. XXIX.

De eclipsi Solis.

QUod ad Solis eclipsin attinet; cùm Luna Soli conjungitur juxta caput vel caudam Draconis, (ita ut careat latitudine, quâ à Solis tramite deviet,) suo inter visum nostrum & Solem occursu Solem nobis abscondet: qui eapropter obscurari videbitur.

Explicandum verò nobis, quæ hîc parallaxis accidat. quamobrem dico; cùm Solis & Lunæ congressus incidit in verum locum Capitis & Caudæ, atque etiam in verticale cœli punctum; amborum planetarum centra simul existere in ea linea, quæ à loco visus ad ipsos ducitur: quia nulla tunc est Lunæ latitudo. ideoq; necesse est in ejusmodi statu deficere totum corpus Solis.

Quod si conjunctio, quæ fit in Capite & Cauda precisè, non extiterit super verticem: non eveniet quod retulimus; propter contingentem tunc parallaxim. Illa autem parallaxis fiet, prout suprà diximus, ad tres diversas partes: scil. aut in longitudine duntaxat: & tum conjunctio visa discrepabit à vera; at visa latitudo cum vera congruet. aut in

O sola

ſola latitudine: & tum conjunctio apparens erit eadem, quæ vera; at apparens latitudo à vera differet. aut in longitudine & latitudine ſimul: & tunc conjunctio & latitudo viſæ erunt diverſæ à conjunctione & latitudine veris.

Ideoq; cùm ſecundùm adſpectum conjunctio fit, & Lunæ à zodiaco latitudo parallaxim habet in partem contrariam, atque conjunctio; ſi quidem latitudo illa ejuſque parallaxis ad duas adverſas partes æquentur, latitudo Lunæ nulla viſui apparebit; centrumque ejus, & centrum Solis conſiſtent in illa linea, quæ à loco viſus ducitur. ideoque Luna rurſus univerſum occultabit Solem.

Cùm autem in eodem ſtatu circulus, per polum zodiaci & Lunam tranſiens, exiſtit ſuper verticem; erit conjunctio apparens eadem atque vera. Si autem circulus ille ſe aliter habeat, conjunctio apparens diſſidebit à vera: fietque ut Luna Soli congruat vel ante congreſſus veri horam, vel poſt eandem.

Si parallaxis longitudinis fiat ad orientem verſus, coitus apparens ante verum continget; ſi ad occidentem, poſt verum.

At ſi latitudo ejuſq; parallaxis fuerint inęquales; amba-

ambarum differentia erit ipsa Lunæ latitudo apparens. at si latitudo & parallaxis ad unam partem fuerint, latitudinem apparentem conflabunt ambæ simul additæ.

Si quidem latitudo visa minor sit dimidiâ diametro Solis, dimidiâque diametro Lunæ simul sumptis; tunc Luna obscurabit partem Solis: eaque pars eclipsin passa æquabit latitudinis defectum ab utriusq; illius diametri medietate. hæc autem eclipsis Solis incidet in eandem partem, in quam verget latitudo visa.

Cùm latitudo dimidium diametrorum æquat, Luna transibit Solem stringendo tantùm, neque de eo ullam obumbrabit partem.

At verò siquando Sol deliquio totus afficitur, haud trahit moram; ita ut Luna facit: propterea quòd corpus Lunæ appâret visui propemodum æquale corpori Solis.

Atque ita ex iis quæ dicta sunt liquet, deficientis Lunæ obscurationem & moram eâdem esse quantitate apud omnes, qui eam quocunque terræ tractu conspiciunt: sed eclipsin Solis se aliter habere; propter ea, quæ in parallaxi eveniunt ob locorum differentiam, è quibus hæc eclipsis cernitur.

Cap. XXX.

Quantum dissideant eclipsium Solarium & Lunarium tempora.

Oportet autem declarare, quanto temporis intervallo eclipsis proximè succedere eclipsi possit; & quidem juxta rationem mediam.

Minimum quidem, quod inter eclipses binas sive Solares sive Lunares intercedit, spatium est sex mensium Lunarium.

Quandoque tamen fieri potest, ut inter binas eclipses Solares aut Lunares interveniant tantùm menses quinque; nimirum siquando contingit menses esse longiores: quales existunt, cùm Sol utrinvis ab orbis sui perigæo versatur in motu suo celeriore; Luna autem in tardiore. In binis quidem Lunæ eclipsibus tantundem refert, ad utram partem ab ecliptica latitudo vergat: at in binis eclipsibus Solis necesse est utrobique Lunæ latitudinem existere ad boream, utique ad hanc partem, & hisce causis concurrentibus fieri potest, ut inter eclipses binas interjiciantur menses Lunares duntaxat quinque.

Ut autem inter eclipses binas intercedant menses septem, oportet menses illos esse breviores:

nempe

nempe ut Sol utrinvis ab orbis ſui apogæo motum ſuum obtineat lentiorem; Luna verò velociorem. Sed hoc ipſum nequit contingere in binis eclipſibus Lunæ. Eclipſibus autem Solaribus hoc accidit in climate quarto, & in iis locis, quæ ulterius ad ſeptentrionem excurrunt: eâ tamen lege, ut latitudo ab ecliptica ſpectet in ſeptentrionem. Ajo etiam fieri non poſſe, ut Sol deliquium patiatur bis eodem menſe in eodem loco: neque etiam hoc unquam poſſe contingere in duobus locis diverſis climatum borealium. qnandoque verò hoc contigerit in duobus locis ab æquatore disjunctis, uno in partem borealem, altero in auſtrinam. Atque ita de Solis & Lunæ eclipſi diximus, quantum ſufficiat favente Deo Opt. Max. cujus nos benignitate adjuti finem ſcripti hujus implevimus. pro eo autem ſit:

DEO LAUS ET GLORIA.

IACOBI GOLII

IN

ALFERGANUM NOTÆ.

PAG. 1. lin. 2. الفرغاني *Alfergani* ſeu *Alfragani.*] Ita pro conſuetudine receptâ effero: aliàs Ferganenſis dicendum. Patria enim Autoris Fergana fuit, in Sogdianis urbs & provincia: de qua notas vide ad cap. IX. Plures fuiſſe Ferganenſes eruditione claros, teſtis eſt in ſua Geographia Abulfeda: & quoſdam in Theſauro Geographico memorat Jacûtus Hamatæus, nec non Ibn Cafta in Philoſophorum Hiſtoria. Hic tamen noſter gentili nomine, tanquam proprio, ita appellatus fuit: uti ex ipſa manuſcripti codicis fronte, multiſque, à quibus allegatur, autoribus liquet. Eum, ut præſtantem doctrinâ & arte virum, celebrat Abulfergius in Scriptorum veterum & recentiorum catalogo: atque ob perſpicuam puramq; dictionem commendat Ibn Cafta. Qui eum, ſecus atque alii, Ahmedem vocat; uti quoque vetus Latina verſio habet, Chriſtmanno teſte: ſed utrunque nomen, ut unius ejuſdemque eſt ſignificationis; ita promiſcuè tribui ſo-

let uni & eidem viro. atque ita Speudopropheta Muhammed etiam appellatus fuit Ahmed. Præter Isagogen hanc edidit noster librum في الرخات; ut quæ in marmore describi solita, *de Sciatericis* sive *Horologiis*: prout ambo illi autores, & alii testantur. Alium quoque, ut Muveidînus Afer in libro de Astronomorum erratis refert, commentarium scripsit كاملا ومبرهنا في عمل الاسطرلاب *absolutum & apodicticum, de Astrolabii descriptione & usu.* Arithmeticæ quoque, & calculi Astronomici solertiâ adeò excelluit, ut vulgò الحاسب *Computator* cognominatus fuerit: quod nomen & in prima nostri codicis inscriptione occurrit. De ætate ejus haud quicquam certi compertum habeo: nisi quòd Abulfergius ille conjecturæ probabili locum facit, cùm Alferganum inter alios Mathematicos recenset, qui circa Almamonis tempora scripserunt. Imperatorem autem hunc obiisse anno Christi 833. ex Historia Saracenica, atque aliis constat. Certè Almamonis observata Autor ipse refert cap. v. & VIII. & Ibn Jonis Ægyptius in Tabulis Hakimicis (quas Hakimo, Ægypti regi, condidit & dicavit) ubi de maxima Solis declinatione differit, observationem Almamonis profert ex Alfergani Astrolabio: ac si ille inter primos fuisset, qui illam vulgâssent. At Ibn Jonis illa scripsit, uti ex pluribus ejus libri locis patet, circa annũ Christi 1000. Quare hoc saltem indubitatum fuerit, Alferganum intermedio vixisse tempore.

Lin. 5. العجم *Barbarorum* seu *Exterorum*.] Ita Arabes vocant populos omnes, quorum sermonem proprium non intelligunt; prout & Græcis ac Latinis Barbari dici solent. inprimis autem hoc nomine sibi vicinos notant: nam Arabes Africani per العجمية, *Barbaricam* seu *Peregrinam*,

nam, designant Latinam linguam vel Hispanicam; Asiatici Persicam, Syriacam, &c. Ita noster innuit hîc Arabibus vicinas gentes, aut suo tempore iis permixtas; præcipuè Syros, Græcos, Ægyptios, Persas: qui imperio & rerum cœlestium scientiâ quondam floruerant. Et licet plerisque ipsorum Alfergani tempore Arabica lingua multo commercio & usu facta esset quoque vernacula; suam tamen anni formam, suaque usurpabant mensium nomina: sicuti etiam retinent hodie. præsertim qui ad Arabum religionem, nempe Muhammedicam, à sua non defecerunt. Arabes enim soli, in civilibus æquè ac sacris, annũ observant Lunarem; reliqui illi populi Solarem: nisi quòd Judaica sacra ad Lunę quoq; cursum exigenda sint. Cùm verò duos hosce annos inter se componere & conciliare sit difficile, proprium Kalendarium gentes illæ servant. Eo & subinde Arabes utuntur, cùm colendæ terræ, navigandi maris, aliarumq; rerum tempora respiciunt, quę à Solis motu pendent. Alferganus quidẽ Chronologica elementa Astronomicis, quæ de motu sunt, pręmittit, velut mensurarum rationes mensurandis rebus: pluriumque gentium tempora recenset, ut tum ipse, tum alii Astronomi doctrinâ suâ quamplurimis prosint.

Lin. 8. المحرم *Muharram, &c.*] Hæc nomina imposita fuere & usurpata ab iis Arabibus, qui العرب المستعربة, velut *adscititii Arabes & secundarii*, nominati sunt. tales Ismaëlitæ habiti, quiq; aliunde quàm à يعرب بن قحطان, *Iarabe filio Cachtâni* (ירח בן יקטן habent Sacræ Literæ Gen. cap. x.) originẽ ducerent. Hic est, qui ابو اليمن *Arabiæ felicis pater* cognominatus fuit: cujusq; tribus & posteri العرب العاربة *Arabes genuini* dicti sunt; & annum in XII. menses di-

ſtinxêre nominibus hujuſmodi, موتمر ناجر خوان صوان رتما ايدة اصم عادل ناطل واعل ورنة برك 1. *Mutemer*, 2. *Nagir*, 3. *Chavan*, 4. *Savan*, 5. *Ritma*, 6. *Ida*, 7. *Aſam*, 8. *Adil*, 9. *Natil*, 10. *Vaïl*, 11. *Varna*, 12. *Burec*. Hæc nomina ſuo ordine reſpondent Arabum menſibus nunc receptis; extantq; illa apud Meſûdem, & Nuveirium in præſtanti opere, quod inſcripſit نهاية الارب في فنون الادب & Literaturæ Arabicæ Bibliothecam appellare licet. Eorundem autem nominum uſus circa Arabici imperii auſpicia prorſus obſolevit. Nam multò etiam antè, ut Meſûdes & alii docent, Kelabus filius Morræ (Muhammedis Pſeudoprophetæ tritavum faciunt) à certis rebus, quæ in menſem quemque ejus anni, quo mutationem hanc moliebatur, fortè incidiſſent, nomina, nunc vulgata, indiderat, eorumq; poſtea uſum Muhammedes etiam religionis lege ſanxit, ut hâc quoque teſſerâ ſui aſſeclæ ab Arabibus cæteris diſcernerentur. Antequam verò menſium illa accidentia & nominum cauſas declarem; notandum menſes Arabibus antiquitùs fuiſſe quatuor حرم *vetitos* ſeu *ſacros*, quibus bellum eos inter ſeſe gerere communis quædam religio vetabat; & cæteros حلل *liberos*, ac velut *profanos*. De iis القزويني في عجايب المخلوقات *Cazvinius* in libro *De admirandis creatarum rerum*, ſive *Hiſtoria Naturali*, ita ſcribit: كانت العرب في الجاهلية في هذه الاشهر تنزع الاسنة عن رماحهم وتقعد عن شن الغارات وكان خايف فيها يامن اعدايه حتي اذا ان الرجل لقي قاتل ابيه او اخيه لم يتعرض له بشيء يوذيه ، *Hiſce*, inquit, *ſacris menſibus Arabes*, *vigente adhuc Paganiſmo*, ſeu ad verbum *ignorantiæ tempore* (quo nomine Muham-

Muhammedani vocant tempus quod Religionem ſuam præceſſit) *ſpicula eximebant haſtis, & excurſionibus abſtinebant. Eo tempore, quicunque ab hoſte metueret, ſecurus tutusque degebat: adeò quidem, ut ſi quis patris ſui aut fratris percuſſori occurriſſet, haud quicquam illi inferre poſſet mali.* Magnũ profectò humanioris Genii in illa gente argumẽtum. Quę cum propter diverſarum tribuum principatus, & juris tuendi ſtudium mutuis bellis obnoxia eſſet; ferventem animum temperare pietate & ſtatis induciis didicit. Menſis primus Muharram dictus, لحرم القتال فيه ait Gieuharæus in linguæ Arabicæ Theſauro, *quia illo menſe*, quem موتمر veteres vocabant, *pugnare prohibitum eſſet.* Primus ejus dies, utpote anni caput, ſolennis erat felicis Arabiæ regibus, feſtivitate & munificentiâ celebratus. Qui ritus Perſis etiam, ac pleriſque aliis Orientalibus antiquiſſimus: atque etiam hodie obſervatur; ſed ſtato fixoque tempore, ſcilicet Æquinoctii verni.

Lin. 9. الصفر *Sepher.*] A re fere contraria etymon hic menſis habet ac Muharram, لان الرباع كلها كانت صفرت عن اهلها لانهم خرجوا للقتال في انقضاء الاشهر الحرم inquit Cazvinius, *quia* Arabum *ſedes tunc incolis vacabant; ut qui menſibus ſacris terminatis ad prælium exiviſſent.*

شهر ربيع *Menſis Rabîa.*] Menſibus tribus, III. IV. & VI. & juxta doctiores Arabũ etiam VII. ipſũ nomen شهر præfigitur. Eſt autem, Gieuharæo teſte, ربيع apud Arabes duplex; altera tempeſtatum, altera menſium. Nam annũ olim diſtinguebant Arabes in partes ſex; quæ ſunt I. ربيع الاول *Proventus prior*, nempe herbarum, florum & tuberum; II. صيف *Æſtas*; III. قيظ *Æſtus*; IV. ربيع الثاني

 Proven

Proventus posterior, qui fructuum est; v. خريف *Autumnus*, seu potius *posterior ejus pars*; vi. شتاء *Hyems*. Est itaque ربيع الازمنة *Rabîa tempestatum* illa, de qua nunc dixi. Eodem autem hoc nomine Arabes quoque signârunt secundum & tertium anni mensem, لانهم كانوا يخصبون فيه والربيع الخصب, ait Nuveirius, *propterea quòd tempore illo, quo utriusque mensis nomen mutatum volebant, fœcundâ fruerentur annonâ: hoc enim Rabîa denotat.* Sunt itaque duobus anni Lunaris mensibus, duabusque anni Solaris tempestatibus similia quidem nomina; sed tempora & series diversæ. atque hoc ipsum est, quod Gieuharæus innuit.

جمادى *Gumâda.*] لجمود الماء فيه لبرده *quia illo mense aqua frigore constricta fuit.* quod cùm in illo climate esset insolens, hoc nomine mensis insignitus fuit. Ideo autem mensem utrunq;, Rabîam & Gumâdam, nomine geminatum puto, cùm uterq; & *prior*, & *posterior* dicitur; vel quòd utriusque illius rei tempus, unde nomen petitum, longiùs fuit protensum: vel quòd Arabibus placuit imitari hâc parte Syros; qui idem faciebant in mense Tixryn, & mense Canon, quibus Rabîa & Gumâda tunc fortè respondebant.

Lin. 10. رجب *Regeb.*] &, ut doctiores pleriq;, شهر رجب *mensis Regeb*, لترجيبهم وتعظيمهم له *propter reverentiam observantiamque illi* mensi exhibitam; ita ut Mesûdes, Nuveirius, Cazvinius, aliique multi testes sunt. Erat enim hic ex mensibus sacris, qui olim induciis dicati, unus; &, prout Arabes referunt, religiosissimè quondam observatus præ tribus reliquis: ideoque شهر الله *mensis*

mensis Dei; & اصم *Surdus* dicebatur, utpote quo nihil audiretur strepitus bellici. Vel, ut nonnulli volunt, لان العود رجب النبات فيه *quia eo mense*, nimirum cùm nova imponerentur nomina, *arbores novo germine frondescebant*: atque ita mensem proximè sequentem شعبان *Xabân* fuisse nominatum iidem ferunt, لتشعب العود *ob ramorum propaginem.* Ambo autem simul sumpti رجبان *duo Regeb* dicuntur, vel propter utriusque etymi similitudinem; vel quia hoc ad *αὔξησιν* quandam Arabibus facit: ut quoque العراقان *Assyria & Media*, الحرامان *Mecca & Medina*; aliaque nomina Dualia.

شعبان *Xabân.*] Jam exposita nominis causa fuit ex Arabum quorundam sententia. autores tamen alii, suprà nominati, afferunt aliam: لان القبايل تشعبت فيه للغزات *quòd Arabum tribus eo mense in cohortes distributæ fuerint, belli gerendi gratiâ.*

شهر رمضان *Mensis Ramedân.*] Ita dictus, juxta communem Arabum consensum, من رمض وهى شدة وقع الشمس على الرمل وغيره فيه, *ab ardore Solis, qui labente illo mense arenas & alia exurebat.*

Lin. 11. شوال *Xavâl.*] لشولان الابل باذنابها فيه من شهوة الضراب, ut Mesûdes & alii docent, *quòd hoc mense cameli quatiebant caudas præ feriendi cupidine.* Libidinis œstrum hîc intelligunt fere omnes, quo cameli efferantur & in obvios sæviunt; sicut & Aristot. lib. VI. de Animal. histor. notat. Sed hoc ipsum sub initium Hyemis contingere Leo Africanus lib. IX. observat; ubi Latinus interpres ex Italico perperam transtulit *Veris*, vocis affinitate

nitate deceptus: & Kalendarium Ægyptiacum ابعداء هيجان الابل والافيال *primum illum camelorum & elephantorum impetum*, refert ad XXXVI. mensis Ægypt. Athyr, seu XIX. Novembris Juliani. cùm tamen rerum hactenus enarratarum ordo arguat mensem Xavâl æstati fere mediæ congruisse. At hâc etiam eâdem tempestate camelos sæpe efferari, à rerum istarum peritis accepi. vel quatiendi caudas ea fortè causa fuerit, quòd illo tempore camelos vespis, vel revera œstro infestari contigit; aut potiùs certo pruriginis & morbi genere, quo jumentum laborans المدبوب, quasi *à muscis punctum*, Arabibus denominatur.

ذو القعدة *Dulcâda.*] Quia, ut memorati scriptores ajunt, يقعدون فيه من الحرب والغزات *Arabes tunc bello & excursionibus supersedebant*, quippe hoc mense illicitis.

ذو الحجة *Dulhagia.*] Quasi peregrinationis Meccanæ mensem dicas. Nam Arabibus olim solennis mos erat, adire templum Meccanum, quod proprio nomine ob quadratam formam الكعبة *Caba* illis appellatum fuit, & celebrare عيد الكبير *Festum magnum*, quod & عيد القربان *Festum Oblationis* dicitur; nempe X. hujus mensi die. Et quia intra territorii ejus septum nullum prorsus animal necare licebat, dictum illud fuit حمي الله *Præsidium Dei*. Ipsum autem Templum, quod & بيت الله حرام *Domus Dei Sacra* vocatum, certis conversionibus obibant, aliaque ibi & in vicinis locis peragebant sacra; quæ ab Abrahamo quondam fuisse instituta jactant: sed quę ad Ismaëlem potius referenda fuerint. Religiosa hęc ad Cabam peregrinatio, atq; ipsa ejus sacra, peculiariter

الحجة

ألحجّة Albagia dicta sunt;nomine,quod Ebræis,& Arabibus aliàs *Festum & solennem festivitatem* generaliter notat: talem tamen,ad quam publicus undiq; fit confluxus. quemadmodum & حج idem valet quod قصد *aliquò contendit*. Ea itaque Meccani sacri solennitas mensi, in quem incidebat tunc cùm appellatione novâ menses signarentur, nomen dedit. Eandemque Muhammedes, vaferrimus fingendi imperii artifex,suâ quoque lege sanciendam putavit: ut anniversarii & communissimi hujus ritus observatione, atque immunitatibus, quibus à multo ævo Mecca propterea fruebatur, & Arabes & alias gentes ad patriam suam, atque ita faciliùs in nassam pelliceret. Falsum itaque quod vulgò creditur, Meccam quotannis adeundi causam esse sepulchri Muhammedici reverentiam. neque verò hoc Meccæ existit, sed Medinæ. Vt autem anniversaria hæc tum sacra, tum peregrinatio ipsa tutò ac securè fierent, mensis hic, præcedens etiam Dulcâda, & sequens Muharram pace & securitate publicâ sacri erant. Et quia tres illi inter se continui, السرد dicti fuerunt: quemadmodum hieromenia quarta Regeb, quia disjuncta, فرد appellata fuit. dicuntur verò Arabibus اشهر معلومات *Menses noti* seu *definiti*, quorum in Corâno Sur. 2. mentio fit, Xavâl, Dulcâda & Dulhagia.

PAG. II. lin. 2. [بالحساب المطلق وهو الجليل] المطلق numerus quidem ille *absolutus* dicitur, qui partibus liber est: qui non est, المكسور *fractus*. الجليل verò *celebris* & *vulgatus* est: sed & *grossus* ac *rudis*, opponiturque دقيق τῷ

 subtili

subtili & *exacto* : ita in adagio مَـا لَهُ دِقٌّ وَلَا جِلٌّ *nec illi exactum quid, nec rude est*; quo hominem stolidum, & bardum notant. atque etiam جلل Gieuharæo exponitur هين ويسير *facilis & expeditus*. Utraque significatio hîc locum habet. talem enim hîc temporum supputationem Autor intelligit, quâ dies colliguntur duntaxat integri, nullâ habitâ horariarum appendicum ratione: quæque, ut Ibn Jonis inquit, مستعمل في اكثر الامر *plerunque usurpari solet*. At verò الوجه الدقيق *modus exactior & subtilior* obtinet, ut idem ait, عند ارادة النقص وفي معرفة الاجتماع والاستقبال بالحركة الوسطة *ubi quod rudiori calculo deest expetitur, & in conjunctionis ac oppositionis juxta medium motum investigatione*.

Lin. 6. وخمس وسدس *Et quinta & sexta pars.*] Ita Arabes subinde loquuntur, & noster autor ferè semper: quod etiam Græcis familiare fuit. Quia enim notatio partium & numeratio per Alphabeticas notas illis intricata erat & difficilis; solebant ipsi (quod apud Ptolemæum, Heronem, Eutocium, & alios videre licet) partes illas, quarum numerator unitate major, in alias plures ita resolvere, ut communis omnium numerator esset unitas. ita Geminus scribit accuratũ mensis spatium esse ἡμερῶν κθ′ $\frac{\alpha}{\beta}$ $\frac{\alpha}{\lambda\gamma}$ *dierum* 29, $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{33}$: alii notarent hasce partes β″ ϫ λγ″. Cùm verò nec illa resolutio numerandi molestiam tolleret; ob res Astronomicas inprimis, ubi partium particulæ minutatim subinde computandæ sunt, sexagenaria Logistica introducta fuit. Ejusmodi partium singularium numerum, ex. grat. quintam cum sexta, Arabes

الكسر

الكاسر المركب *partem compositam* vocârunt, qualem noſter autor paulò pòſt intelligit: earum autem aggregatum, ex. gr. undecim trigeſimas الكسر المكرر *partem ſæpius ſumptam.* Et licet Arabes poſt acceptas ab Indorũ Philoſophis decẽ illas notas Arithmeticas, (الرقم الهندي vocant) quibus & nos, ab iis edocti, hodie utimur, partium numerationem habuerint longè expeditiorem, nec reſolutionis illius indigam; pro veteri tamen illa conſuetudine loqui nonnunquam malunt.

Lin. 7. يتجبر] جبر العظم Arabibus idẽ eſt, inquit Gieuharæus, quod اصلحه من كسره *os fractum repoſuit & ſolidadavit*, ſeu *in integrum reſtituit.* quia itaque partes unitatis Arithmetici كسور *fractiones* ſeu *fragmenta* vocant, rectè quoque earundem in unitatem integram coalitus اجبار dicitur. Hinc & vulgatum illud nomen *Algebra* الجبر Analyſin Mathematicam notat: utpote cujus præcipuum munus ſit, comparationis terminos reducere ad optatam æquationis formam; & ſpeciatim eorundem partes ad integros redigere. Sed quia ad ſupplendum anni Lunaris defectum Arabes menſem Dulhagiam, qui per ſe cavus eſt, ὑπερήμερον & plenum faciunt, & quidem tricenis quibuſque annis undecies; nimirum quotieſcunque partes excreſcunt ſupra dimidium diem; præſtat illa autoris verba التي يتجبر فيها هذا الكسر, generaliùs vertere, *in quo fractio illa reparari poteſt.* Hoc ipſum apud illos fit anno 2, 5, 7, 10, 13, 16, 18, 21, 24, 26, 29, juxta vulgare illud بهز يجوح ادوط كبايس العرب: ubi tres primæ voces literis ſuis numeros jam definitos, vel integros, vel denario majorum notas ultimas repræſentant. كبايس au-

tem πληρώματα & *supplementa* denotat; كبس enim *implere* & *supplere* est: ita vocant Astronomi dies omnes, quicunque anno adjiciuntur aut inseruntur ad supplendum ejus defectum. Arabum tamen nonnulli annum 15 pro 16 accipiunt; quippe qui etiam tunc Dulhagiam die uno auctum iri volunt, cum excrescentes illæ partes cõponunt semissem: quod quidem contingit anno xv. Eorundem autem numerorum series ducitur à primo anno Higræ: de qua Epocha mox dicetur. Ante hanc Arabes suos menses putabant à Phasi, tàm civiles, quam ecclesiasticos: & veluti nunc intercalares illis sunt anni civiles; ita tunc erant ecclesiastici. Nam, ut cõfluentibus ad Meccani templi solennia peregrinis cõsuleretur, mensis Dulhagja, qui aliàs vagabatur per omnes tempestates anni, injecto fręno cohibitus fuit, & defixus in autumno; quippe qui ob aëris temperiem & annonæ copiam videbatur commodissimus. Biennio igitur quoque vertente intercalabant mensem, quo Lunaris annus ad Solarem exæquari posset. Qui fere & Judæis mos est, & quondam Græcis, ac etiam Romanis fuit ante Julianam anni constitutionem. Embolismus ille Arabibus peculiari nomine dicebatur النسيء, quod *producendi* & *retardandi* significationem habet: ita enim annus vertens protrahitur, ac differtur sequens. Eumque intercalarem mensem Pontifex solenni formulâ indicebat, انسا انسا لكم في هذا السنة شهرا, *Intercalo ego vobis*, vel *intercalandum præcipio hoc anno mensem*: ut nẽpe finito mense Dulhagja illum superadderent; & tunc annum ecclesiasticũ exorsi tempus ordine subducerent ad festũ Dulhagjæ proximũ. Ita fiebat, ut computi civilis menses devolverẽtur per computi hujus

hujus ecclesiastici menses omnes. Qui tamē intercalandi mos Muhammedicâ lege antiquatus fuit: quasi solennia illa sacra ad Phasin exigenda essent, & per omnes transferenda anni tempestates. Vnde in Corano est, ان النسي زيادة في الكفر *Equidem temporis illa protractio*, sive *anni dilatio ἀσεβείας magna est*. Hæc quidem pluribus refert Cotbodinus (العلامة الشيرازي *Philosophus Xirasita* absolutè dici solet) in libro, quē inscripsit تحفة الشاهية في علم الهيئة *Donum Regium*, nempe, *de doctrina Sphærica*.

Lin. 9. بالحساب الصحيح *ratione subducta.*] vel divisim, *ita secundum calculum se habet, rectè subductus, &c*. Mensem alium الحقيقي والطبيعي *Verum & Naturalem* vocant Arabes; alium الاصطلاحي *Artificialem*. Ille est tempus, quo Luna à phasi aliqua ad eandem, vel ab una conjunctione ad alterā revertitur. Quemadmodum enim Sol propriè annum facit: ita Luna mensem. indeq; est, quòd Hebræi, Græci, Persæ, Tatari, & pleræq; gentes aliæ eodem nomine & Lunam & mensem denotant. Hujus autem spacium evidentibus maximè signis, nempe mutatâ ipsius Lunæ facie, in omnium oculos incurrit. quare etiam شهرا vocârunt Arabes; quia *illustre* & *manifestum*: nisi quis hoc velit deducere à סהרא, quod Chaldæis notat *Lunam*. Hi itaque menses, *Veri & Naturales* meritò appellati sunt. Sunt autem ipsi duplices; alii, & quidem vulgatiores, بالشرعة *Lege* constituti sunt, atque in ea obtinent; alii بالحساب *calculo* constant. In obeundis sacris vix alia Muhammedani spectant tempora, quàm quæ certa & explorata esse possunt omnibus: quamobrem

qui ad ea ſeſe componunt, اهل الظاهر dici ſolent. Facilis illa & expedita notatio viſu fit; quo diverſi Lunæ habitus, & varia internoſcuntur tempora. Atque ita cùm primus novæ Lunæ, velut renaſcentis, apparet ſplendor, novi menſis initium eſt. ſin verò Lunam circa tempus hoc diutiùs latere contingat, ad diei trigeſimæ finem menſis producitur, & cum eo termino novus menſis principium capit: tunc enim Lunam jugi terminum tranſiviſſe certò conſtat. De eo السنة *Sunna* (quæ apud Arabes nomine, uſu, & autoritate reſpondet τῷ משנה Judæorum; ut (القران τῷ מקרא) ita præcipit; ادا غم عليكم الهلال فاقدروا له ثلثين *quòd ſi novæ Lunæ fulgor* (qui menſis principium ſignat) *vobis occultatur nube, complete triginta dies.* Neque differentia hæc progreſſu temporis modum excedit; quandoquidem corrigitur primo quoque novæ Lunæ conſpectu, qui ſerenioribus illis climatibus rariſſimè negatur. Quia autem phaſeôn Lunarium ratio admodum inæqualis eſt, quemadmodum Autor ipſe cap. xxv. latiùs exponit; non accuratè ſatis menſtrua Lunæ periodus hinc definiri potuit: ſed calculo & ſubtiliore ſtudio ſpacium ab una conjunctione ad alteram inveſtigandum fuit. Ideoque alterum hoc menſis *Naturalis* genus exactius ad Aſtronomos, & اهل الحساب *Computiſtas* pertinere dicitur. Sed cùm in ſupputando tẽpore & motu menſuram æquabilem, unam, certamque, & numero abſoluto facilem eſſe oporteat, periodi autem Lunaris quantitas talis non ſit; arte quâdam & convenienti methodo, qualem paulò antè Alferganus expoſuit, menſes Lunares ab Aſtronomis & Chronologicis ad uſum concinnati fuerunt. qui *Artificiales*, atque etiam

etiam بالحساب, quasi *calculo & ad calculũ* effićti, Arabibus absolutè dici solent: suntque illi, quos Autor hîc intelligit: quosque etiam in literis, diplomatibus, actisq; publicis, & aliarum civilium rerum præfiniendo tempore Arabes & Turcæ usurpant.

Lin. 15. ايام العرب *Dies Arabum.*] Apud Arabes, uti & Hebræos, Hebdomas dierum ad Creationis memoriam facientium systema & periodus est: ideoque ab ipsa serie singuli Hebdomadis dies nomen habent. ita يوم الاحد *Dies unius* seu *primus* ille est, quo primũ extitit Creationis opus: & eodem modo reliqui. At sextus peculiariter يوم الجمعة *Dies conventus dicitur:* quia eo, utpote sibi sacro, in templum cathedrale convenire solent; quod proinde الجامع *συναγωγὴν* vocant. Illius suæ observationis causam inter cæteras afferunt, لان انه فيه خلق العالم, *quòd eo* (die) *absoluta fuit Mundi creatio.* At hæc absoluta non fuit, nisi finito die: nec gratâ consummati operis memoriâ dies quisquam convenientiùs, quàm sequens, celebrari potuit; quo & ipse Conditor quievit: idque illis satis innuit ipsum ejus nomẽ يوم السبت: nam & Arabicè السبت *quietem* notat. Quondam autem apud العرب العاربة etiam alia, velut propria quędam, obtinuêre septem Dierum nomina. Ea in versibus Poëtæ antiquissimi ex tribu ثمود قوم صالح, cujus priscæ gentis excidii Corânus meminit, ita Hebdomadis ordine consequuntur:

اومل ان اعيش وان يومي باول او باهون او جبار ٥
او المؤنس دبار فان افته فمونس او عروبة او شيار ٥

Spem produco vitæ: attamen Dies meus, i. vitæ finis *futurus die Euvel, vel Bahûn, vel Gebâr.*

Vel

Vel tempus fatale erit Debâr, vel, si hunc excesserit, Mûnis, vel ﻋﺮﻭﺑﺔ Arûba, vel Xijâr.

Innuit Poëta se vitæ spem alere contra mortem certissimam; ut quæ invasura sit, vel die Euvel, quasi *Primo*, aut alio die Septimanæ quocunque.

Pag. III. lin. 3. الروم *Romani.*] Non tam Romanos propriè dictos (quos potius الرومان vocant) quàm Græcos intelligit; uti paulò pòst apparet, ubi Alexandri Magni epocham Romanis propriam facit. Equidem imperii Romani sede Byzantium translatâ, & ipsum novæ Romæ, & Thracia Romaniæ, & Græci Romanorum obtinuerunt nomen. Ita Arabes quoq; vicinos iis locis populos, & qui Bosphoro Thracio, Ponto Euxino, Armenię parte, Amano monte, & Mediterraneo mari, ceu terminis, continebantur, Romanos appellarunt; prout Abulfeda in Geographia sua docet. quin etiam hodie Syri, Ægyptii & Mesopotamii, qui liturgias Græcanicas servant, hoc nomine dicuntur: & modernis Græcis ῥωμαϊκὰ vulgare suum idioma. Græci autem veteres à יון Japheti filio, unde & Jones, اليونان Arabibus ferè semper nuncupari solent. Reliqui autem, qui Romano imperio suberant populi, propriis suis distincti nominibus. Cæterùm quod ab الروم pluralitatis formâ nomen fit الأروام, hodie quidem eos denotat, qui vernaculâ utuntur Turcicâ linguâ: sed tantùm prognatos illis, qui à Gingis Chân circa annum Christi 1202. ad Græcos, vel ab hisce postea ad Othmannos defecerunt, aut durâ tyrannidis lege Græcorũ pueri abducti fuerunt. Hos gentilitium domini sui nomen, cùm Turcæ dicuntur, habere ut vernas, ipsorũ doctiores testantur. Nam gente Turcicâ, nobili illâ & bellicosâ,

bellicosâ, quę ultra Bactrianos, ubi Massagetarum sedes, longè lateque patet, soli in imperio Turcico, ut nos vulgò illud vocamus, Otsmanni, qui illud tenent, oriundi censentur. Reliquorum autẽ stirpes vel confusione cum aliis populis factâ, vel oppressione quâdam, ne plures præ nobilitate se efferrent, ibidem obliteratæ sunt.

Lin. 6. السريانيين *Syrorum.*] Hoc communi nomine quoque designant Assyrios & Chaldæos. Peculiariter autem الخلدانيين *Chaldæos* vocant, qui venerabantur stellas, & Terræ genios. Ita ut hoc non tam gentis nomen illis sit, quàm sectæ: quæ etiam الصابئة والحرانيون *Sabæ*, & *Harranii* dicuntur: quoniam summum tribunal ac primarium templum habebant in Mesopotamiæ urbe Haran, sive Carris. Chaldaicæ verò gentis reliquias, quę tractuum illorum montes occuparunt, الاكراد *Curdos* appellant; quasi *pulsos*, uti autores quidam volunt: sed idem hoc esse nomen puto, quod aliàs الكردانيون & الكسدانيون scribunt, nempe ipsum الكلدانيون *Chaldæi:* neque Curdi illi diversi videntur re aut nomine à Gordiæis; quos sæpe memorant Græci & Latini scriptores.

Ibid. تشرين *Tixryn.*] Quid singula horum mensium nomina denotarint, in ultimæ antiquitatis recessu latet: pleraque tamen spectare Deos existimo, quos Chaldæi colebant: qualia mensibus suis nomina indidêre multæ aliæ gentes. Videtur quidem אדר *Magnus* esse الرب العظيم وهو رب الخير *Dominus*, seu *Deus Magnus*, *qui est Dominus boni*; prout Sabæ ipsi vocant: quibus & alter erat الرب الشمال *Deus lævus.* Pro Haziran Heliopolitanos dixisse ὀζίρ, testis est Theo Alexandrinus libro εἰς προχείρους

χείρους κανόνας: ubi demonſtrat menſes eorum pleroſque omnes nomine & ordine cum Syriacis concordaſſe. neque tantum earundem vocum, Haziran & ὀζίρ, eſt diſcrimen, ut non genti utriq;, diverſimode pronuncianti, una eademq; habita fuiſſe videatur. At dubium, an utrique intellexerint Oſiridem Ægyptiorum, qui ſecundum Græcos eſt Bacchus. Ille enim videtur eſſe Tammuz, quod nomen eſt menſis ſequentis: ſimillima quippe erant Chaldæis & Ægyptiis Dei utriuſq; ſacra & feſta. Ea de re Abulfergius, qui ſolennes Chaldæorum & Sabarum ritus juxta eorundẽ tradita deſcripſit, ita habet: في النصف منه عيد البوقات يعني النساء المبكيات عيد يعمل لتاوز الاله ويبكي النساء عليه كيف قتله ربه وطحن عظامه في الرحا ثم دراها *In medio ejus* (menſis Tammuz) *agitur feſtum Boucât, id eſt, Mulierum ejulantium*, ſive *Baccharum*: (potius *Tubarum* dicendum; niſi ſcribatur, الباكيات) *quod celebratur in gratiam Dei Tam̃uz.* (qui non alius videtur eſſe à Tammuz, quẽ fœminæ planxiſſe dicuntur apud Ezech. VIII.) *Eum verò mulieres deflent, quomodo interfecerit eum Dominus ſuus, & oſſa ejus comminuerit in mola, & poſt diſperſerit.* Deinde extremũ menſis lætitiæ datum, & inter viros ſympoſiis traductum. Quæ non malè quadrant in Bacchum & calcatã uvam: cujus prælo expreſſę ſcapi cum folliculis & acinis abjiciuntur. Poſſunt tamen ritus illi ex doctiſſimi Seldeni aliorumq; mente referri ad Solem: cujus ſymbolum illi ſtatuunt Oſiridem, & Adonim, qui D. Hieronymo aliiſq; Tammuz eſt. Chaldæi enim Aſtrologiæ & Agriculturæ inventa, velut Sacra, in honore habebant, cœli & terræ numinum ſuperſtitioſi cultores. Quod autem occur-

rit

rit lin.13. ايلول, quibuſdam ſcribitur ايلون: hoc autem nomine appellari Saturnum teſtis eſt Euſebius de Præpar. Euang.lib.1. cap.7. Niſi quis malit Ilul eſſe nomen regis Aſſyriorum quarti, quem nonnulli Ilulæum vocant. ita Haziran ſeu ὀζιρ videri poſſet nomen regis tertii, quem iidem autores Chozirum dicunt; pro quo Ptolemæus habet χίνζηρον. Hoc & apud Romanos atq; alios factum, qui in ſignãdis menſibus Imperatorum nomina adjunxerunt nominibus Deorum: eodem ferè ritu, quo illos in horum numerum retulerunt. Curdi, de quibus dixi, eadem ferè cum Syris menſium nomina habent: & quidem deſignantia ipſis, uti ajunt, res tempeſtati cuiq; convenientes. niſi quod pro Eijâr illis ſit Gulân, i. *Roſaceus*, & pro Ab menſis Dabâc, i. *Æſtuoſus*: & pro Eilul quoque Ilun, i. *Aridus*. Illa tamen Syriacorum menſium ſignificata poſterioris eſſe inſtituti exiſtimo, & petita ab ipſo eorundem ſtatu ac tempeſtate. Obſervandũ etiam Curdis iiſdem anni caput eſſe Adar: Sabis, uti & Chaldæis olim fuit, menſem Niſan: Syris ſive Syromacedonibus Tixryn prioŕe;ita ut autor noſter habet Hoſce autem hodie in illis oris ſequuntur Iacobitæ & Neſtoriani: Chriſtiani ſaniores, qui الملكيون *Regii* fuêre dicti, vel quòd faventes ſibi Imperatores habuerint, vel quòd fide, ordine & autoritate cæteris antiſtarent, Græcorum Eccleſiam hâc quoque in parte ſequuti, primum anni menſem faciunt Canon poſteriorem, qui illorum Ianuario reſpondet.

Lin. 28. الروم *Romanorum*] Hanc menſium apud utroſque congruentiam ab eo demum obtinuiſſe tempore credibile eſt, quo Romanis Syri paruerunt. Id quidem ſatis convincunt rationes illæ, ob quas ſingulos Roma-

norum menſes illo ſuo dierum numero fuiſſe à Julio Cæſare conſtitutos, Cenſorinus refert. Quò etiam hoc accedit, quod uterque annus, & Julianus & Syrus, eandem habēt diei intercalaris ſedem, & eodem ſimul tempore recipiunt diei illius additamentum.

PAG. IV. lin. 4. فروردين ماه *Ferwardîn ma.*] Plerique tamen menſem Ferurdîn, & quidàm Ferudîn vocant. Menſium nominibus plerunque addunt Perſæ vocem ماه, quæ *menſem* notat, ut à cognominibus diebus diſtinguant: ideoque & conjunctim ſcribunt, ut فروردينماه: componunt enim voces Perſæ, velut Græci & alii. ita Germanis quoque & aliis quibuſdam populis menſes ſuos efferre mos eſt. Nomina autem menſium ipſa, ut & tricenorum dierum, & quinque ἐπαγομένων, deſumpta ſunt à Diis vel Dæmonibus & Angelis (nam ملايكة vocant;) quos iiſdem præeſſe vetus Perſarum & Magorum religio dictabat: quemadmodum Cazvinus, Cotbodînus, aliique ſcriptores Perſici tradunt. Enimverò cum aliis quoq; Orientis Gentibus Perſæ ſtatuebant بالملايكة اصلاح العالم الاسفل *Per Angelos diſpenſari res inferioris Mundi.* Die quolibet peculiare illis زمزمة طلسمة πὶλεσμα *ſuum & ſacræ voces* erant; & quid ipſi in ſacris ac profanis ſectarentur vel caverent, dierum ſerie & vicibus monebantur: eò etiam progreſſâ ſuperſtitione, ut amictus, cibi, potus, & odorum quotidie delectum haberent; uti Cazvinius & alii recenſent. & ابن الخطيب الرازي in libro quem inſcripſit سر المكتوم, particularem earundem rerum obſervationem ad ſingulos dies in tabulas digeſſit. Quæ tamē de ipſis Magis potius, quàm

quàm de toto populo intelligenda putem. Quis autem Deorum primo mensi apud Persas nomen dederit, nondum apud scriptorem quempiam deprehendi. Neque inter فروزن, quod stellā Jovis notat, & فروردين tanta est similitudo, ut hoc per illud interpretari ausim. Nuveirius & alii hunc شهر فريدون *mensem Feridûn* vocant. at Feridûn fil. Gjemxîdis faciunt VII Persarum regem, de quo Teixeira li. I. c. VII. De hujus regis nomine mensem hunc fuisse dictum statuit Mesûdes; & menses etiam alios regum (qui dii minores habiti) cognomines facit. Sed hoc, præterquam quòd aliter tradunt ipsi Persæ, in paucis duntaxat demōstrari potest, & potius casu videtur contigisse, quòd ipsi illi reges à Genio, quem nativitatis aut alius status comitem habere credebantur, nomen acceperunt (sic Mihr & Bahram regum quidē nomina sunt; sed quæ primò conveniant Soli & Marti, seu Intelligentiis potius, quæ hasce stellas ex sententia illorum regunt) vel quòd reges quidam, superbiâ elati, per lasciviam, ut inquit Plato, Deorum cognomina assumpserunt.

Lin. 5. النوروز *Neuruz.*] Ad verbum *νεομηνία, Novus dies.* Ita Persæ præcipuum anni festum vocabant, celebrando novi anni auspicio dicatum. Id quidem instituisse primùm, & hoc nomine vocâsse fertur quintus Persarum Rex جمشيد Gjemxîd (cui & Cotbodinus Persici anni formam acceptam refert;) quòd felici illo die, quo lucem & motum incepisse, ut Nuveirius inquit, Persarū opinio erat; ipse imperium adeptus esset. Hoc senûm dierum festum erat, eodem autore teste. qui addit, diem sextum vocatum fuisse النوروز الكبير *νεομηνίαν magnam*; proquo alii quidā habent الخاصة *peculiarem*, sive *Regiam:*

propterea quòd Perſarum reges, reliquis ferè diebus ordine gratificati ſubditis, nempe die 1. (ita Cazvinius tradit) Populo, 2. Doctoribus & Aſtrologis, 3. Sacerdotibus & Conſiliariis, 4. Proceribus & Propinquis, 5. Liberis, ſextum haberent ſibi proprium. Die ſexto hoc ad Reges tunc undiq; comportabantur dona; offerentibus inter cæteros Aſtrologis ineuntis anni ephemerides & ἀποτελέσματα. qui ritus per totum ferè dimanavit Orientem, in hunc obſervatus diem: eoque factum, ut hoc Tabularum genus المنحة (vulgò *Almanach* dicitur) i. *Donum* ſeu *Strena* vocatum fuerit. talia regibus inſcripta me in Oriente plura vidiſſe memini. De hujus feſti ritibus etiam alia memorat Ibn Mucfa, quæ huc afferre libet:

انه كان عادتهم فيه ان ياتي الملك رجل من الليل جميل الوجه
قد ارصد لما يفعله فيقف علي الباب حتي يصبح فاذا اصبح دخل
علي الملك من غير استيذان فيداراه الملك يقول من اين
انت ومن اين اقبلت واين تريد وما اسمك ولاي شيء
وردت وما معك فيقول انا المنصور واسمي المبارك
ومن قبل الله اقبلت ومعي السنة الجديدة ثم يجلس ويدخل
بعده رجل معه طبق من فضة وفيه حنطة وشعير وجلبان
وحمص وسمسم وارز من كل واحد سبع سنابل وتسعة حبات
وقطعة سكر وديناران جديدان فيضع الطبق بين يدي الملك
ثم يدخل عليه الهدايا ويكون اول من يدخل عليه وزيره ثم
يقدم للملك رغيف كبير مصنوع من تلك الحبوب موضوع
في سلة فياكل منه ويطعم من حضره ثم يقول هذا يوم جديد
من شهر جديد من عام جديد من زمان جديد يحتاج ان
يجدد فيه ما اخلق من الزمان ثم يخلع علي وجوه دولته
ويصلهم ويفرق فيهم ما حمل اليه من الهدايا وكانت عادة
عوام

ـوام الفرس فيه رفع الناس في ليلته ورش المـــاء في صبيحته ،

More receptum eo die apud illos erat, ut formoso vultu aliquis de nocte ad Regem veniret, ei præpositus rei. Hic ad portam stabat, donec illuxisset auroræ; tumque ad Regem sine venia intrabat. Et familiariter cum eo congressus Rex dicebat: Unde tu, & unde venisti? quò tendis, & quod tibi nomen? in quem finem accessisti, & quid apportas? Inquiebat ille: Invictus ego & augustus; estq; mihi Benedicto nomen: accessi huc à Deo, novum afferens annum. Deinde ut hic consedisset; intrabat alius paropsidem argenteam portans, in qua triticum, hordeum, fœnugræcum, ciceres, sesama, & oryza (sc. generis cujusque spicæ septem & novem grana) frustumque sacchari, & aurei recens cusi duo. Tum paropside Regi appositâ, afferebantur illi dona: & primus ingrediebatur imperator exercitus, deinde ærarii præfectus, tum præfectus apparatus bellici; denique populus secundum classes suas & ordines. Post ea panis magnus, qui ex granis ejusmodi confectus erat, in corbi positus, offerebatur Regi, ex quo cum ipse comedisset, cæteris, qui coram adessent, comedendum dabat; inquiens, hic novus dies est mensis novi de anno novi temporis novo: quo renovari necesse est, quicquid tempore constat. Tandem regni sui proceribus, veste regiâ ornatis benedicebat, in eos distribuens quicquid doni allatum esset. Erat autem vulgo Persarum mos, nocte illâ excitare homines, & manè aquam spargere.

Ibid. اردبهشت & اردبشت *Aredbihisht.*] Ita Persis dictum ignis ac lucis Deum, quique Medicinæ præesset, à Cazvinio traditum. Ideoq; Magi, qui Ignem, & Lucem colebant, xxv. hujus mensis die primum ac præcipuum كهنبار *Cahanbâr*, quasi *Antiquam Periodum* dicas, (pro quo Arabes suo more scribunt الجاهنبار) auspicari solebant.

bant. Erant autem hujusmodi sena quotannis sacra, quinûm dierum singula. Quæ Zoroastes religioni Magicæ, seu Persicæ, quondam præscripsisset; in memoriam, ut Persæ volunt, sex dierum Creationis.

Ibid. خرداد *Chordâd.*] Ita Persis appellatum fuisse tradit Cazvinius arborum & herbarum Deum; quique ab inquinamēto vindicaret aquas. ac proinde ultimo hujus mensis die, آبريزكان, Persicè notans *aquæ lustralis festum*, celebrari solebat.

Ibid. تير *Tyr.*] Hoc nomen Persis *Mercurium* notat inter alia significata multa.

Ibid. مرداد *Mordâd.*] Videtur esse idem, quem Arabes vocant ملك الموت *Angelum mortis*, & ابو يحيي, ac proprio nomine عزرائيل: sonat enim Persis مرداد quasi *dator aut nuncius mortis*. Hic autē Azraël dicebatur illis, Cazvinio teste, مسكن الحركات ومفرق الارواح من الاجساد *reducere ad quietem motus, & animas à corporibus separare.*

Ibid. شهرير *Xahrîr.*] Chalil Sophus in Lexico Persico hunc mensem شهريار *Xahrijâr* appellat. Quo quidem posteriore nomine celebris Persarū tyrannus dictus fuit; sed ex ultimorum Regum ordine: quare aliunde hoc nomen inditum fuerit; nimirum ex Persarum, ut ipsi volunt, Dæmonurgia.

Ibid. مهر *Mihr.*] Persicè *Solem* notat; unde hic mensis, & festum *Mihrgîan*, i. *Solis genius* nomen habent. Et quemadmodum Sole reverso, ac aperiente sinum Terrâ, solennia Neuruz; ita abeunte Sole, & Terrâ sinum claudente, solennia Mihrgiân pari ferè festivitate celebrata sunt: nec videntur diversa à Mithriacis Sacris, quorum Græci

Græci ſæpe meminerunt: ſiquidem Μίθρας Perſis dicebatur Soli; ut Heſychius, Strabo, aliique notant. Et hæc quoque ſex dierum erant; eorumque ultimus المهرجان الاكبر, itemq; المهرجان الخاصة dictus. De feſto illo apud Nuveirium elegans extat locus, quem ſimiliter exſcribere viſum eſt: وكان مذهب الفرس فيه ان تدهن ملوكهم
بدهن البان تبركا وان يلبس القصب والوشي ويتوج بتاج عليه
صورة الشمس وحجلتها الدايرة عليها ويكون اول من يدخل
عليه الموبذان بطبق وفيه اترج وفيه قطعة سكر ونبق
وسفرجل وعناب وتفاح وعنقود عنب ابيض وسبع حبات آس
قد زمزم عليها ثم يدخل الناس على طبقاتهم بمثل ذلك ،
وكان اردشير وانوشيروان يامران باخراج ما في خزاينهم في
المهرجان والنوروز من انواع الملابس والفرش وتفرق كلها
في الناس على مراتبهم ويقولون ان الملوك يستغني عن كسوة
الصيف في الشتاء وعن كسوة الشتاء في الصيف ولبس من
اخلاقهم ان يخبوا كسوتهم في خزاينهم ويساووا العامة في فعلها ،

Mos Perſarum eo feſto fuit, ut reges ipſorũ oleo balanino in benedictionem inungerentur. Induebat Rex ſubtilem & variegatam veſtem, cidari ornatus, ſupra quam imago Solis, conſtricta ambiente orbe. Primus verò, qui ad illum ingrediebatur, erat Magorum antiſtes; ferens paropſidem, in qua citria, fruſtum ſacchari, lota, cydonia, ſyſipha, poma, albarum uvarum botrus, & ſeptem myrti baccæ; ſuper quibus ſacra dicebat verba. Eodem modo accedebat deinde populus, ſecundùm dignitatis gradus. Præceperunt autem Ardexîr & Anuxirvân reges, ut feſtis Mihrgian & Neurûz omnia veſtium & ſtratorũ genra ex apothecis deprompta populo juxta ſuos ordines diſtribuerentur. Ferunt enim Reges hyberno tempore haud fuiſſe uſos veſtibus æſtivis, nec æſtivo hybernis; neq; iis morem fuiſſe

 veſtes

vestes in apothecis asservare, aut vulgo in iis, quæ faceret, similes videri. Nuveirius verò aliiq; tradunt مهر *Mihr* significare antiquis Persis *vindictam, & talionem*: & hoc festum ita dictum volunt, quod Ferudîn Persarum Rex victo Dahâc tyranno, avi sui Giemxidis cædem vindicasset. Hoc poëta Ibn Tahir intelligit, ubi inquit:

ومعناه ان غلب الفرس فيه فسموه للروح حقـا حافظـا ،

Ejusque, nempe Mihrgiân, *significatio, quòd illo die Persæ vicerunt; vocaruntq; eum juris animæ assertorem*, seu *vindicialem*. dictum fuisse Poëta indicat, *Diem vindicatæ cædis*. At Mesûdes ait *Mahr* nomen esse regis cujusdam Persarũ, injusti & exosi, à cujus morte & mensis, & dies ejus XVI. dictus fuerit: quasi ذهبت فيه نفس مهر, *abiit eo* die *anima Mahri*.

Lin. 8. فرورديجان *Ferurdigiân*.] Chalil Sophus vocat فروردیان: utrunque à primi mensis nomine, uti videtur, deductum. Quinque autem hosce dies, quorum primus est XXV mensis Abân dictus اشتادروز, videntur Persæ Inferiis consecrasse, ut qui يزعمون ان ارواح موتاهم تخرج في هذه الايام من مواضع ثوابهم وعقابهم, teste Cazvinio, *existimarent suorum manes hisce diebus prodire ex præmii & supplicii sui locis*. Quemadmodũ & Romani olim Inferiis litabant sub finem mensis. Idemque autor alibi refert Persas eo tempore super mortuorum tumulis epulas struxisse. Hunc ritum hodie nonnullæ Orientis gentes servant: etiam Christiani Armenii. Quorum majores olim, tempore Paganismi, religionem sectabantur Persicæ proximam: unde ferè hunc apud se morem remansisse ipsi non inficiantur.

Ibid.

Ibid. اندرجاهات *Andergiahât.*] Quaſi *Poteſtates adſcititias* ſeu *ſecundarias* dixeris. Nam Perſis جاه idem eſt, quod Arabibus عزة ومنصب *poteſtas* & *dignitas*; & اندر *internus, immiſſus, & adjunctus* eſt: atq; etiam eo uſurpatur modo, quo Turcis Tatariſque اوكي *ougei*, Belgis ſtief/ cùm prępoſita nominibus, patrem vel filium notantibus, vitricũ vel privignũ ſignificant. Ita ferè intelliguntur hîc acceſſoria, ſeu ſecundaria Deorum nomina, quibus Epagomenas conſacrârant. Vel dicendũ جاه Arabico more ſcribi pro گاه Perſico, quod *tempus & locum* notat: ut ſit اندرجاهات *Inſiticia tempora*, ſive *Aſſumpticii dies.* Quare autem hi ipſi inſerantur anni medio, non adjiciantur ad ejus finem, uti in Ægyptiorum anno æquabili fit; & quid porrò de anni Perſici forma habendum, planiùs exponere, & idoneorum teſtium fide comprobare operæ precium fuerit: præſertim cùm doctrinam hanc multa hactenus ambiguitas & obſcuritas involvat. Notandum itaque illud priùs, quod inter alios Nedamodînus, Philoſophi Thuſii Naſirodîni diſcipulus, في شرح السي *in* tractatu *de annorum explicatione*, ſcribit: كانوا الفرس على ملة في كفرهم يتنعون ان يكبسوا السنة بيوم واحد كما يفعلوا الحساب والروميون *religione certâ Perſæ Paganiſmi tempore cavebant, ne intercalarent aliquem diem: ut Tabularum conſtructores, & Romani* vel *Græci faciunt.* Cauſam reddit Meſûdes: لان ايامهم كانت سعودا ونحوسا فكرهوا ان تنتقل بكبس يوم ايام السعود الى ايام النحوس *quoniam eorum dies faſti & nefaſti*, ſeu *felices & infelices erant, oderant diei intercalatione faſtos in nefaſtorum locum*

 trans-

transferre. & apertiùs Philosophus Xirasita in libro نهاية الادراك *Meteorologiæ*: ان لكل يوم من الخمسة الزايدة والشهر اسم خاص هو اسم ملك ولهم زمزمة كل يوم باسم ملك ذلك اليوم وعلى هذا لا يصح زمزمتهم بزعمهم اذا يزيدوا يوما في ايام الشهر *propterea quòd cuiq;, & v. Epagomenωn & ipsius mensis diei certum nomen esset proprium, nempe Angeli alicujus nomen; & cujusque diei sacra verba & vota illis essent, juxta Angeli ejus diei nomen: ideoque haud ritè illa procederent ex eorum sententia, si ad dies mensis diem adjicerent.* Eadem intercalationis omissæ causa Ægyptiis quoque videtur fuisse: nam & hosce spectasse cujus Deorum dies quisque esset, autor est Herodotus lib. II. Vel utrisq; communis causa hæc fuerit, quòd eorum sacerdotes regundi temporis mysterium sibi proprium esse vellent: quod ex Strabone lib. XVII constat, ubi exponit, quam difficile Platoni & Eudoxo fuerit ab Hierophantis Ægyptiorum discere, quæ diei & noctis particula CCCLXV diebus deesset ad complendum annum. Peculiariter autem لعلماء الفرس *Persarum Sapientibus*, ut plerique autores scribunt, curæ fuit annum post certum temporis spatium in integrum restituere, vagumq; sistere; præsertim cùm certas anni tempestates pleraque ipsorum sacra respicerent. Quod ut salvâ religione illâ, de qua modò diximus, præstare possent, ياخذون الكسر ربعا تاما ويزيدون في كل قك سنة شهرا ليعوافق سنوهم مع سني الروم, inquit Cotbodînus, *assumentes particulam* (scil. anni æquabilis reliquam) *pro quadrante integro, adjecerunt* CXX *quibusq; annis mensem unum*, (tot enim annis totidem diei quadrantes componunt triginta dies) *ita ut ipsorum anni*

anni congruerent cum annis Romanorum, ſeu *Græcorum.* poſtrema hæc docti ſcriptoris verba generaliùs interpretor, Perſas Solarem annum & emboliſmum pari cum Græcis quantitate æſtimâſſe; ſive illi hoſce imitati fuerint, ſive non. Methodum autem intercalandi ipſam, Perſis quondam uſitatam, paucis quidem, ſed tamen dilucidè, explicat Nedamodînus. in hunc modum: وتلك السنة ثلثة عشر شهرا يسمونها بيهزك ويسمون الشهر الزايد باسم شهر مادوه عقيبه ويزيدون الخمسة المسترقة ايضا في اخر ذلك الشهر لتكون زيادتها علامة له في طور اخر، *annus ille,* nempe CXX, quo intercalandus menſis eſſet, *menſium erat tredecim, eumque annum vocabant Byhzec; & menſem intercalarem nomine ipſius menſis, cujus fini ille addebatur. Ad menſis autem intercalaris finem adtexebant quinque Epagomenas: ut ipſa hæc additio intercalari menſi ſignum foret in vicem proximam,* ſcil. ut poſt CXX annos embolimus ille menſis ſuo nomine & loco ſine errore adhiberi poſſet: quemadmodum hoc Cotbodînus exemplis declarat. Erat namque intercalatio ſuo ordine promovenda de menſe in menſem, nempe à Ferurdîn per ſuccedentes menſes ad Asfendarmed uſque. atque hæc دورة الكبيسة *Periodus Embolimica* dicitur: eſtque في جليل من الحساب (ut Cotbodînus habet) ὁλοσχερῶς *putata,* annorum 1440. Atque ita fiebat, ut Neurûz & feſta reliqua, quæ annorum 120 ſpatio paulatim ſuas ſedes quaſi integrum menſem antevertebant, uno menſe geminato in eaſdem retraherentur. Quo autem modo Epagomenæ ad Abân tranſlatæ, & quare ibidem hæſerint, Cotbodînus docet hiſce verbis: ولما جدد التاريخ ليزدجرد بن شهريار بن كسري المعروف

المعروف بالعادل كان قد انتهي الشهر الزايد الى ابانماه لمضي
خمس سنة من دور الكبس وكانت المسترقة في اخره ، ولما
ذهبت الدولة على يديه في زمان عثمان بن عفان حيث
قتل في بيت طحان بمرو الشاهجان بقيت الخمسة تابعة لابان
من غير نقل وكبس ولهذا يزيدها بعضهم في اخره
ابقاء على حاله وبعضهم في اخر اسفندارمذ لانه اخر
السنة ، *Cùm autem Iezdagirdo, fil. Xahrijâri, fil. Cosræ, qui Iustus cognominatus fuit, Epocha instaurata esset, jam additi-tius ille mensis pertigerat ad Abânma, elapsis de Embolismi periodo annis 960, ejusq; mensis finem sequebantur Epagomena. Postquàm verò Persicum imperium illi ereptum esset, tempore Otsmânis, fil. Afâni, quando in domo cujusdam molitoris* (in quam fugiens se recèperat, ut certiùs lateret,) *interfectus fuit prope Marvam Xahgiâna*, i. animæ regiæ, (ita ob amœnitatem cognominata fuit, ad aliarum Marvarum discrimen; situ & nomine respondens Marucæis Ptolem.) *quinque illi dies adhæserunt Abân mensi, sine ulla traductione aut embolismo. Ac proinde Persarum alii hosce dies apponunt mensis illius fini, eâdem servatâ constitutione; alii verò fini mensis Asfendarmed, quia hic est anni ultimus.* Iezdagirdi autem epocha, teste Kuxiân Gilæo في الزيج الجامع *in tabulis Astronomicis universalibus* ; & Alfergano, aliisque omnibus consentientibus, fuit اول يوم من السنة ملك يزدجرد فيها
وهو ثاني والعشرون من ربيع الاول احد عشره للهجرة والسادس
عشر من حزيران سنة ثلث واربعين وتسع مائة لذي القرنين ،
Primus dies ejus anni, quo Iezdagirdus auspicatus fuit imperium, nempe 22 Rabîæ prioris, anno Migrationis Muhammedicæ undecimo ; & 16 Hazirân, i. Junii, *anno*

Bicor-

Bicornis,i.e. Alexandri Magni,*nongentesimo quadragesimo tertio*.Ex hisce itaque & præcedentibus omnino evidens est, Persas embolismo mensis usos fuisse, ante Alexandri Magni epocham, quæ etiam Seleucidarum & Contractuum dicitur. Sed quoniam 20. quasi annis ante initæ ejus epochæ tempus, Persæ ab Alexandro fuerunt subacti, scil. circa Periodi Embolimicæ initium: videntur Cotbodîni verba favere potius, quàm obstare, si quis opinetur Persas à Macedonibus aut Græcis intercalandi rationem accepisse, vel eorũ saltem exemplo eam, quam ipsi norant, suis institutis accommodâsse: ut frænari annus utcunq; posset, nec tamen rituum & sacrorum nominum series turbaretur. Idem autor quidem alibi, atq; multi alii scriptores tradunt, anni Persici formã à Giemxîde constitutam fuisse: sed tamen minùs expressè docent, an æqualitatem, an mensium dierumque nomina, an deniq; intercalandi illum modum spectari oporteat. Et sanè eo tempore regem illum vixisse Persæ referunt, quod alterius Periodi initia antecedit. Quamobrem si talis aliqua Persis expleta fuit, ea iniverit post Giemxidem. sicut eorum Sapientibus passim attribuïtur: tunc quidem, ut verisimile est, instituta, cùm sacra & festa ab anni tempestatibus, quas respiciebant, longiùs prolapsa essent. Hoc saltem indubitatum est, Astronomos Persicos non minùs, quam Ægyptios, in rerum cœlestium computo æquabilem annum constanter usurpâsse: & probabile, idem quoque illos fecisse in civili & populari usu. Neutrobi enim embolismi causa locum habet, ob quam intra certos limites annum videntur continuisse. Ideoq; licet post Iezdagirdum, cùm Persicæ superstitionis ritus, & circa dierum ordinẽ sacra per Muhammedi-

cos

cos reges passim sublata essent, mensium illa & dierum nomina Persæ nihilominus retinerent; omnem tamen prorsus intercalationē repudiarunt. Quam etiam æquabilis anni rationē apud Persas Alferganus noster tantùm agnoscit; ut & Philosophus ille Persa, jam sæpius allegatus, ubi inquit præcipuas Tabulas usque suum ævum (scripsit autem circa annum Christi 1285) compositas secundùm annos Persicos fuisse. Sed cùm à Iezdagirdo ad regis Gelalodaulæ Salgucidæ tēpora, annis Solaribus 419 elapsis, caput anni retrogressione suâ Veris initio appropinquâsset, dicti regis auspiciis Neurûz aliæque solennes festivitates, quibus Persæ addicti erant, loco commodissimo affixæ fuerunt: novâ anni formâ, quæ Solis motui quàm maximè responderet, excogitatâ ac invectâ. Eam inter alios quoque Cotbodînus ita describit: والتاريخ

الملكي منسوب الى السلطان جلال الدولة ملكشاه بن الب ارسلان السلجوقي والسبب فيه انه اجتمع في حضرة جماعة من الحكماء منهم عمر الخيام والحكيم اللوكري وغيرهما وهم ح فوضعوا تاريخا ابتداوه نزول الشمس في نصف نهاره في الحمل ويسمي بالدورور السلطاني فسنوه شمسية حقيقة وكذا شهوره عند من يجعل ايامه بحيث يتفق حلول الشمس اوايل البروج مع اوايل الشهور وفصول السنة حقيقة واصطلاحية عند من يجعل ايامها ل ل ليلا يختلف عدد الايام في اوراق التقويم ويزيد الخمسة في اخر اسفندارمد وهو اكثر المنجمين واسماء شهوره هي اسماء شهور الفرس مقيدة بالجلالي وتلك بالقديم مثلا فروردين الجلالي وفروردين القديم وكان قد انتهي في ذلك الوقت نزول في يح يوما من فروردين القديم فهم جعلوه اول فروردين

فروردين الجلالي والثمانية عشر كبيسة وكذا يقولون
مبداء التاريخ الجلالي هو الكبيسة الملكشاهية او الجلالية
وفي كل لج سنين يكبسوا يوما ويصير ايام السنة شسو ولان
الكسر الزايد اقل من الربع بقليل فالكبيسة اقل من يوم ولهذا
قد يتفق ان يكون الكبيسة بعد ه وذلك بعد ان كبس
بعد اربع سنين ز مرات او ح ، *Aera autem Regia denominata fuit à rege Gelalodaula Melicxa, fil. Olbarſelâni Salgucidæ:* de quo Hiſtor. Sarac. lib. III. cap. VIII. *Ejus cauſa fuit, quod Philoſophi complures ad illum convenerunt; ſcilicet Omar Chajâmus,* i. e. ſcenopegus, *Philoſophus Laucaræus, (*ita dictus à pago ad fluvium Bactrianæ Zariaſpim*) & alii, numero* VIII. Nedamodînus etiam Abda-Irahmânum Haziræum nominat: eoſque omnes à Rege petiiſſe ſcribit, ut loco intercalationis Perſicæ adhiberetur Græca; utq; caput anni in perpetuum aſtringeretur Æquinoctio verno. *Et inſtituerunt illi æram, cujus principium eſſet meridies poſt ingreſſum Solis in Arietem, atque Neuruz diceretur Regium. Ejuſdem autem æra anni ſunt Solares veri; uti quoque ejus menſes: nimirum apud eos, qui dies ejus ita diſpeſcunt, ut ingreſſus Solis in Signorum principia, & ipſorum menſium principia inter ſeſe congruant. ſunt & veræ ſeu Naturales ipſæ tempeſtates anni. At menſes Artificiales obtinent apud illos, qui ſingulos faciunt tricenorum dierum; ne in Calendarii paginis dierum numerus diſcrepet: quinq; autem illos dies aſciticios fini Asfendarmed addunt. tales ſunt Aſtronomorum plerique. Aeræ verò hujuſce menſibus nomina eadem ſunt, quæ menſibus Perſicis: at illa cum adjectione Gelalæi; hæc verò cum adjectione Veteris: veluti Ferurdîn Gelalæus, & Ferurdîn Vetus. Ingreſſus autem fuerat illo tempore Sol in principium Arietis die* XVIII *Ferurdîn Veteris, quem*

 illi

illi faciebant primum Ferurdin Gelalei : & XVIII *illos dies habebant intercalares*; quasi ad præcedentis anni finem, extra ordinem adjiciendos; uti in embolismo fieri solet. aliàs كبيسة κατ᾽ ἀντίφρασιν, quæ apud Arabes satis frequens, *exemptiles* verti posset. *Atque ita dicunt principium Epochæ Gelalææ esse embolismũ anni Melicxahæum sive Gelalæum. Quaternis autem quibusque annis intercalant diem : suntque anni dies 366. At quia pars anni reliqua paulò minor est quadrante, erit quoque quarti anni intercalatio minor diei : atque eapropter convênit, ut intercalatio fieret anno quinto, nempe postquam intercalatum esset septies vel octies.* Subjungit idem autor, وهو انما يعرف بالاستقراء وكذا اوايل سني هذا التاريخ *Quod quidem diligentiore studio ac curâ cognoscitur : atque ita quoque principia annorum hujus Chronologiæ :* exactiore, nempe, epilogismo & Anomaliæ omnis æquatione adhibitis. Si autem septimæ & octavæ intercalationis alternatio observetur ad intercalandum annum quintũ sequentem; seu, quod tantundem valet, si intercalatio Juliana modò trigesima tertia, modo trigesima septima, & quidem alternatim, prorsus omittantur; cum hoc Persico seu Gelalæo Calendario optimè concordârit Gregorianum. Hîc quippe regundæ intercalationi talis præscriptus est modus, ut in annis 400 tres negligerentur Bissexti: quò intercalationis à Persis facta emendatio quàm proximè accedit. siquidem hîc trium dierum defectus imputatur annis 412; ibi verò annis 400. quam Calendarii formam Nedamodinus, suprà allegatus autor, asserit à Persis fuisse constitutam secundùm eam anni quantitatem, quę à posterioribus Astronomis deprehensa esset. Eidẽ ferè æqualem describit Ibn Xatir Damascenus, qui annis 370

post

poſt regem Gelalæum vixit: السنة الشمسية شمه يوما وربع يوم تنقص جزو واحد من ماية وواحد وثلثين جزو من يوم بليلته بالرصد الجديد في زماننا *Annus ſolaris*, inquit, *eſt dierũ 365 cum quadrante, minùs parte una centeſima trigeſima prima nychthemeri, juxta obſervationem novam noſtro ſæculo inſtitutam*. Ita namque fit, ut annis 393 conſurgat idem trium dierum defectus. Methodus itaque Gregoriana inter illam Perſicam, atque hanc Damaſcenam medium tenet.

Ibid. ادر *Adar* & *Adur*.] Plerique ازر *Azar* ſcribũt. Vtrunq; verò antiquis Perſis *Ignem* ſignificabat, teſte Meſûde, ſeu potius *Angelum, qui ignibus & focis præeſt*; ut Cazvinius docet. Talis quoq; illis eſt Aredbahiſt; ſive duo revera Perſis fuerint ignis Dii, (ſicut & ignis alter cœleſtis eſt, alter elementaris) ſive unius ejuſdemq; Dei geminum nomen. Duos ſaltem indè denominârunt menſes: & quidem propterea, uti videtur, quòd Ignem præ cæteris colerent. Hinc dictum fuiſſe Zoroaſtem Texeira & alii volunt, ſcil. زرادست *Zaradoſt*, & زردست *Zardoſt*, quod & à Græcis *Zarades* expreſſum, quaſi ازر دوست i. e. *Ignis amicum*: quia hic religionis Magicæ, quâ colebatur Ignis, ſummus fuit antiſtes. Et indè quoque ادربجان *Adarbigian*, provincia, partem Mediæ partemque Armeniæ complexa, nomen habet: quòd hîc poſterioribus etiam ſæculis idololatria illa maximè viguit.

Lin. 11. الكوسج *Keuſeg*.] Seu, ut alii, الكوسك *Keuſec*. Nomen hoc Arabibus, ex Perſica voce كوسه formatum, ناقص الاسنان, i. e. *edentulum* notat; Aſmaæo, Arabicæ linguæ Critico inſigni, interprete. Quis autem hoc

loco designetur ritus, verbis sequentibus, quæ apud Cazvinium aliosq; repetuntur, Mesûdes dilucidè exponit:

يخرج الكوسج فيه راكبا بغلا له بالعراق وارض العجم
واهل الشام والجزيرة ومصر واليمن لا يعرفون ذلك ويطعم مدة
من ايام الجوز والثوم واللحم السمين وما عدا ذلك من
الاطعمة الحارة والاشربة المسخنة الدافعة للبرد فيظهر طاردا
للبرد ويصب عليه الماء البارد فلا يجد لذلك شيا
من الم ويصيح بالفارسية كرما كرما الحر الحر
وهذا وقت عيد الاعاجم يطربون فيه ويظهرون السرور
وكذلك في اوقات كثيرة من فصول السنة ،

Exibat eo die Keuseg, mulò suo vectus in Assyria atque Persia: (quod nomen inditum videtur, propterea quòd Keuseg manducaret continuè, uti mox constabit, edentuli instar: vel quòd talis ferè deligeretur senex) *morem autem hunc Syri, Mesopotamii, Ægyptii, & Arabes ignorant. Eique per aliquot dies edendæ offerebantur nuces, allium, caro pinguis; quique hæc excederent, cibi & potus calidiores, frigori arcendo idonei. Et cùm ipse frigus depellere videretur, affundebatur in illum frigida: unde tamen se molesti quicquam sentire dissimulans, exclamabat idiomate Persico, Germa, Germa,* i. e. *calor, calor. Hoc autem tempus Persis festum erat, quo exultabant ipsi, atque hilaritatem commonstrabant: quemadmodum compluribus anni partium temporibus.* Persæ enim, ut gratioso ac molli ferè ingenio præditi sunt; ita festis, ludis, atque vitulationibus indulgere solent: earumque rerum gratificatione Reges populo placere. quemadmodum ex festorum Neuruz & Mihrgiân descriptione liquet. Hinc factum, ut apud Orientales *festa Persica* in proverbium abierint: uti *apparatus Persici* apud

apud alios. Sic Poëta Mutenabbis celebrat Ibn Amîd, Imperatorem exercitus Rucnodaulæ, quòd

عربي لسانه فلسفي رايه فارسية اعياده ،

Arabica esset ejus lingua, philosophicus intellectus ejus, & Persica ipsius festa.

Quibus verbis principis illius facundiam, sapientiam, & conjunctam cum liberalitate comitatem prædicat.

Ibid. دي ماه *Dejma.*] Mensem hunc Cazvinius tradit dici quoque حزم ماه *Hizm-ma*, ejusque primum diem حزم روز; hæc addens: كان حزم اسم الله تعالي وفيه الملك ينزل عن سريره ويلبس الثوب البيض ويرفع الحجاب ويترك هيئة الملك وينظر في مصالح الناس ويخاطب كل من شاء ، *Hizm Dei Opt. Max. nomen est. Eo autẽ die Rex de throno descendebat, & albam induebat vestem, tolliq; jubebat velum; ac regiâ depositâ formâ respiciebat populi negotia, nulli non se affabilem præbens.* At Dej idem notare Persis quod Hizm paulò post fiet manifestius, cùm explicabitur nomen Hormuz.

Ibid. بهمن *Bahmen.*] Hunc idem author refert eum esse Spiritum, qui præsit brutis ad habitandam & colendam terram necessariis. Dies hujus mensis XVI Persis festus est, & cum Neuruz & Mihrgian implet principalium trium festorum numerum. Potior tamen festi hujus pars celebrari solet nocte, ignibus passim exstructis & accensis. Quare hæc ipsa nox Persis سذا vel سدا, & شب سادة dicta fuit; atque Arabibus, verbum verbo reddentibus, ليلة الوقود *Nox accensi ignis*, &, simplici voce simplicem illam Persarum imitantibus, السذق. Quam suâ ignium festivitate describit ابن حجاج

Ibn Hagiâs in carmine, quo laudat regem Adlodaulam fil. Bojæ.

لبلتها حسنها عجيب ، بالقصف والعرف قد تحقق ،
لنارها في السماء لسان ، عن دوره ضوء الصبح ينطق ،
والجوء منها قد صار جمرا ، والنجم منها قد كان يحرق ،
ودجلة اضرمت حريقا ، بالف نار والف زورق ،
فماوها كلها حميم ، قد فار مما يغلي ويقبق ،

Nox ejus, pulchritudine miranda, ludis & odoribus celebrata fuit.
Igni illius in cælum lingua, præ splendore suo lucem auroræ prædicans.
Et æther ex eo versus in prunam, ipsis Pleiadibus indè ambustis.
Tigrisque edidit incendium mille ignibus & mille cymbis:
Ita ut aqua ejus universa fervida, exultârit bulliendo atq; fremuerit.

Consimili ferè modo in eandem rem lusit Poëta المطرز *Muterriz* in regis Melicxæ encomio. Ab ultima antiquitate hunc ritum fuisse observatum Persis, ipsorum monimenta docent. Origo tamen & causa non ab omnibus una traditur. Nuveirius ex plurium sententia & fide, si quid in tanta antiquitate traditionibus gentis tribuendum, ad كيومرث *Cajomarts* refert (ubi كيو *dominus*, *divus* prænomen est; quod primorum Regum, ceu Patriarcharum, nominibus præfigi à Persis solet; & Marts plerisque idem, qui Mas fil. Arâm) primumPersarū patrem & regem. Eumq; ferunt ex pluribus liberis, domi suæ genitis, mares cum fœminis conjugio sociâsse, & festivis ignibus nuptias celebratas: atque indè

dè ſervaſſe Perſas ſolennem quoque ignes ſtruendi ritum, in primæ progeniei ſuæ memoriam. Alii verò indè cauſam petunt, quòd eo die Ifraſiâb Perſarum hoſtis & dominator, de quo Teixeira lib. I. cap. XI. pulſus & ejectus fuerit.

Lin. 12. اسفندرمد *Asfendurmed.*] Perſarum plerique efferunt Asfendiarmud: &, Cazvinio aliiſque teſtibus, ita vocabant Terræ Spiritum; quique faveret fœminis bonis caſtiſque. ubi addit, hac de cauſa quintum hujus menſis diem, etiam ſuo tempore, Isfehani & in Perſia alibi fuiſſe viris fœminiſq; ſacrũ ac feſtum; & contrahendis matrimoniis, nec non pangendis fœderibus auſpicatum habitum. Cæterùm ultimum Cahanbar, de quibus ſacris diximus in Aredbahiſt pag. 24, Perſis celebrari ſolebat v diebus proximis ante Neuruz; ſive ultimis menſis hujus Asfendarmed, quando Epagomenæ non adhærerent ejus fini; ſive ipſis Epagomenis, cùm hæ illi adjungerentur. Secundum autem Cahanbar, ut de reliquis quoque dicam, initium habebat die XXV Tyrma; tertium XVI Xahrîrma; quartum XV Mihrma; quintum XI Dejma. Ita Keuxian Gilæus in Tabulis ſuis tradit. Pentamero quoque Magi ex inſtituto Zoroaſtis more ſuo laudabant Deum pro iis, quæ vel primo, vel ſecundo, vel alio quovis die condidiſſet; & ad alia atque alia grati & pii animi officia, quæ operibus illis reſponderent, homines adhortabantur.

Lin. 16. هرمز *Hormuz.*] Alii plerique ſcribunt هرمزد & اورمزد *Hormuzd* & *Ormuzd*: omnesque tradunt notare Jovem. Quod & Plutarchus teſtatur libro de Iſide & Oſiride: ubi docet Zoroaſtem tradidiſſe principium quoddam eſſe boni, & quoddam mali. illud luci, hoc tenebris

tenebris ſimile. Vtrumque autem dixiſſe Deum: meliorem Ormazam nomine, pejorem Arimanium. Ea ſecta, Arabibus الفرقة الثنوية dicta, impiæ Manichæorum ſectæ, autore Mane Perſâ, Zoroaſticæ doctrinæ addicto, origo fuit. De tricenariis autem hiſce æquabilium menſium diebus, quorum nomina ſequuntur, ita habet Nedamodinus: ولما لم يكن لهم ايام الاسابيع وضعوا بازا ايام الشهور اسماء قيل انها بلغتهم اسماء الملايكة الا اورمزد ودي فانهما من اسماء الله تعالى وقد رتبت تلك الاسماء على ترتيب ايام الشهور وكل يوم وافق شهرا في الاسم فهو في ذلك الشهر عندهم يوم عيد ، *Et cùm non eſſent iis Hebdomadum dies, impoſuerunt pro dierum menſium numero quædam nomina, quæ perhibentur ipſorum linguâ denotare Angelos: præter Ormuzd & Dej, quæ de nominibus ſunt Dei Opt. Max.:* ut quoque inter alia برواش, quod planè idem eſt cum Græcorum Ζεὺς Iupiter. *Et quidem diſpoſita fuerunt illa nomina juxta eorundem dierum ſeriem. Quicunque autem dies menſi alicui eſſet cognominis, eo ipſo menſe apud illos feſtus erat.* Nimirum, quoniam menſis cujuſque dies XIX dicitur فروردين روز *Ferurdîn dies*, cognominis Ferurdîn menſi, qui ordine primus eſt; idem ille XIX dies hoc menſe Ferurdîn celebrari ſolebat feſto, quod فروردين شكان appellabant. Ita menſis ſecundi Aredbahiſt die tertio, qui illi cognominis, feſtum erat, indè اردبهشت شكان vocatum. Eadẽ eſt ratio de Chordâd, die ſexto, cæteriſque ſcil. II, IV, V, VII, VIII, IX, X, XIII, & XVI, qui menſibus cognomines exiſtunt. In hiſce quoque dierum nominibus obſervandum, quod Philoſophus Xiraſita ſcribit, ويتكرر دي بعد كل سبعة اي ثمانية

ثمانية بـــاسم يوم بعده يحى ديبدين اي دي بعده دين ،
Repetitur autem nomen Dej post dies *septenos quosq;,aut octonos, una cum nomine diei consequentis: ut Dejbadin, i.e. dies Dej post quem sequitur Dîn*, vel *cui adhæret Dîn.* Ubi & hoc notandum,quòd cùm cætera Spirituum,Deorum nempe Dæmonumve,nomina omnia, quæ mensibus imposita, etiam sigillatim adhibeantur ad notandum mensis cujusque perticularem aliquem diem; solum Dei supremi,seu Iovis Opt. Max. nomen *Dej* non quidē separatim unum aliquem signat diem; sed nomini sequentis diei præpositum tres, nempe, Dejbadur, Dejbamihr, & Dejbadîn. Vbi BA *apud* vel *cum* notat, & compositio illa fit octavâ vel septimâ alternatim sede. Ter autem ita junctum illud nomen existimo, vel majoris reverentiæ ergò,vel, quia æquipollens nomen diei primo,mensis totius capiti, jam impositum fuerat. Nam & multitudine nominum sanctius coli Deum existimabant; ut qui nullo exprimi, nec coli satis posset. De nominibus itaq; illorum dierum, scil. secundi, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 13, 16, & 19 dicta sunto, quę de nominibus mensium modò retulimus. Quod verò ad cætera spectat, *Ma* quidem, sive *Mah*, denotat Lunam. *Surusch* رقيب الليل, *noctis custodem* seu *præsidem* dicunt,& Angelorum potentissimum: quem plerique ideo faciunt eundem cum Gabriele. Ita Cazvinius & alii Persæ tradunt. *Bahram* illis Mars est. *Asmân*, seu potius juxta alios *Asumân*, cœlum; atq; ita videtur esse Cœlus seu Uranus. *Ram* fortè idem fuerit cum Rimmon numine Syrorum; à quibus multa acceperunt Persæ. Hujus mentio fit 2 Reg. 15. & Ῥαμᾶς Hesychio est ὁ ὕψιστος θεός; sed non explicatur, Saturnusne, an Iupiter,an deniq; alius. Magi illi Indorū,qui se Persis satos profitentur, uti & Persarum reli-

 gionem,

gionem, eadem festa, eadem mensium nomina hodieque retinent, asserunt Ram magni antistitis nomen esse, qui religionem universam olim restaurasset. indè illis mos est hujus nomine, *Ram Ram*, velut sacrâ formulâ, invicem benè precari. Hoc nomine xxv mensis diem insignitum habent. Non autē mirum, demortuorum regum aut antistitum, quos virtute & meritis supra hominum conditionem eminuisse statuebant, eodem quo Deos aut Dæmones honore coluisse. cum etiam horum multi ab heroïbus non differant, aut saltem ex iis superstitiosè conficti fuerint. Aliorum verò dierum interpretationem hactenus apud neminem inveni. sed de horum originibus & denominationibus in genere antea dictum fuit. Antequam verò finem hisce imponam, ad posteriora folii præcedentis verba hæc adjecta velim: Quemadmodum mensis Aredbahist dies tertius dicitur اردبهشت ڭكان; ita mensis Mihr diem xvi, ipsi cognominem, vocari مهرڭكان *Festum Mihr.* Atque hoc potius modo interpretandum nomen مهرجان, de quo pag. 24 & 26 actum fuit: quàm illo, quem ex aliorum mente ibidem exhibui. Arabes enim pro litera Persarum ڭ, dum suum pronunciandi morem affectant, substituere solent ج: quod etiam in voce جاه pag. 27 videre licet.

PAG. V. lin. 4. ذوت *Thoth.*] Ægyptiorum quoque mēses Diis cognomines fuisse docet Herodotus Euterpe. Idem etiam de v diebus Epagomenis tradit Plutarchus, lib. de Iside & Osiride; & quæ illa nomina fuerint, singulatim recenset. Primum autem mensem Mercurii nomine nuncupatum fuisse testatur Cicero libr. 3. de natura Deorum. Mercurius enim Ægyptiis, ut idem ille autor

autor docet, Thoyth, ſeu Thoth dictus fuit: & juxta alios Theut: unde & Celtis Teutates dictus. Intellexiſſe verò Ægyptii videntur Hermen illum: quem Orientalium monimenta tradunt magno Mercurii Templo, qualia ſeptem erant Planetis dicata, apud Chaldæos præfectum, graviores ob cauſas migraſſe in Ægyptum; quæ propter acceptas artes, leges, & Sacrorum cognitionem divinis illum honoribus coluiſſet, velut interpretem Deorum. Hoc etiam inter cætera autores illi referunt, nomen Numinis, cujus Sacerdos extitiſſet, ipſi honoris ergò impoſitum fuiſſe. Sed Thoth pro illius nomine haud videntur cognoviſſe: tantùm ejus filium, ex pluribus natu maximum, طاط Thath appellant; qui in locum & dignitatem patris apud Ægyptios ſucceſſiſſet.

Ibid. فاوفي *Paophi.*] De hujus nominis & ſequentium ſignificatu, cùm idonea antiquitatis deſint teſtimonia, conjecturas non appono. Vide, ſi lubet, ſuper ea Illuſtris Scaligeri ſententiam lib. 3. de Emendat. Tempor. ubi de Thoth Nabonaſſari diſſerit. Cæterùm, quoniam autor noſter genuina menſium Ægyptiorum nomina, quoad permittit linguæ diverſitas, referre ſtudet, nos etiam huic ejus inſtituto verſionem accommodavimus. Sed eorundem nominum quædam jam Alfergani tempore ab ipſis Ægyptiis detorta fuerant in hunc modum, quo & hodiè uſurpantur: 2. بابه *Baba*, 4. كيهك *Kaihac*, 5. طوبه *Touba*, 6. امشير *Amxîr*, 7. برمهات *Barmehât*, 8. برموده *Barmouda*, 9. بشنس *Bashnis*, 10. بونه *Bouna*, 11. ابيب *Abîb*.

Lin. 7. بالقبطية ابوغمنا *Aegyptiacè Epogamena*, pro *Epagomenæ.*] Hoc nomine quinque dies, anni æquabilis appendices, peculiariter Ægyptiis vocari, & velut Deo-

 rum

rum natales agi ſolere feſtos, autor quoq; eſt Plutarchus libr. de Iſide & Oſiride. القبطية autem idioma notat Ægyptiorum veterum verorumque, ab Alexandrino,id eſt, Græco diſtinctum : ſicut القبط ſpeciatim Ægyptios antiquos & naturales;& hodie ex iis fere Chriſtianos. Ita Miſraim filius Cham ابو القبط vocatus fuit. Quin ipſum Ægypti nomen inde natum volunt: neque verò literarum *g* & *k* permutatio illis gentibus inuſitata. Coptus etiam urbs , & Coptites Nomus celebres extiterunt in extremo fere Ægypti tractu,quem poſt Alexandri Magni tempora priſci illi Ægyptii præ cæteris habitârunt; hodieque eorum inprimis reliquiæ colunt. Cum itaque ἐπαγομένας vocem eſſe ajunt Ægyptiacam , uſum reſpiciunt, quo Ægyptiis æquè atque Alexandrinis illa familiaris erat , quoque ambo illi populi, Ægypti incolæ, Græcis Latiniſque Ægyptii , & ſubinde Arabibus aliiſq; القبط *Coptitæ* promiſcuè dici ſolent. Cæterùm Arabes, & qui eorum linguâ utuntur, quinque hoſce anni Ægyptiaci, uti & Perſici, adjectitios dies peculiari nomine النسى *NESI* indigitant. quod ab Arabibus, Paganiſmi tempore, adjectitio ſeu embolimæo menſi ſuo inditum fuiſſe ſuprà diximus: & poſtquam Ægyptii & Perſæ ab iis devicti eſſent, ad notandam Ægyptiaci Perſicique anni appendicem illam uſurpatum fuit. Ortu & natura Ægyptiacum eſſe, & apud Ægyptios proprium τῶν ἐπαγομένων, Magnus Scaliger lib.3. de Emend. Temp. tradit. Et quidē νισὶ linguâ Ægyptiacâ ſonare *Sumptos*, ſive *Aſſumpticios*, Doctiſſimus, reconditâ hac etiam parte, Salmaſius mihi demonſtravit. Neq; de hac ejus origine me dubitatio tenuerit, ſi conſtaret eam inter Ægyptios illo uſu obtinuiſ-

ſe,ante-

ſe, antequam Arabica lingua ibi vernacula evaſit. Eoſdem dies Arabes generalioribus quoq; vocibus deſignare ſolent: nam præter eam, quam Alferganus hîc uſurpat اللواحق *Appendices*, etiam الزايدة *Acceſſorios* dicunt. & magis propriè المسترقة, quod *Furtivos* vel *clanculum ablatos* notat: uti & à poſterioribus Græcis κλοπιμαῖοι dicti. Poſtrema autem hæc appellatio indè videtur nata, quòd fictus fuit Mercurius cum Luna calculis ludens ſeptuageſimam cujuſque diei partem abſtuliſſe: hoc eſt, vel ex 354. diebus Lunaris anni, maximeque conſpicui, vel ex 360, qui tunc communis anni creditur fuiſſe modus, dies ſolidos quinque, eoſque ad 360 illos adjeciſſe. quæ fabula à Plutarcho in libr. de Iſide & Oſiride pleniùs commemorata hoc innuere videtur, Mercurium illum, à quo Ægyptus ſacra ſua arteſque didiciſſe dicitur, primum ac ſimplicem Ægyptiorum annum in meliorem redegiſſe formam. quippe qui in dies 360 deſcriptus, nec Solis nec Lunæ motui reſponderet.

Lin. 11. فيما مضي يتوافقوا *Olim*, ſeu potius, *præterito tempore congruebant.*] Hæc quoque evincunt verum eſſe, quod ſuprà monuimus, Perſicam menſis intercalationẽ, olim fieri ſolitam, aut non apud omnes Perſas, aut non in omnibus rebus uſitatam fuiſſe. Aliàs enim haud concordare potuiſſent Perſici & Ægyptiaci anni Neomenię: ita uti Alferganus declarat. Eidem etiam rei obſtare forſan videatur diverſus in utroque anno Epagomenων ſitus: ſiquidem non immediatè præcedunt Perſicum menſem Dej, uti Ægyptium menſem Toth. Sed diſcrepantia hæc, quæ in uno tantùm menſe accidit, haud tanti Alfergano habita fuit, ut non ſpectanda eſſe concordantia videretur.

deretur. Diſcrimen enim hoc duntaxat fuit, quòd numeratis poſt Ibân Epactis Perſicis, principium Adur conveniret cum VI die menſis Ægyptii Meſori, & ejuſdem Adur finis cum fine Epactarum Ægyptiarum. Ita ut conſequentis Toth Neomenia rurſus coinciderit cum Neomenia ſequentis in anno Perſico menſis Dej. Ad ejus autem congruentiæ tempus cognoſcendum, pertinent ea, quæ nunc ſequuntur.

Lin. 14. وكذلك هو في الزيجات *atque ita ſe res habet in Tabulis.*] زيج & زاج vox eſt origine Perſica, notans *amuſſim, quâ architectones uti ſolent*; atque indè *Tabulas Aſtronomicas*, velut ad amuſſim delineatas. Obſervavi ab Orientis Aſtronomis duas citari antiquiores Perſarum Tabulas, alteras زيج اسفنديار, alteras زيج شهريار: ſed quas nunquam vidi. Probabile autem exiſtimo, in iis aut ſimilibus illum utriuſque anni, Ægyptii & Perſici, conſenſum evidentem eſſe: quin etiam in iis, quę ſub Hegiræ initium conditæ fuerunt; quando Perſæ Alexandriam & Babylonem Ægypti tenuerunt decem annos: uti ex fine cap. V. libr. I. Hiſtoriæ Sarac. conſtat. In temporis quæſiti obſcuritate facem inter alios præfert Theo Alexandrinus, qui libro ſuo εἰς πρόχείρους κανόνας, nondum edito, apertè docet, Ægyptios naturales uti anno æquabili & vago; Alexandrinos verò, ſeu Græcos, qui poſt conditam Alexandriam Ægyptum incoluerunt, fixo & intercalari: Præterea annorum illorum principia, Gemini ſcil. Toth Neomenias, à mutua congruentia ad eandem reverti, annis 1460 elapſis. Denique hæc addit verba: Γέγονε οὖν ἡ εἰρημένη διὰ ͵αυξ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου τῷ ε ἔτει τῆς Αὐγούστου βασιλείας, ὡς ἐκ τούτου πάλιν τοῦ χρόνου

τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν εἰληφυίας τῶν αἰγυπτίους προλαμβάνειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῷ τετάρτῳ μέρει τῆς ἡμέρας, *dicta autem illa ab aliquo temporis principio per* 1460 *annos revolutio abſoluta fuit anno quinto imperii Auguſti,* ſcil. peracto, quia alibi inquit μετὰ πέντε: *ita ut ab eo tempore Ægyptii iterum cæperint antevertere quotannis diei quadrante.* Quare & apud Alexandrinos ante Auguſti tempora in uſu fuit annus fixus, & apud Ægyptios poſt ea tempora annus vagus. Et methodum idem autor tradit, quâ illi computum ſuum cum computo horum conferre & conciliare poſſent. Vbi etiam exemplo propoſito demonſtrat, anno Diocletiani LXVII Neomeniam Toth ſecundùm Alexandrinos conveniſſe cum 28 Chojac ſecundum Ægyptios. Et ne Arabes quidem, ætate multò poſteriores, anni intercalaris apud Coptitas ſeu Ægyptios uſum adeò antiquum agnoſcunt. Nam Ibn Iounis, ubi de computo Ægyptiorum agit, diſertis teſtatur verbis, & tunc eorũ fuiſſe quoſdam, qui priſcam anni æquabilis formam adhuc ſervarent; licet apud alios pleroſque omnes intercalatio uſu recepta eſſet. Quæ quidem arguunt, intercalaris anni formam tardius fuiſſe ab Ægyptiis admiſſam. Idque ita videtur contigiſſe, ut in obſervandis antiquis moribus remiſſiores facti, ſuam à Diocletiano computationem cum Alexandrina paulatim commutârint. Hoc autem intellectum velim de anno civili. Nam ſacrum, quo Chriſtiani utebantur, primo quoq; tempore cum Alexandrino conveniſſe puto: in cæteris tamen ſervato liberi anni uſu, quem Cenſorinus Ægyptiorum civilem vocat. quod & hodie apud Armenios videre licet. Vt verò ad demonſtrandum anni Ægyptii & Perſici conſenſum redeamus, ſupponatur, exempli gratiâ, ſub Iezdagirdici imperii initium,

tium, & Persici totius finem, Ægyptiis adhuc in usu fuisse priscum anni civilis modum. Ex verbis Theonis Alexandrini, suprà allatis, constat anni vagi Ægyptiaci revolutionem contigisse anno v Cæsaris Augusti, utriusq; anni, Ægyptiaci & Alexandrini, capite concurrente in eundem diem. Qui haud alius fuerit, quam is qui totâ Ægypto anni fixi caput etiam hodie existit: nempe xxix mensis Augusti. Ab hoc itaque die Neomenia Toth anticipando retrogradi cœpit quadriennio quoq; vertente diem unum. Quoniam autem unà cum epocha Iezdagirdis Neomenia Pherurdîn incidit in xvi Junii, ut ex superioribus quoque liquet, necesse fuerit Neomeniam Dejma, annumeratis post Aban vel Adur v Epagomenis, incurrisse in xviii Martii. Sunt autem à v anno Augusti ad æram Iezdagirdicam tetraërides 164: quibus competunt totidem dies, quos Neomenia Toth retroiverit, hoc est, à xxx Augusti ad xviii Martii. Quare par concordantia superioribus quoque sæculis fuerit: quibus uterque annus, & Ægyptiorum & Persarum, eodem tenore fluxit.

PAG. VI. lin. 2. التاسع وعشرون من اب xxix *die Ab,*] seu Augusti Juliani: ejusque die xxx, si quando annus Ægyptiorum est intercalaris. Neomenia autem mensis Toth fixa hodie ipsis quoque Ægyptiis vocatur نوروز القبط *Ægyptiorum Neuruz*, voce Persica: hoc est, *Festum anni auspicium*. Quando autem Neomenia Toth anni liberi ac vagi illum Augusti diem attigerit, inter alia Eclipses, quas Ptolemæus lib. iv. cap. ult. ex Hipparcho refert, indicium faciunt. Exempli causa, trium posteriorum altera accidisse dicitur anno Nabonassari 548, die x Mechir: quod quidẽ tempus congruebat cum xx Martii: ac

ac proinde Neomenia Thoth cum XI Octobris. Hinc autem ad XXIX Augusti retrò putantur dies 44. Ergo Neomenia Thoth, juxta anni Ægyptii modum anticipando huc prolapsa fuerit annis 176, id est, anno Nabonassari 724: &, cùm inter hujus & Augusti epocham differentia sit annorum Ægyptiorum 718, anno Augustæi imperii ineunte sexto. quo tempore Alexandrini anni & Ægyptiaci ἀποκατάστασιν fuisse factam ex Theone antea notavimus. Atque hinc petendam esse causam arbitror, ob quam Ægyptii hodie anni sui principium in XXIX August. defixum habent: nimirum quia ibidem habuerunt, etiam ante Augusti tempora, Alexandrini suum; qui vagum Ægyptiorum annum tandem exclusit. Neq; sine ratione caput ineuntis anni ibidem antiquitus collocatum fuit: siquidem eodem tempore Nili in Ægypto exundatio, quæ 21 Junii, jam conspici cœpta, præconio publico primùm renunciari solet, ad summum pertigisse existimatur; ut, de tota insequentis ac novi anni ubertate judicari possit. Tunc etiam, diebus 40 canicularibus finitis, امتزاج الفصلين *utriusque tempestatis*, æstivæ & autumnalis, *temperamentum* in Ægypto observant: uti etiam hodie ad eundem diem in Kalendariis notant. Quidam in ea opinione sunt, principium anni Ægyptii in die XXIX Augusti constitutum fuisse Senatus Romani decreto, quod Dio Cassius refert lib. LI. Nimirum, inter triumphales honores, qui Imperatori Augusto ob subactos Ægyptios decreti erant, etiam hoc fuisse; ut dies ille, quo Alexandria capta esset, haberetur festus, & reliquis deinceps annis numerandis initium cōstitueretur. Hunc itaq; diem conjiciunt Chronologi doctiores ipsum illum esse, de quo diximus: atque Ægyptios, intercalationis initio

g indè

indè ſumpto, ultrà priſci anni terminum in conſequentia progreſſos. Sed opinioni huic repugnare videntur ea, quæ de antiquo anni Perſici & Ægyptii conſenſu, ejuſdemque Ægyptii revolutione prodita fuerunt. Vt verò res ipſa calculo probetur, exemplum ex Ibn Iounis proponam: qui in Obſervationum cœleſtium Hiſtoria ſcribit in hunc modum: كان في شوال سنة شنح للهجرة القمر منكسفا في ليلة صباحها يوم الخميس وهذا كه من اردبهشت ماه سنة شمح ليزدجرد وهو يه من ايار سنة غرص لذي القرنين وهو ك من بشنس سنة خصه لدقلطيانوس وكان مقدار ما انكسف من قطره اكثر من ثماني اصابع واقل من تسع ، *Menſe Xaval anno 368 Higræ Luna Eclipſin paſſa fuit nocte, cujus mane erat feria quinta. Is quidem* dies erat xxv *menſis Aredbahiſt, anno* 348 *Iezdagirdis: hoc eſt* xv *dies Ijâr, anno* 1290 *Alexandri; & dies* xx *Pachon anno* 695 *Diocletiani. De diametro autem obſcuratum fuit plus quam digiti octo, minus quam novem.* Quod ſi annus Ægyptiacus manſiſſet vagus, prout Perſicus, utriuſque principiis juxta Alfergani aliorumque tradita ſimul ineuntibus, debuiſſet xx Pachon anno illo Iezdagirdis congruere cum xx Xahriar. Sed dicitur congruiſſe cum xxv Aredbahiſt, 250 diebus poſt. Si itaque Ægyptiorum Toth tantum in conſequentia prorepſit, intercalationibus ſenſim accumulatis; neceſſe fuerit tunc temporis ab illo ipſo accrementi primordio effluxiſſe annos 1000. A quibus ſi demantur, qui elapſi fuerant, anni Diocletiani 694, & menſes 8, hoc eſt, anni Ægyptiaci ſeu Nabonaſſaræi 695, reliqui erunt 305. & cùm epocha Diocletiani poſterior ſit epochâ Auguſti annis Ægyptiacis 313, oportuerit veteri anno fræ-

nos fuisse injectos annis octo ante Augustum. Eo autem loco Neomenia Toth tunc defixa fuit, quo postea constanter hæsit; nempe, XXIX die Augusti: qui dies secundùm authores illos ex instituto publico novâ hac anni formâ honestandus erat. At ex Ptolemæi & Theonis testimoniis, suprà allegatis, constat Neomeniam Toth veteris anni fluxu non antè attigisse illum Augusti diem, quam anno post Augustum sexto. Atque ita Epocham hanc alterum quidem tempus octo annis præcedit, alterũ verò sexto demum post anno sequitur; ubi utrumq; cum eadem concurrere debuisset. Est quoque tertium hîc considerandum, scil. sub initium Epochæ illius annum Iulianum vitio laborâsse ob pravas Pontificum intercalationes: hoc autem faciebat, ut quem Romani tunc numerarent XXIX Augusti, revera esset dies XXXI in anno castigato ac hodierno. quamobrem licet concordassent reliqua, haud tamen verisimile est Ægyptios corruptam anni formam fuisse amplexos; quippe qui verum intercalandi modum optimè nossent, & Romanos olim docuissent. Vna est via, quâ tribus hisce difficultatibus simul occurri posset: nimirum, si dicamus, Ægyptios, ut honorario illi Senatus edicto se quamprimum accommodarent, & tamen deinceps veram & constantem temporis sequerentur rationem, biduum exemisse: ita ut, cum ipsi numerarent tertiam Epagomenων, quod fiebat die Augusti XXIX vero, anni novi fixique computum auspicati fuerint. Nam hoc tantundem erat, ac si jam bis intercalassent, & simul remedium adhibuissent adversus serpentem anni Romani labem. quam etiam Romanis fortè Ægyptii pleniùs demonstrârunt, & tollendæ rationem tradiderunt: quemadmodum aliquot annis post in eum

 finem

finem Augustus jussit tres intercalationes omitti, quo in pristinum ordinem annus restitueretur. Hæc quidem licet speciosa esse videantur, ac scrupulis eximendis commoda: quia tamen testimoniis suis carent, minùs iis inniti velim aut possim; & priorem illam de anni Ægyptii mutatione sententiam potiorem duco. Quod autem ad Dionis verba attinet, illa hoc modo explicare licet; ut captæ quidem Alexandriæ dies in festos relatus, ac festivitate celebratus sit; & Ægypti, ab eo tempore Romanis subditæ, imperii nova epocha Augusto inscripta, unde sequentes putarentur anni. Quam ad rem non necesse fuit novam quoque constitui anni Neomeniam: neque Romani, ad quos edictum illud magis pertinebat, quam ad Ægyptios, propterea mutarunt anni sui Kalendas. Nam omni ferè ævo & genti mos fuit novæ epochæ computum ordiri à constituto semel principio ejus anni, in quo novandi tituli occasio nata esset. Ita Arabes annos Higræ seu Migrationis Muhammedicæ numerant à neomenia Muharram; licet Muhammed Meccâ excesserit die 1 Rabiæ prioris, diebus LIX post epochæ ipsius primam diem. ita quoq; in canone regnorum Ptolemaico omnium regum Epochæ digestæ sunt, & solidis cohærent annis. Hisce addendum mihi succurrit, à principio annorum Philippi usque Augusti epocham ab Ibn Iounis Ægyptio computari annos Ægyptios 294 & dies 74: qui dies respondent totidem intercalationibus, quæ à primo Toth Philippi ad primum Toth Augusti fieri potuerunt; & ab Alexandrinis revera fuisse factas probabile est. Nam & Ibn Iounis Ægyptius disertè tradit, in annis Philippi intercalationem incepisse à tertio anno: non quidem, ut interpretor ego, secundùm Ægyptios veros; sed Alexandrinos sive Græcos. Lin.

Lin. 4. تاريخ العرب *Epocha Arabum.*] Nomen hoc eſt à verbo ارخ *temporis titulo,* ſeu *adſcripto tempore ſignavit* literas, &c. Vnde fortè vox Æra, ſi quærenda ejus ſit origo, videatur manâſſe, utpote poſterioribus duntaxat ævis pro certi temporis adſcriptione uſurpari cœpta. Epocha autem hæc, cujus autor primo loco meminit, الهجرة dicitur, *Migratio*, & *abitus à cognatis & amicis:* quando nempe Muhammed Pſeudoprophetes, ſibi à Meccanis metuens, fugit Medinam. Quod illi Muhammedici imperii initium ſtatuunt. Generaliter quidem الهجر *amici abſentiam*, & contrarium الوصل τῆς συνουσίας denotat: ut in illo Validi Iezidæ verſu:

ليل الهوي سنة في الهجر مدته لكنه سنة في الوصل ليلة في قصره

Nox amoris in abſentia annus eſt longitudine: ſed annus in amici fruitione una nox eſt brevitate.

Speciatim tamen ἔξοδον καὶ διωγμὸν ὑπὲρ θρησκείας. Ita in Corano & alibi المهاجرون intelliguntur, qui propter Muhammedicam religionem vel à ſuis expulſi erant, vel ab iis ſponte diſceſſerant. Et fortè Arabes Petræi aliique Iſmaëlitæ nomen illud ab هجر *Hager* ſumpſerunt, primæ Matris ſuæ nomine: quod illa ex Abrahami familia ejecta in deſertum migrâſſet. Quamvis autem vox الهجرة peculiari illa ſignificatione eam quoque exodum deſignet, quâ ante Muhammedis ex urbe Meccana exceſſum aſſeclæ illius quidam conceſſerant ad Habaſſinos: abſolutè poſitum tamen pro eo ipſo tantùm Anteſignani diſceſſu accipitur. Epochæ verò hujus uſum introduxit ſecundus Chalifarum Omar, qui primus titulo hoc literas & diplomata ſignari juſſit: & quidem anno ejuſdem

dem Epochæ demum XVIII, menſe Gjumâdâ poſteriore; uti ex Hiſtoria Sarac. Ibn Amîdi & aliunde liquet. Ante illud tempus ſimilis quoque Arabibus mos fuerat putare ſuos annos à Bellorum initiis & celebrioribus pugnis. Ita proximè ante Higram uſitata fuerat Epocha, quæ dicebatur الفجار, quaſi *Bellum injuſtum impiumque*: quippe quo ſacris menſibus, contra receptam religionem, concurrerant Keiſitæ & Kinanæi, nobiles duæ Arabum tribus. Hanc XX annis præceſſerat, quæ عام الفيل *Annus Elephantinus* dicta: quando Arabiæ felicis Rex Ibn Sahâb cum Habaſſinis, adductis quoque elephantis, venerat oppugnatum Meccam: cujus vaſtare templum cupiebat, ut ſolennia ejus Sacra, de quibus in præcedentibus diximus, Sanaam transferret, Metropolim ſui regni. Caſtra autem ille ad urbem diſpoſuit V die menſis Muharram: ejuſdemq; anni, qui novæ Epochæ nomen accepit, menſe Rabiâ priore. Octavo, juxta pleroſq;, hujus die in lucem editus fuit tenebrarum & perditionis filius Muhammed. Is ubi quadrageſimum impleviſſet ætatis annum, divino ſe ſpiritu afflari fingens novæ religionis placita tradere incepit. Meccæ quidem clanculum totos tredecim annos; at ſuis ad Medinenſes & alios emiſſis, qui diſſeminarent. donec tandem, re ad proceres Meccanos delatâ, in capitis diſcrimen adductus clanculũ ſe ex urbe ſubduxit, atque cum conjuratis arma cepit: profiteri auſus ſe ad الجهاد *Bellum ſacrum*, velut præcedenti الفجار oppoſitum, divinitus excitum eſſe: ut tandem poſt tot Prophetas & divinæ legis præcones, qui hortationibus, promiſſis & minis rem leniùs experiri juſſi eſſent, ipſe armis quoque contumaciorem hominum partem ſub jugum mitteret.

mitteret. Fuga hæc, cui ſpecioſum الهجرة *Migrationis* ſeu *Exodi* nomen prætexunt, contigit quidem, ut ipſorum Annales docent, die 1 Rabiæ prioris: ſed Higræ Epocha, quâ illi utuntur, ducitur, ut antè monui, ab ejuſdem anni principio; Neomeniâ, inquam, menſis Muharram. Hæc autem incidit, ut cum Alfergano infiniti alii Orientis ſcriptores communi conſenſu tradunt in feriam quintam: id eſt, ut Ibn Amîd, Ibn Rahib, aliique autores Chriſtiani habent, in diem xv Tamuz ſive Iulii, anno Alexandri 933, ſeu Chriſti Salvatoris 622. Europæi autem orbis Chronologi, etiam præſtantiores, defigunt Epochæ hujus principium in xvi Iulii: hoc inprimis argumento nixi, quòd Luna corniculata Arabiæ non antè conſpici potuerit: ut & ipſi æquè Arabes cognoſcunt. Et revera ſeculo illo, eoque rudiore, civiles quoque menſes haud aliter computati ab Arabibus videntur, quàm à Lunæ phaſi: quod etiam Philoſophus Xiraſita, ſuprà laudatus autor, atque alii teſtantur. Verum enimverò, cum menſes civiles paulò poſt ad præfinitam calculi & artis normam exigi cœperint; æquum & conveniens fuit ipſum totius computi primordium eidem rationi convenire: juxta quam Neomenia Muharram pertinet ad feriam quintam. Ejuſque epilogiſmi uſum ab eo tempore invaluiſſe ſimul arbitror, quo Imperator Omar, rogatus ut literas & acta publica certo temporis titulo ſignari juberet, uſum hujus Epochæ, nempe Higræ, præſcripſit. Neque enim tempus quod à phaſi petitur, certò deſignari poteſt, hominibus præſertim longiùs diſſitis, aut poſt venturis: quod tamen debere fieri & voces ارخ & تاريخ præ ſe ferunt, & res civiles ac politicæ requirunt. Aſtronomicę verò & Chronologicæ conſiſtere abſque eo neutiquam poſſunt. Sacræ

autem,

autem, quia juxta Phasin primùm institutæ fuerant, juxta eandem quoque observari debuerunt. Neq; diversis populis ex parva Phasium discrepantia, quæ subinde incidere possit, incommodi hîc quicquam nascitur: cùm quisque pro se suum exequatur munus, obsequutus legi, quâ se teneri agnoscit. Ex Astronomorũ tamen Arabum numero unus mihi occurrit Ibn Xatir Damascenus, cui visum fuit primã hujus epochæ neomeniam, tanquam sacram, repetere à nascentis Lunæ phasi; & à feria sacra, nimirũ sexta, annorum Higræ computum ordiri. Sed qui ante tabulas suas hoc peculiariter monet, se à recepta consuetudine descivisse: ne disparitas illa difficultatem parere aut confusionem posset.

Lin. 7. تاريخ الفرس *Aera Persarum.*] Hanc à primo imperii Iezdagirdi, postremi regis, anno procedere Alferganus inquit: & eâ quoque parte consentientem sibi habet totum Orientem. Idem & Georgius Chrysococcus, scriptor Græcus, retulit ex ipsorum Persarum fide, ubi de eorum epocha agit: *ἡ ἀρχὴ τοῦ ἔτους τούτου ἡμέρα τρίτη ἀρχὴ μηνῶν Φαρβαδὶν, ὁπηνίκα ὁ Ἰασδακέρδης εἰς τὸν θρόνον ἐκάθισεν.* A verò itaque aberrant Chronologi Europæi quidam, cum epochæ hujus initium ducunt à regis illius nece: quæ totis demum viginti annis pòst contigit, nempe anno Higræ XXXI; uti ex Almacino, Teixeira, aliisque constat.

Lin. 9. تاريخ الروم *Epocha Romanorum.*] seu Græcorum potius, juxta ea, quæ suprà de hoc nomine diximus. Non intelligendi autẽ hîc anni à primordio regni, prout paulò antè. Neque ab Alexandri morte, prout vetus Ptolemæi interpres in fine libr. III. annos Alexandri exponit. Nam, ut Ptolemæus ejusdem libr. cap. 8. docet,

à prin-

à principio regni Nabonaſſari uſque obitum Alexandri ſunt anni Ægyptii 424: ſed hanc noſtram annorum Alexandri epocham Alferganus aliique, qui eâ utuntur, epochâ Nabonaſſari poſteriorem faciunt annis 432, & diebus 326. Id ipſum autem tempus fuit, quo Seleucus revera imperare cœpit; Syriâ, Babyloniâ, & aliis provinciis ſubjugatis. Quod Euſebius libr. VIII teſtis eſt contigiſſe XII annis poſt Alexandri Magni exceſſum: unde & annos Seleucidarum ipſe ſubducit. Hoſce quidem annos Alexandri dixerunt, in ſummi ducis & victoris memoriam ac honorem: ut cui totam fortunam ſucceſſores acceptam ferebant. Quemadmodum in genere imperium illud Alexandrinum dictum fuit; & tunc demum ſolidũ ac ſtabile videbatur: licet à pluribus, ſed Alexandrinis omnibus, occupatum. Hæc Epocha illa eſt, quam Judæi מנין שטרות *Æram contractuum* vocant: quòd eo titulo contractus & acta olim ſignare debuerunt. Pleri que autem ipſorum, & cum iis Arabes multi, propter ea, quæ ſuprà dixi, ab ipſo Alexandri imperio æram hanc conſurrexiſſe putant. Rectè tamen faciunt Judæorum nonnulli, qui à quatuor ducum imperio repetunt. Sed errant denuò, quòd hoc cum Alexandri morte conjungunt, ejuſque teſtamento illis obtigiſſe volunt: cùm Alexander nullum nominatim deſignârit ſucceſſorem; ſed duntaxat optimum: ipſiſque ducibus præhabitus fuit Philippus Aridæus. Huic ſeptem annis pòſt ſucceſſit Alexander alter: uti in Canone regnorũ Ptolemæus tradit. Vnde etiam dubitatio mihi ſubinde incidit, an non æra hæc ab altero illo Alexandro, nempe imperii ejus anno quinto, deducta fuerit, & poſtea ob nominis convenientiam Alexandro Magno imputata: quod & de Epocha Phi-

lippi factum diximus. Cæterùm Alexander Magnus in Corano, & passim ab Arabibus, quod hîc etiam à nostro autore fit, ذو القرنين *Bicornis* vocari solet: non tam ob partum duplex, Orientis & Occidentis, qui Mundi cornua illis dicuntur, imperium, ut eorum plerique volunt: quàm à cornuta Alexandri effigie, nummis exhibita; ut ita quoque Iovis Ammonii filium gentes agnoscerent. A qua vel credulitate, vel servili potius adulatione, fluxisse existimo, quòd eum divino numine afflatum, & نبيا *Prophetam* Coranus vocat.

Lin. 12. بختنصر *Nabonassari.*] Ita versione errori esse occurrendum duxi. Nam Bochadnassar (Bochtenassar efferunt hodie Arabes) est per aphæresin pro Nabocadnassar. Etenim quæ de hoc Babyloniorum rege Sacræ Literæ memorant, eadem fere Arabes de Bochtenassar tradunt. Vbicunque autem in Syntaxi Ptolemaïca Nabonassari occurrit nomen, ibi Arabs interpres Bochtenassar, hujusque Latinus Nabuchodnosor habet. qui sanè etiam major ἀναχρονισμὸς eo, qui modò notatus fuit in Epocha Alexandri. Vtriusque autem hallucinationis occasionem præbuisse videntur nominum affinitas, & historiæ exoticæ neglectus.

Lin. 14. سني فيلبفوس, seu, ut plerique alii scribunt, فلبس *annorum Philippi.*] Cùm epocha hæc Alexandrinam aliquot annis præcedat, Arabum aliarumque gentium quosdam hîc etiam contigit cæspitâsse; arbitratos Philippum intelligi Alexandri Magni Patrem. cùm ille Aridæus sit, Alexandri frater ἀμφιμήτωρ: cui post Alexandri mortem imperium unà cum Patris nomine ab exercitu delatum fuit. Nec malè Keuxian Gilæus eum fuisse

fuisse inquit من ملوك اثور *ex regibus Atzur*; quod nomen Chaldæis notare Babyloniam in Lexico Syriac-Arabico tradit Isa Bar Alis; & ab אשור *Assur* desumptum fuit. Siquidem Babylone in regem ascitus esset, atq; illa imperii haberetur caput. Est autem hæc eadem epocha, quam Ptolemæus & alii ab excessu Alexandri nuncupant: nam & eodem, quo illa, à cæteris Epochis intervallo distat, & Ptolemæus in Canonio regnorum Aridæum Alexandro immediatè subjungit, nullo interposito interregni spacio. Tum etiam Censorinus, ubi epochas celebriores recenset, hoc apertè docet, inquiens: *anni Philippi, qui ab excessu Alexandri Magni numerantur.*

Lin. 13. زيج بطلميوس *Tabulis* seu *canone Ptolemæi.*] Haud dubium est, quin Autor faciles illos & expeditos canones designet, qui κανόνες πρόχειροι inscripti sunt. Quos quidem ipsius Ptolemæi esse, præclarus vir Henricus Savilius, & alii, qui eos habuere, arbitrati sunt. Exemplar quod Constantinopoli ego advexi, cùm præfationis capite mutilum sit, minùs facere ejus rei fidem potest. In eosdem canones scripsit Theo Alexandrinus, quantum ad eorũ intelligentiam & usum requiri videbatur. Ideoque ipse à multis habetur eorundem autor. Inter Arabes quoque Keuxian Gilæus, cùm de hac Philippi epocha agit, disertis verbis inquit: وعلي هذا التاريخ وضع ثاون الاسكندراني اصول اوساط الكواكب في زيجه الملقب بالقانون *Ad epocham hanc designavit Theo Alexandrinus medios stellarum motus in tabulis suis, quæ Canones dicuntur.* quod si hoc verum sit, Canones illi ea de causa Ptolemaïci nuncupati fuerint, quod juxta Ptolemæi hypotheses ac epilogismos conditi sint. Ibidem autem calculo

præfixam esse epocham Philippi, Theo in prolegomenis monet: Ἐπεὶ καὶ κινήσεως ἐστὶν ἀρχὴ τόπος καὶ χρόνος πεποίηται ταύτη ἀπὸ τοῦ πρώτου ἔτους Φιλίππου τοῦ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην κατ᾽ αἰγυπτίους, καθ᾽ οὓς ὁ ἐνιαύσιος χρόνος ἡμερῶν τυγχάνει μόνον τξε, Θὼθ νεομηνίᾳ τῆς μεσημβρίας, ὅπερ ἐστὶ πληρωθείσης ὥρας ἕκτης καὶ ἀρχομένης ἑβδόμης. *Postquam motus principium est locus & tempus, constitutum quidem illud est à primo anno Philippi (qui Alexandro conditori,* plurium scil. urbium pylarumque, *successit) secundùm Ægyptios, quibus annuum tempus est dierum duntaxat 365, meridie Neomenia Toth; nimirum expletâ horâ sextâ, & ineunte septimâ.* Nam Ægyptii, quos imitati videntur Romani, dividebant diem in horas æquales duodecim. Id autem in hac cæterisque Ægyptiorum epochis observandum, quod & Censorinus disertè monet, initia semper sumi à Neomenia Toth. Porrò duæ aliæ epochæ sunt, Ægyptiis, aliisque Orientis populis usitatæ, Augusti nempe, & Diocletiani. Illa quidem, ut antè dixi, consurgit à morte Cleopatræ: à Nabonassaræa distans, teste Ibn Iounis, Ibn Xatir, Keuxian Gilæo, aliisque, annis Ægyptiis 718 & diebus 74; initiumque capiens à feria quinta. Hæc verò procedit ab anno, quo imperare cœpit Aurelius Diocletianus, posterior illâ, Abu Maxar, Keuxian, Gilæo, aliisq; testibus, annis Ægyptiis 313 & diebus 78, incipiens à feria quarta. Hanc epocham, quæ & absolutè تاريخ القبط *Aera Ægyptiorum* dicitur, Christiani à dira persecutione; quam tyrannus ille, cùm divinos honores sibi expeteret, in veri Dei cultores inprimis, Christianos inquã, exercuisset, multis Martyrum millibus in Syria & Ægypto cæsis, postea vocârunt تاريخ الشهداء *Æram Martyrum*. Nam licet ea sævitia XIX demum imperii illius anno maximè exarserit;

exarserit;nullam tamen ipso Æræ usu temporis differentiam Christiani spectant: ut ex Historiæ Saracenicæ aliisque exemplis liquet: ac si Christiani imperium illud, seu potius illius imperii æram, non tam impii Persecutoris nomine, quam celeberrimi Martyrii titulo, velut sibi glorioso, insignire voluerint. Sed cùm dictum sit Ægyptiorum æras semper deduci à Neomenia Toth, mirum videri posset, quare duæ hæ epochæ aliud præ se ferant; quippe ab aliis proximè præcedentibus distantes non absoluto annorum numero, sed insuper aliquot diebus. Notandum itaque, eam computi rationem ibi adhiberi, quam ab Alexandrinis sive Græcis observatam diximus, computi nempe Iuliani, seu intercalaris. Nam cùm æra Augusti à Nabonassaræa differat annis Ægyptiis 718 & diebus 74; posterior fuerit ærâ Philippi, à quo tempore Græci & Alexandrini in Ægypto sedem & imperium fixerunt, annis Ægyptiis 294 & diebus 74: siquidem Ptolemæus sub lib. III. finem docet inter excessum Alexandri, quæ & æra Philippi est, ad principium regni Augusti esse annos Ægyptios 294. Atque iisdem respondent 74 illi dies, ut ex Ægyptiis annis conflentur totidem Græci sive Alexandrini, qui præ illis sibi vindicant diei quadrantem. Quamvis autem à primordio æræ Philippi supra illos annos Ægyptios lapsi essent Alexandrinis revera dies tantùm $73\frac{1}{4}$; quoniam juxta hosce intercalationis initium, uti Ibn Iounis tradit, incidit in Epochæ illius annum tertium; integros tamen dies assumi, scil. 74, vero proximos, consentaneum fuit. Eodem modo res sese habet in æra Diocletiani seu Martyrum: nam 78 intercalarii dies debentur 313 annis Ægyptiis, ut hi ipsi transeant in Græcos. At verò Ibn Iounis & Ibn Xatir

inter epocham hanc & præcedentem Augusti interponunt dies 114248, hoc est, annos Ægyptios 313, & dies tantùm 3; ac proinde initium ejus conferunt in feriam sextam: asserentes hoc epochæ utriusq; intervallum obtinuisse apud plerosq; اهل مصر *Ægyptios* sive *Cairenses*, inprimis Christianos. Non potuit autẽ tempus hoc deduci ab initio anni, quo Diocletianus imperare cœpit, ita uti apud Ægyptios aliosq; Epochæ aliàs instaurari solebant: sed forsan, prout Ibn Iounis inquit, من اول ملكه *à principio ipsius regni*. Vel dicendum, tridui illum supra 313 annos Ægyptios excessum provenire ab Ecclesiæ Græcæ, nempe Antiochenæ, usu ac more: quæ hosce annos Martyrum, sive Gratiæ putabat à kalendis Septembris: à quibus, ceu temporis omnis initio, illa deducere solebat computum sacrum, nimirum annos Mundi. Hujus itaq; Ecclesię epocham Ægyptii posteriores, Christiani inquã, in eo respexisse videntur: & quidem inprimis Iacobitæ; qui hoc forsan à Iacobo suo Syro, ejusque asseclis, ab Antiochena Ecclesia digressis, accepêre. Ut verò horum omnium tempora conferri, & epilogismi commutari possint, intercalationum primordia in Epocha quaque, ubi illæ Græcis vel Alexandrinis usitatæ fuerunt, designanda sunt. In tribus itaque æris, nempe Philippi juxta Græcos, Alexandri, & Diocletiani, prima intercalatio incidit in annum tertium: quemadmodum Ibn Iounis aliique tradunt. Sed apud neminem de æra Augusti prę-ceptum vidi: res tamen per aliarum connexionem definiri potest. Nam cùm in epocha Philippi intercalari cœperit anno tertio, & ab hac ad Augustum anni sint 294; liquidò constat intercalationem quartam & septuagesimam incurrisse in annum Augusti primum. quod ipsum

quoque computi Ægyptii atq; Alexandrini ἀποκαταστάσεως convincit; de qua in ſuperioribus ex mente Theonis diximus: nempe, contigiſſe eam expleto anno Auguſti quinto. Non potuit verò ea contigiſſe aliter, quàm cùm anni Alexandrini finis uno die ob intercalationem protractus cum fine anni Ægyptii conveniret. Igitur anno Auguſti quinto, & quidem juxta intercalationis Ægyptiacæ morem eo peracto, intercalatum fuit: ac proinde etiam primo.

PAG. VII. lin. 8. علي مثال الكرة *Circularis.*] ad verbum, *ſphæræ ſimilis*, σφαιροειδής. At quemadmodum Græcis σφαιροειδὴς καὶ κωνοειδὴς non ſemper *ſphæræ & cono ſimile*; atque hinc peculiariter *ſolidum Ellipticum & Hyperbolicum* notat, velut de iis librum ſuum Archimedes inſcripſit: ſed plerunque idem valet quod σφαιρικὸν καὶ κωνικὸν, *id quod revera ſphæricâ vel conicâ figurâ conſtat:* ita quoque apud Arabes علي مثال الكرة vel idem eſt quod كري *perfectè ſphæricum*, uti hoc loco: vel ſtrictæ ſignificationis, *quod ad ſphæricam figuram proximè accedit:* uti capite ſequenti.

PAG. VIII. lin. 6. الجدي Arabibus *Hædus* eſt; &, quod ſequitur, الفرقدان *Vituli duo.*] Nomina, quæ priſci olim Arabes indiderunt ſtellis, non à mirabilium rerum hiſtoria aut fabulis petita ſunt, quemadmodum apud Græcos: ſed ab obviis & familiaribus rebus. qualia etiam hæc duo ſunt: unà cum aliis deſumpta à re pecuaria, cujus illi apprimè ſtudioſi erant. Ita quoq; nomen ſequens بنات نعش (quidam, præſertim Poëtæ, بنو dicunt) *filiæ* vel *filii feretri*. Nam quas Latini Septentriones vocârunt, illi aſſimilârunt feretro: ita ut Græci currui, cum dixêre

dixêre ἅμαξαν. Et quia utriusque Arcti 7 stellæ situm haud dissimilem habent, Arabes eodem nomine appellârunt, نعش الكبري والصغري *Feretrum majus, & minus:* in genere quidem totum 7 stellarũ Asterismum; peculiariter verò quadrangulum utriusque: & ternas, quæ utrobique Ursæ caudam constituunt, *filias* vel *filios feretri*, qui nempe feretrum, velut in exequiis fit, præcedunt. est enim propriè نعش *feretrum cum cadavere sublatum* in humeros, ab *attollendo* ita dictum; aliàs, cum non impositum est funus, simpliciter سرير nominatur.

Pag. X. lin. 11. الكثير الرطوبة *multi & humidi.*] ad verbum *multi humiditate*, id est, *admodum humidi.* quæ versio genuina, & illi præferenda. Id autem hyeme, & post pluvias ait potissimum evenire; propterea quod in calidioribus illis Terræ plagis, delapsi humoris pars resolvi paulo pòst, atque ita sublata iterum à frigore in vaporem verti cogique solet. & multis locis hyemes vix aliud sunt, quam pluvius imbricusque cœli status. Ita & Arabibus Africanis aliisque الشتاء, quod *hyemis* nomen est, vulgato usu quoq; *pluviam* notat: nec aliunde suum Latinis hyems, & Græcis χεῖμα videntur nata.

Lin. 16. كلما صفا *Quo densior.*] Ipsa quidem verbi hujus significatio est, *quo clarior est & limpidior.* Sed cùm puritas claritasq; medii faciat non tam ad rei visibilis speciem augendam, quàm ut ea purior modò ac distinctior transmittatur; augmentum verò petendum potiùs videatur à medii densitate: veritati & Autoris menti verba utcunque accommodata sunt, ac si كثف scriptum fuisset.

Pag. XI. lin. 10. من قبل الاحداث] Si pressiùs insistendum

ſtendum verbis, dicendum fuerit *ex obviis & manifeſtis rebus*. Ita Gjeuharæus loquitur رايته قبلا اي مقابلة وعيانا *vidi illud coram*, ſeu *apertè & palam*. Poteſt & πρόληψιν notare, temporis nimirum, quo obſervationum altera alteram prævertere videtur.

Lin. 13. البلدين *Duobus locis.*] Sed peculiariter *habitatis & cultis*, ut urbs, pagus, &c: unde Geographia تقويم البلدان dicitur.

Lin. ultim. انقضاض كوكب] Eſt exhalationis in ſumma aëris regione trajectio; quę exhibet *ſtellæ caſum*. Aliàs privâ voce الشهاب dicitur. Notat autem انقضاض peculiariter *ruinam* & *caſum præcipitem*. Et tunc malũ aliquem dæmonem expelli cœlo ac dejici credebant Arabes pagani. Indè illis natũ hoc nomen, quia ita cadere videtur: vel ab immenſa celeritate. Et quidnam aliud, ex eorũ numero, quæ non κατ᾽ φαντασίαν, ſed καθ᾽ ὑπόστασιν apparent, ortus ſui & interitus brevius momentum habet? niſi fortè fulmen, aut pulveris nitrati flamma: ſed & illud meteorum ad hæc referri poteſt. Plinius *ſtellæ diſcurſum*, uti Ariſt. διαδρομὴν, vocavit: Nam & cadere, & excurrere in latus, quin & aſcendere, conſpicitur; pro diverſo materiæ, quæ accenditur, ſitu ac impulſu. Ariſtoteles alibi ἄστρου ῥύσιν *ſtellæ fluxum*, & quaſi continuatam dicit extenſionẽ, ut quæ conſpiciatur tota ſimul. Namq;, ut Seneca deſcribit, *velut igne continuo totum iter ſignat: quia viſus nocti tarditas non ſubſequitur momenta currentis; & videt ſimul unde exilierit, & quò pervenerit.* Vide Ariſt. libr. 1. Meteor. cap. 1. ubi ἀστέρας διάττοντας nuncupat, & haud diſſimili modo gigni putat, atque candelæ extinctæ fumus à proxima ardente concipit flammam: &

i Sene-

Senecam quæſt. Nat. libr. I. cap. I. & III. ubi *volantia ſidera* nominat cum Poëta. Porrò μετέωρον ſive Meteorum hoc probandæ hypotheſi, de qua Autor agit, minùs idoneum videtur: tum quòd ex præſtituto à pluribus obſervari nequit, ut quod certum & periodicum ortum non habet; tum quòd, etiamſi caſu è diverſis locis ſpectetur, non poteſt eorum niſi exiguum admodum eſſe intervallum. Nam ſi ſupremam aëris regionem, ubi exhalatio illa accenditur, ſtatuamus 4 milliarium altitudine abeſſe ab horizonte; locorum, undè ſpectabitur, diſtantia 10 gradus non exceſſerit, hoc eſt, temporis utrobique notati diſcrimen pertingere nequierit ad ⅔ unius horæ.

PAG. XVIII. lin. 10. الممتحن *Probatam*.] propriè *experimento comprobatam accuratamque*. Nam محنة *experimentum* eſt, & *examen*: quemadmodum & vulgari dicto fertur, عند الامتحان يكرم الرجل او يهان *facto periculo magni æſtimatus vir, aut vileſcit*. Fuit autem Almamon ille, ab Alfergano celebratus,, Chalifa, id eſt, regni Arabici poſt Muhammedem Imperator, XXVIII: de cujus vita extant apud nos quædam lib. II. cap. VIII. Hiſtor. Saracen. in Oriente autem commentarii ſingulares & luculenti complures. Nam Abbaſidum, qui imperio maximè florenti præfuerunt, vix quiſquam extitit illo doctior, aut liberalior, quive literarum & artium ſtudiis impenſiùs favit. Inter cætera quoque ſolertioribus Mathematicis convocatis (quod per اجتمعت noſter denotatum vult) Aſtronomiam inſtaurari juſſit. Vnde & variæ prodierunt rerum cœleſtium tabulæ. Inter eas fere præcipuæ ſunt الزيج الممتحن *Tabulæ Probatæ*, autore Iahja fil. Abi Manſor: ita dictæ, quòd novis obſervatis, ceu certis

certis experimentis, veterumque cum iis factâ collatione, fundatæ essent: & autore Habas fil. Abd-allæ, القانون الممتحن *Canon Probatus*; itemque الزيج المأموني *Tabulæ Mamonicæ*, pro quo in Hist. Sarac. loco citato perperam legitur الريح المأموني *Ventus Almamonis*. Et quidem eo major hinc ad Almamonem gloria redundavit, quòd in novo illo imperio ipse ferè primus rem tentâsset. adeoque ea genio illius gentis placuit, ut sequentibus sæculis vel triginta Reges hoc exemplum æmulati fuerint. At verò non omnia, quæ auspiciis ejus cœpta erant, ipse absoluta vidit: pleraque tamen non alii, quàm ipsi, inscripta & imputata fuerunt. Idem fortè sentiendum de eo videatur, quòd obliquitatem Zodiaci noster ait Almamoni observatam 23. gr. & 35. minutorum. Nisi dicamus, Alfergano quidem scriptum tantùm fuisse min. 33; quod & in antiqua versione est, centum abhinc annis editâ Norimbergæ: sed postea à Scribariis vel aliis substitutũ fuisse 35; qui numerus post Almamonis excessũ à pluribus observatus, & vulgò receptus esset. Qua quidẽ de re, aliisque ad hunc locum spectantibus, fortè gratum fuerit audire Orientales ipsos. Inter cæteros Ibn Iounis, ubi de summa Declinatione agit, post explicata observata Veterum prosequitur in hunc modum: فاما ما وجده اصحاب الممتحن في ارصادهم القريبة من عصرنا فان يحيا بن ابي منصور وسند بن علي والعباس بن سعيد الجوهري وطايفة من اهل العلم والفضل اعتبروه ببغداد في ايام المامون بالشماسية فوجدوه كج له ذكر ذلك محمد بن موسي الخوارزمي عنهم ومحمد بن كثير الفرغاني في كتابه في عمل الاسطرلاب والامر

والامر مشهور وذكر الراصدون بدمشق بعض موت يحيا بن
ابي منصور بالالة التي كان امر باتخاذها المامون حين توجه
الى بلاد الروم وهم خالد بن عبد الملك المروروذي وابو
الطيب سند بن علي وعلي بن عيسي الاسطرلابي وغيرهم انهم
وجدوا الميل الاعظم كج لج نه وكان القياس بهذه الالة في سنة
رآ ليزدجرد ، وذكر بنو موسي بن شاكر انهم قاسوا ارتفاع
الشمس نصف النهار عند دخولها اول الجدي بمدينة السلام
وذلك في نصف نهار يوم الخميس الثالث من الخمس اللواحق
بعد ابان ماه سنة رلز ليزدجرد فوجدوا ارتفاعها المصحح لج
ه وكانت الشمس اذذاك في دايرة نصف النهار بحساب
الممتحن في القوس في كط مز وكان هذا الارتفاع بالحلقتين
المتخذتين للقياس سوا وذكروا ان لهم قياسا قبل هذا القياس
في اول الجدي موافقا له وذكروا انهم قاسوا ارتفاع الشمس
عند نزولها اول السرطان وهي في دايرة نصف النهار اول
يوم من خرداد ماه سنة رلج ليزدجرد فوجدوها عز يه وكانت
الشمس يوميذ في دايرة نصف النهار في السرطان ي دقايق
وهذان القياسان في دارهم الذي علي الجسر بمدينة السلام
فاذا نقص اقل هذين الارتفاعين عن اكثرها بقي مز ي
وهي ضعف الميل الاعظم فاذا نصفناها كان نصفها كج له وهو
الميل الاعظم بما اوجب هذان القياسان ويكون عرض موضع
الجسر الذي بباب الطاق من مدينة السلام لج كـ ،

Quod

Quod autem ad ea spectat, quæ Probati operis (Astronomiæ sive Supputationis) *autores observatis suis, seculo nostro vicinis, deprehenderunt; equidem Iahja fil. Abi Mansor, Sened fil. Alis, Abbâs fil. Saïdi Gjeuharæus, pluresque alii docti & præstantes viri operam ei* declinationi inveniendæ *diligenter navarunt Bagdadi in Ximasia*; (quasi Diaconatum dicas: nam ita vicus hic, in edita maximè urbis parte situs, denominatus fuit à Diaconis quibusdam Christianis; qui ibidem sedem & reditus suos videntur habuisse) *inveneruntque eam* XXIII *grad. &* XXXIII *minut. Hoc quidem de iis refert Muhammed fil. Mousæ Chorasmius, & Muhammed fil. Ketiri Ferganensis in libr. de Astrolabii fabrica & usu. Quæ quidem res est passim nota. At illi, qui post obitum Iahjæ fil. Mansor observarunt Damasci, organo, quod Almanon adhiberi præcepisset, tunc cum duceret in Græcos exercitum, nimirum Chalid fil. Abdi-Lmelic Mervarudus, Abu'ltybus, Sened fil. Alis, & Alis fil. Isæ Astrolabius*, sive *organopæus, & alii, compererunt declinationem summam esse* XXIII *grad.* XXXIII *min.* LII *secund. Atque ea quidem dimensio organo hoc facta fuit anno* 201 *Iezdagirdis. Prodiderunt autem Filii Mousæ fil. Xakir*, (erant illi tres germani fratres, Muhammed, Ahmed, & Hasen, cui summa in promovendis disciplinis & diligentiâ & liberalitate magnam nominis sui claritatem consecuti fuerunt) *observatam à se Bagdadi fuisse altitudinem meridianam Solis sub ingressum ejus in Capricornum; meridie, inquam, feriæ quintæ, diei tertiæ* V *Epagomenων post Aban Mah, anno* 337 *Iezdagirdis: ac invenisse altitudinem ejus emendatam*, secundũ paralaxin puta, 28 *gr. &* 5 *min. eratque tunc Sol in meridiano existens, juxta calculum Probatæ* Astronomiæ, vel Supputationis, *in* 29.*gr.* 48.*min. Sagittarii. & deprehensa*

fuit altitudo hæc duabus adhibitis armillis una eademq;. Quin & hoc addunt, aliam à se antè habitam fuisse observationem in principio Capricorni, quæ cum hac ipsa concordârit: ajuntque se observasse Solis meridiani altitudinem, cùm ingrederetur Cancrum, primo die Chordad Mah, anni 338 *Iezdagirdis; ac comperisse* 80 *grad.* 15. *minut. erat autem tunc Sol meridianus in* 10 *min. Cancri. Quæ ambæ dimensiones institutæ sunt domi ipsorum in supra pontem Bagdadi. Quare minore altitudine à majori subtractâ, relinquuntur* 47 *grad.* 10 *minut. duplum Declinationis summæ; & factâ bipartitione erit dimidium ejus* 23 *grad. &* 35 *minut. ipsa nempe Declinatio maxima: prout duæ hæ observationes evincunt. Erat autem latitudo loci ejus Pontis, qui est ad Portam urbis Bagdadensis Tacam* cognomine, 33 *grad.* 20 *min.* Notat autem Arabibus طاق inter alia, teste Iacûto Hamatæo, بنــاء معقود *Opus firmum & præsidiarium.* Talia hoc nomine Bagdadi plura extructa fuerunt; ut sunt طــاق الحراني , طاق العطريف & طاق العكي, ab autoribus suis ita cognominata. Hîc autẽ, absolutè positũ, intelligitur طاق اسما, ita dictum ab *Asma* filia Almansoris Imperatoris; de quo Hist. Sar. libr. II. cap. III. Extructum hoc opus fuit ad Orientalem Tigridis ripam, eamque urbis Bagdadensis partem, quam الرصافة vocabant. Indè nomen hæc porta habet, quæ pontem illum excipit. Hæc quidem nullum indicium faciunt, minuta illa xxxv ab Almamonis Mathematicis, sive vivo ipso, sive mortuo, observata fuisse. Nam Mousaïdæ illi auspiciis impensisque propriis omnia exequuti sunt, & ad proprii nominis laudem: illustri Imperatoris exemplo forsan excitati; at unde causa justa saltẽ, peti nequit, quare huic inventa illorũ adscribantur. Verùm Ibn Iounis

Iounis paulò pòst eodem loco ſubjungit, واما احمد بن عبد الله حبش فانه ابته في زيجه الممتحن الذي سماه القانون في موضعين اما في جدول الميل ابته كج له واما في جدول التقويم فاثبته كج لج وكان ينبغي ان يكون واحدا ، *Quod autem ſpectat ad Ahmed fil. Abdallæ Habaſum*, qui ex Aſtronomis Almamonis unus fuit, *ille utiq; præfinit eam*, Declinationem ſummam, *in tabulis ſuis Probatis, quas Canonem vocavit, duobus in locis: in tabula quidem Declinationis poſuit* XXIII *grad.* XXXV *min. in tabula verò Directionis conſtituit eam grad.* XXIII, *min.* XXXIII: *cùm oporteat eſſe unam & eandem.* Atq; hinc fortè eſt, quòd Alferganus in tractatu de Aſtrolabio ex obſervatis illis Mamonicis refert XXXIII; quod adducta modò Ibn Iounis verba docent; in hiſce verò Elementis videtur præhabere XXXV, ſequutus poſterioris obſervationis, ejuſque continuatæ experimenta. Quam eandem Obliquitatem Ibn Xatir quoq; Almamoni adſcribit. & poſtea multi alii obſervarunt; ut ſunt Mahánis, Tabit fil. Coræ, Muhammed fil. Gebar Betanæus, vulgò Albategnius, & ipſe Ibn Iounis.

PAG. XX. lin. 18. سمت الراس] Culmen cœli in Aſtronomorum ſchola Barbarè & corruptè *Zenith* dicitur: litterâ *m* in duas, *n* & *i*, diviſâ à ſcribariis. Nam *Semt* ſcribendum, quod hîc exprimitur. Ea autem vox propriè *tractum* vel *viam* notat; & cum adjuncto *tractum* ſeu *punctum verticis*. Ita quoque النظير *Nadir* dicitur cœli tractus *Oppoſitus*, ſcilicet τῷ السمت *vertici*: qui etiam سمت القدم *tractatus pedis* vocari ſolet.

PAG. XXX. lin. 16. بالذراع السودا *Cubitis Regiis.*] ſeu

ſeu ad verbum, *Nigris.* Antequam hoc menſuræ genus exponam, dimenſionẽ mandato Almamonis inſtitutam, cujus autor noſter hîc meminit, Abulfedæ verbis enarrare operæ pretium fuerit. Is in prolegomenis ad تقويم البلدان *Geographiam*, poſtquam Veterum & Ptolemæi menſuram expoſuit, ita proſequitur: ثم قام بتحقيقه طايفة من الحكماء المحدثين في عهد المامون وحضروا بامره في برية سنجار وافترقوا فرقتين بعد ان اخذوا ارتفاع القطب محررا في المكان الذي افترقوا منه واخذت احدي الفرقتين في المسير نحو القطب الشمالي والاخري نحو القطب الجنوبي وساروا علي اشد ما امكنهم في الاستقامة حتي ارتفع القطب للسايرين في الشمال وانحط للسايرين في الجنوب درجة واحدة ثم اجتمع عند المفترق وتقابلوا علي ما وجدوا فكان مع احديهما ستة وخمسون ميلا وثلثا ميل ومع الاخري ستة وخمسون ميلا بغير كسر فاخذ بالاكثر وهو ستة وخمسون ميلا وثلثا ميل ،

Poſtea aſſequendæ ejus rei veritati operam navârunt tempore Almamonis ex Philoſophis recentioribus complures: qui juſſu illius convenerunt in deſerto Sinjar. ita denominatur ab urbe Meſopotamiæ, quæ auſtralior Niſibi, ſita ad radices montis, tridui fere itinere diſtans à Tigri occaſum verſus: eodem nomine & regio & mons vicinus dicuntur. Gen. cap. x. & alibi in ſacris literis eſt Sinaar, & in Ptol. Singara. *Et diviſi in partes duas, poſtquam accepiſſent accuratè poli elevationem in loco unde digreſſi fuerunt, pars altera quidem inſtituit iter polum borealem verſus*, nempe Chalid fil. Abdo-lmelic Mervarudius cum aliis Mathematicis; *altera verò polum auſtralem verſus*, nimirum Alis fil. Iſæ cognomine الاسطرلابي *Aſtrolabicus*, cum viris aliis peritis.

peritis. *Et profecti sunt juxta summam, quoad potuit fieri, rectitudinem:* (erectis nempe & successivè promotis, ut quidam autores disertè referunt, ternis signis, quorũ extremũ unum officeret alteri medioq;) *donec euntibus in septentrionem attolleretur polus gradu uno; incedentibus verò in austrum, uno item gradu deprimeretur. Deinde loco, unde prius discesserant, congressi, cõtulerunt inter se quæ deprehendissent. Erantq́ aliis quidem milliaria sex & quinquaginta cum duabus tertiis; aliis verò totidem sine fragmento. At quantitatem assumpserunt majorem, nempe milliaria* LVI, *& duas tertias.* Qualia verò milliaria intelligenda sint, Alferganus, qui haud multò post vixit, exactè distinguit; cum inquit singula cubitis æquari quater mille; & cubitis quidem, quæ peculiari nomine dicebantur Nigra. Sed quænam hæc fuerint, Geographi, aut alii scriptores, qui dimensionis enarratæ meminerunt, mihi quidem visi, haudquaquam exponunt. Idipsum tamen liquet ex opere Geodætico autoris anonymi, sed docti atque accurati; unde ego cùm in Oriente agerem, fortè quædam excerpsi. is de Geodætarum mensuris scribit in hæc verba: الات المساحة فهي
ثلاثـة الذراع والقصبة والاشل اما الذراع فهي المعروفة بالهاشمية
وعرفت بالملكية ايضـا سميت بالملك لانهـا وضعت في زمن
الفرس فنسبت الى ملكهم وعرفت بالهاشمية لان الايمة من بني
هاشم رحمهم الله تعالي يستعلونهـا في المساحة فنسبت اليهم وهي
ذراع وثلث ذراع بذراع اليد العادلة وذراع اليد ست قبضات
كل قبضة اربع اصابع وهي المسبحة والوسطي والبنصر والخنصر فتكون
اربعة وعشرين اصبعـا كل اصبع ست شعيرات مضمومات متلاقية
البطون والظهور كل شعيرة ست شعرات من شعر البرذون والذراع
الهاشمية ثمان قبضات وهي اثنان ثلاثون اصبع ، واما الذرع السودا

k فهي

فهي التي يذرع بهـا البز واراضي العقار بمدينة السلام بغداد
ويحسبون كل ماية ذراع من الارض مكسرة سهمـا وسميت
بالسودا لان الاذرع اعتبرت بحضرة المامون رضي الله تعالي عنه
فلم يكن اطول من ذراع خادم له اسود فامر باستعمالهـا وهي
ست قبضات وثلث اصابع وهي سبعة وعشرين اصبعـا ، وامـا
القصبة وتسمي الباب فهي ستة اذرع بالذراع الهاشمية وهي ثمانية
اذرع باليد العادلة وهي سبعة اذرع وتسع ذراع بالذراع السودا ،
وامـا الاشل فهو حبل طوله ستون ذراع بالذراع الهاشمية كانوا
يمسحون بهـا في زمن الفرس وجعلوا عوضه سلسلة احترازا
من الظلم لان الحبل اذا يبس طال واذا تندا يقصر ، *Instrumenta Geodæsiæ tria sunt: Cubitus, Canna* ſeu *Pertica, & Scænum* ſeu *Funis. Cubitus quidem ille Haxemius dicitur; atq; etiam Regius, quia tempore Perſarũ inſtitutus, & ab eorum Rege denominatus fuit. Haxemius autem appellatur, quòd Haxemidarum piæ memor. duces eam adhiberent ad Geodæſiam: unde & ab iis nomẽ obtinuit. Valet ille manus juſtæ,* ut vocant, *cubitũ unum, & trientem. Continet autem hic Manus cubitus pugnos* ſeu *palmos ſex: palmus quiſque digitos quatuor; nempe indicem, medium, annularem & auricularem. unde conſiciuntur digiti quatuor & viginti. eorum ſinguli æquantur granis hordeaceis ſex, crenarum atque dorſorum mutuo contactu applicatis: horum autem ſingula ſenos æquant pilos ſetaceos,* ipſâ nempe lateris ſui, juxta quod ita diſponuntur, latitudine. *Atque ita Haxemius erit palmorum octo, ſeu digitorum triginta duorum. Cubitus autem Niger ille eſt, quo menſuratur byſſus, & pretioſæ merces in civitate Pacis (*nomen hoc Imperator Almanſor impoſuit juxta Hiſtor. Sarac. libr. 2. cap. 3.) *Bagdad. Centena quoque cubita terræ quadrata pro Sorte,* i.e. jugeri ſcrupulo, *habent. Et Niger cognominatus fuit, propterea*

pterea quod cubitorum omnium modulis coram Almamone glor. mem. expensis, haud existebat ullus major, quàm servi cujusdam ipsius Nigri: i.e. Æthiopis. *Itaque Imperatoris mandato ille ad usum adhibitus fuit, continens palmos* VI, *&* *digitos* III, *id est digitos* XXVII. *Canna* seu *pertica, quæ &* *Bab*, i.e. Portæ *nomen habet* (fortè quod urbium portæ ad hanc quasi altitudinem extolli solent) *est cubitorum Haxemicorum* VII; *qui sunt manus justæ cubiti* VIII; *& cubiti nigri* VII *cum parte nona. Denique schœnum* seu *funis cubitorum Haxemicorum* LX; *cujus mensuræ usus obtinuit tempore Persarum. In ejus locum substituerunt catenam: quo caverent, ne cui injuria fieret; propterea quod funis siccescens extenditur, humescens verò contrahitur.*

PAG. XXXI. lin. 7. مكسّر] Utuntur voce hâc plerumq; Geometræ, cum superficiei vel corporis capacitatem, ductis in invicem dimensionibus collectam, mensuræ numero exprimunt. Cùm aream, تكسير المسطح est; cùm solidum, تكسير الجسم. Ita quoque ذراع مكسرة modò *cubitum quadratum* notat, modò *cubitum*. Verbum ipsum propriè est *in partes frangere*. Causa autem, cur huc translatum, videtur esse, quòd capacitas illa haud meliùs repræsentari potest, quàm ipsis spaciis in frusta quadrata, vel cubita divisis; vel, quòd, multiplicatis in se dimensionum quantitatibus, facti partes earundem partibus numerosiores produci solent. Ita cùm Iugerum dicitur pedum esse 28800: plures utique exprimi partes videntur, quàm si definiatur longitudine pedum 240, latitudine 120.

PAG. XXXV. lin. 14. مدينة ملك الصين *Sinarum urbs Regia*.] Ea Geographis Arabum & Persarum plerisque

riſque eſt proprio nomine سحو : ſed quòd incertâ prorſus ſcripturâ repperi. Si ننخو vel بخو ſcribatur, duæ videbuntur indicari urbes, *Nanchinum* vel *Pechinum*, ſummâ curiâ & regiâ ſede etiam hodie illuſtres: ſed quæ ſitæ extra climatis hujus terminos. Si pingatur بيجو videbitur innui opulentum regnum *Pegu*, cui & cognominis urbs, Sinenſi proximum, & hoc ipſo olim forſitan comprehenſum. neque diverſa adeo utrique genti corporis forma & indoles, ut non una cenſeri poſſit. Arabibus Indiæ terminos navigando prætervectis primùm occurrebat Pegu; & propter magna commercia, ibidem exerceri ſolita, id nomen ubique innotuit. Alii verò ſcribunt ثجو; atque ita more ſuo videntur Arabes expreſſiſſe, quæ vulgo *Quanci* dicitur, regis ſolio non indigna. Hanc Europæi peritiores eodẽ loco ponunt, quo Aſtronomi & Geographi Orientales ſuam ثجو. Abulfeda videtur ſcripſiſſe يجو : quæ fuerit *Iamçeu*, urbs regni hujus nobiliſſima. Celebrantur quoq; Nangan & Taichon: quæ non malè iiſdem Arabum characteribus exprimuntur in نبجو & تخو. Et Abulfergius ſuo tempore, 350 quaſi anno Higræ, Tachonẽ urbem regiâ ſede eminuiſſe refert: idq; ex fide Monachi Negjeranenſis, qui cum aliis à Patriarcha ſuo illuc miſſus fuerat. Quodcunq; horum, nempe, quatuor poſteriorum, eligatur nomen, Autoris mentem & propoſitum utcunq; aſſequemur: ut qui primam climatis hujus partem locis celebrioribus deſignatam voluit. Et licet nunc contra expulſos Tataros regia fixa ſit in boreali tractu; olim tamen alibi, & quidem in tam vaſto regno plurifariam, extitiſſe potuit.

Ibid.

Ibid. اشفتيرا *Aſphetira.*] Nuſquam alibi apud Arabes hoc nomen mihi occurrit: ſed nullus dubito quin ſit Aſpitra Ptolemæi; ſolâ *ph* ſubſtitutâ pro *p*, quâ Arabes carent, & diviſis *r* & *t*, quas ita junctim efferre illis inſolens. Hujus nominis fluvium & oppidum deſcribit Ptolem. cap. 3. lib. 12. Geograph. in receſſu ſinus illius, qui Sinenſe regnum dirimit ab India extra Gangem, prope Martavam. Quod hîc optimè quadrat: ideoque rectè dicitur مرفا الصين *ναύσταθμον, ſtatio navium, Sinenſium.* eſt enim ارفا السفينة *navem adduxit ad litus*; &, abſolutè poſitum, *confugit, recepit ſe.*

Lin. 15. بلاد الهند ثم بلاد السند *Indiam; deinde Sindiam.*] Hind & Sind ſunt populorum nomina; quos Arabes duxiſſe genus, & accepiſſe nomen tradunt à duobus Chami pronepotibus. Sindia autem occidentem ſeu aquilonem verſus terminatur Carmaniâ, ſeu potius regione Macran, & Segiſtanæ deſerto: reliquas fere partes Indiâ, cujus etiam quædam ſuis terminis includit. Ad Auſtrum verò ſeu Africum alluitur mari; quod indè Sindicum appellant, alterâ parte Perſico, alterâ Indico conterminum. Intelligit autem partes, uti Indiæ; ita quoq; Sindiæ, meridionales: nam hæc attingit latitudinem 25 grad. ubi fere exit Indus fluvius: qui & hinc Sinde vel Sindus vulgò dicitur. Et olim quoque ita dictus fuit: velut ex Arriani maris Erythræi periplo, & Plinio lib. VI. cap. XX liquet: unumq; ejus oſtium Ptolemæus hoc nomine deſcribit. Atque hinc fortè ſubtilius lintei genus appellatur Sindon, ut quod magna copia indè exportari ſolet.

Lin. 16. جزيرة كرل *Inſula Carel.*] Geographorum,

 quos

quos vidi, nemo hoc agnoſcit nomen. Ideoque cum ſuſpecta meritò lectio ſit, ex خارك depravatum fuiſſe à Scribariis puto: deceptis fortè ſimilitudine characterum. De hâc autem, ex ſua & aliorum fide, Abulfeda: جزيرة خارك في بحر فارس قرينة من عمان المشهورة لمغاص اللولو وفي شرقيها جزيرة صغيرة كيش *Inſula Charec in mari Perſico oppoſita Omano, margaritarum piſcatu celebris: eiq; ab Oriente adjacet inſula parva Kîs*. Et quidem Charec in medio maris collocat Iacûtus, (uti alteram Kîs Geograph. Nubienſis) ſeſqui diei curſu à continente: ac proinde haud longè ab anguſtiis ſeu freto. Huic opinioni meæ ſatis quadrant reliqua Alfergani verba. Obſtare autem fortè videatur, quòd Abulfeda inſulam Charec refert ad 23 latitudinis gradum. Sed non ſemper climatum termini hîc adeò anxiè obſervantur, ut non etiam ad hoc vel illud ſubinde locus referatur, qui in proximi initio, & velut ipſis confinibus exiſtit.

Lin. 17. جزيرة العرب *Inſula Arabum.*] ſeu potiùs *peninſula*. Nam ſive quid prorſus totum, ſive majorem partem aquis circumfluum ſit, utrumvis eodem hoc nomine Arabes exprimunt. Dupliciter autem جزيرة العرب illis dicitur. Vel, latiore notatione quâdam, totus ille tractus; qui fluvio Euphrate, ſinu Perſico, & maribus Sindico, Indico, Erythræo, ac mediterranei parte concluditur: duplici intercedente Iſthmo; uno, quod protenditur ab الفرما *Pharma* (extremo eâ parte Ægypti oppido, nunc diruto) ad mare Erythræum, 70 quaſi Miliar. Arab. intervallo: altero ab اياس *Iſſo*; ſeu ſtatione navium proxima باب اسكندرونة, *Alexandretta*, ut vocant, ad

Euphra-

Euphratē; nempe بالس urbem in occidentali ejus ripa, Syriæ totius ultimam, ſub 36 grad. parallelo. Inſula autem Arabum appellatur, quòd ab omni quaſi poſt diluvium ævo regionem ejus præcipuam, nempe Arabiam propriè dictam, ſuo jure ipſi tenuerunt; reliquā fere partem ſibi vindicârunt, armiſq; & excurſionibus impetiverunt: univerſam deniq; Muhammedico imperio, & quidem primam, ſubjugârunt. Ita ut ibidē etiam nunc ipſorum lingua ubique locorum vernacula obtineat: & ipſi proindè Turcæ ac Perſæ dictam peninſulā hodie عربستان vocent. Arabiam propriè dictam, peculiari nomine العربة, arctioribus è contra terminis conſtringunt: utpote definitam iſthmo, qui ab ايلة *Elane* Ptolemæi excurrit ad ſinus Perſici principium, & territorii Cufenſis finem. Quæ fere Græcis Arabia felix eſt. Petrææ autem partem Arabes Ægypto, partem Syriæ; eidemque huic Deſertam aſcribunt, quam برارى الشام Syriæ deſerta nuncupant.

Ibid. ارض اليمن *Regionem Iemen*.] Arabia, ſtrictè ſumpta, dividitur ab ipſa gente in regiones quinque, اليمن, الحجاز, التهامة, النجد & اليمامة ſive عروض; *Iemen*, *Higjâs*, *Tehamam*, *Negjd*, & *Iemamam*, ſive *Aarud*. ad quas plerique addunt البحرين *Bahrein*: licet nonnulli referre malint ad Iracam, i. e. Babyloniam. Regionem Iemen à Septentrione terminat نجران *Negjrân*, inter mōtes oppidum, quod regiâ ſede & metropoli صنعا *Sanaâ* borealius eſt 10 fere dierum itinere, habens latitudinem graduum XIX: item aliud حلي *Haljo*, non longè à mari rubro, ſub lat. XX grad. Et non procul à mari Perſico ſeu Indico,

Indico, antiquum emporium Omân, Ptolemæo quoque cognitum; de quo paulò post.

Lin. ultim. ظفار *Dafar* & *Difar.*] Ita dicta olim fuit civitas prope à Sanaa, & juxta quosdam hęc ipsa. Vbi sedē regiam habebant Hamjaritę, nobilissimi Arabum & antiquissimi, Homeritæ Ptolemæi: qui eodē ferè loco describit Metropolim Saphar. Arabum autem ظ per *S* exprimere aliis plerisq; familiare. Sed hîc intelligitur oppidū, nunc etiam celebre, vulgò Dofar dictū: estq; caput provinciæ الشحر *Xibra* vel *Xobra*, (Ptolemæus habet urbem Σόχχορ) juxta maris Indici litus extensæ. Ipsa autem hæc urbs Dafar, quæ in recessu quodā productiore sita, ab antiqua illa distat 24 leucis: portum suo commodiorem habens in vicino vico seu municipio المرباط *Mirbât.* In Provinciæ hujus montibus proximisq; crescunt arbores thuris feraces: unde regio hæc λιβανοφόρος Ptolemæo nuncupata. Eas Arabes Scenitæ cultellis vulnerant; & thus in terram destillans colligunt, collectumque ad Principem deferunt: qui ad alium, capite eos lex antiqua damnat.

Ibid. عمان *Omân.*] Est Emporium Omanum Ptolemæi; duarum regionum, Iemen & Bahrein, terminus. Omân verò nomen esse tradunt filii Sabæ, nempe Abrahami ex Cethura nepotis, de quo Gen. cap. xxv. Id huic oppido datum: ut Abrahamidum alia oppidis aliis Iemen. Nam postquam omnia sua tradidisset Patriarcha filio Isaac, reliquos concubinarum ablegavit versus terram Orientis, ad quam hæc etiam ipsa pertinet. Præsidium urbi cum arce appositum. صحار *Sohar:* forsan nomine patris Hebron, quod & citatus locus habet. Hoc nomen deinde & primariæ urbi cessit, in cujus etiam reliquiis

liquiis servatur: alterum verò, nempe Omân, notandæ inservit regioni. Hæc Sohræ, superiùs memoratæ, contermina, CCC ferè milliar. spatio juxta maris Persici, quod ibi Omanicum dicitur, littora excurrit; ut testis est Abulfeda. Qui & variorum fructuum feracem prædicat: sed æstu ita ferventem, ut حر عمان *Calor Omanicus*, proverbio passim notus esset. Omanitæ autem plerique omnes adhærere solent sectæ الاباضية: quæ à primo autore عبد الله بن اباض nomen habet; una de LXXIII, à communi Muhammedicæ religionis norma digressis. Olim ad ipsam, de qua diximus, Metropolin undique commeabant mercatoriæ naves: sed quod paulatim fieri desiit, propter pericula ab insulæ vicinæ objectu: non quidem suprà dictæ Charec sive كرك, uti expressit Cotbodinus, quippe quæ altiore monte satis conspicua: sed proximæ Kis, quæ humiliore solo latens vitari minùs potest. Ptolemæus lib. VI. cap. VII. emporium Omanum collocat sub latitudine 19. grad. & 45. minut. quem hîc Geographorum Orientalium pars, alii post alios, sequi videntur. Nubiensis tamen, & Philosophus Xirasita referunt ad clima secundum; ut ipse quoque Ptolemæus lib. VIII. Ibn Maruph, Moradis tertii, Imperatoris Turcici, Mathematicus ad lat. grad. 23. ubi & ex Europæorum observatis Mappæ exhibent urbem Soar, quæ est Sohar, seu Omân. Atque juxta hanc rationem Alferganus hîc intellexerit non oppidum ipsum; sed australiorem regionis partem: nisi dicamus accenseri illud climati primo, propterea quod cæteræ urbes Iemen ad ipsum pertinent; & hæc in ejusdem confinibus, nimirum, principio secundi consistit: quod modò etiam de Charec monuimus.

Ibid. حضرموت *Hadramutta.*] Nomen Græcis quoque cognitum. Theophraſtus libr. VIII. Hiſt. Plant. cap. IV. *ἀδραμύτ̓αν* vocat: ibiq; thus & myrrham provenire ſcribit: quod & ipſi aſſerunt Arabes. Ἀ'δραμίτων χώραν habet Ptolemæus, & χατραμωτῖτιν Strabo. Diſtinguit tamen ille, ut & Plinius, cum Adramitas & Chatramitas populos diverſos facit: utriſque verò eandem aſſignat ſedem, nempe auſtraliora Iemen. At videtur diſcrimen omne natum à diverſa tantum nominis حضرموت pronunciatione: ſiquidem literas ح & ض exteri nec rectè efferunt, nec proinde eodẽ modo. Niſi fortè Chatromitas non ad حضرموت, ſed ad حضرمة oppidum Bahreinæ, de qua Nub. clim. 2. part. 6, quis referẽdos cenſeat. Prouincia hæc oppida duo, pagos complures habet: unum شبان *Xibân*, in cognomine monte, eoq; aſpero & prærupto, ſitu & arce munitum, ipſo etiam regionis nomine celebratum; alterũ تريم *Tezîm.* ambo autem diei itinere remota ſunt à vicino mari, ſabulis utrobiq; interjectis; quæ ſpeciatim الاحقاف dicuntur. Prius, quod Orientalius, Arabes probatiores locant ſub latitudine 13. grad. ſeptem dierum intervallo ab urbe Aden, quæ jam proximè ſequitur. Tria autem illa nomina primùm fuiſſe tribuum omnes docent: & quidem Hadramaut primi ſatoris, qui erat Iočtani filius: & iiſdem literis חצרמות ſcribitur Geneſ. c. x. Nam Ebræorum צ ſæpe eadem cum Arabum ض. Ibidem quoque dicuntur Iočtanidæ habitaſſe à Meſa ad montem Orientis Sephar. Meſam quidem Rab. Saadias interpretatur Meccam: quod & inter antiqua hujus nomina Arabibus non incognitum; & ab Iſmaëlis filio petitum traditur. Mons autem Sephar eſt montana illa regio thurifera,

quam

quam Arrianus in maris Erythr. periplo, & Plin. lib. XII. cap. 14. verissimè describit, ipsis velut Arabum verbis. præterquam quod Sabam vocat, & cum hac confundere videtur. De cognomini urbe in illo monte vide supra in ظفار; & infra in صنعا. Ioctanidum quoq; nomina alia in locis sequentibus, Sanaa & Saba, notare licet.

PAG. XXXVI. lin. 1. عدن *Aden.*] Oppidum toto orbe celebre, situm in recessu maris, quasi ad finem Indici, (Azanicum ibi dicitur) & ingressum Arabici sive Erythræi, sub 13 grad. latitudine. Ibi quidem inter mare utrumque terrâ quadridui iter est, per angustias montis. Et hoc quoque, uti de Omân diximus, Arabes volunt esse nomen filii Sabæ; qui Abrahami ex Cethura nepos. Vrbs hæc omni tempore ob situs commoditatem multùm frequentata fuit: & quæ Ptolemæus, Arrianus aliique tradunt de Arabiæ Emporio, optimè in eam quadrant. Nec immerito urbi Aden nomen Arabiæ inditum fuerit: siquidem eâ Arabum merces exportari ad alios, & ab hisce ad illos aliæ importari solitæ. Ita & ἁπλῶς quibusdam εὐδαίμων vocata nomine regionis. Nam Iemen ab اليمن *benedictione* & *felicitate* nomen accepit: ob perpetuum virorem & fertilitatem summam; nimirum montosioris tractus: vel ob odores, qui toto orbe in deliciis habiti, & sacris faciendis adhibiti. Atque hinc fortè ipsum nomen Aden petitum quis dixerit: siquidem eo decantatus apud Arabes quoque est terræ paradisus: qui Ebræis גן עדן; illis verò جنة عدن literis iisdem dicitur. Vix dubium, quin sit Ἄδανα, cujus Stephanus ex Uranio meminit; nisi quod mediterraneam facit.

Ibid. صنعا *Sanaa.*] Metropolis est & regia totius Iemen, Damasco similis: inter montes sita; ac proinde

ita temperato & benigno prædita aëre : ut geminâ quotannis æstate, seu perpetuo velut vere, perfruatur. Ab oppido maritimo مخا *Mocha*, quod in Maris rubri principio situm ad 14 latitud. gradum, ubi Ptolemæo μοῦζα, distat ortum æstivum versus quasi 50 leucis. Nomen antiquum fuisse ازال *Ozâl* antiquitatum scriptores prodiderunt, & à primo impositum conditore, Ioctanis filio; de quo Genes. cap. x. Ozali autem filium plerique faciunt Sanaam; unde nomen alterum : est & tertium ظفار; quod Ptolemæus *Saphar* extulit, ac sub eadem ferè longitud. & latitud. describit, ubi nunc est Sanaa. Sed postea nomen Safar oppido orientaliori; ac deinde alteri, maritimo inquam, de quo suprà diximus, tributum; & quasi soli relictum fuit.

Ib. القين *Alkîn.*] Municipiũ, civitas aliis, in boreali tractu Iemen, qui عثر *Aatter* dicitur, & VII dierum itinere in longum patet, IV in latum, pertingens ad mare. Ipsum autem municipium stationibus VII abest à Mecca, austro-africum versus deflectens.

Ibid. مارا *Mara.*] Hoc nomine describitur Israëlitarum statio in libris Mosis. Sed hîc intelligitur urbs regionis Iemen : quam & inter primi climatis oppida recenset Cotbodinus; & Ibn Iounis, Arabisque anonymi tabulæ collocant sub 6; grad. longit. ab Africæ littore & lat. $15\frac{1}{4}$. Ejus quoque Ptolem. meminit libr. Geograph. VIII, ἣ ἢ μάρα τὴν μεγίστην ἡμέραν ἔχει ὡρῶν ιγ΄. η΄. & sub eodem parallelo exhibet codex Palat. ἀμάραν libr. VII. Vbi fere alii habent βαράβαν, aliique μαμάραν: pro qua vetus interpres Latinus Maram. Geographi recentiores substituerunt Marabam, seu Mariabam; quæ metropolis Sabæorum, & describetur postea. Et quidem cum inter

Orientis

Orientis Aſtronomos Geographoſq;, hactenus mihi viſos, quicunque ماra habent,non memorent مارب, & è contra: equidem dubitavi,an non duo illa nomina ſimillima locum denotent unum eundemque. Attamen hoc obſtare video, quod Alferganus Maram hanc à ſequente Saba diſtinguit,quam Arabibus non eſſe aliam à Maraba conſtat.

Ibid. تبالة *Tebala.*] Regionis Tihamæ oppidum ſatis celebre, in via quæ à Mecca ducit Sanaam, Iemen regionis Metropolim: itinere ſex dierũ ſecundùm Geogr. Nubienſem, octo ſecundùm Iacutum à Mecca diſtans eurum verſus. Attamen ſcriptores quidam meminerunt alterius Tebalæ in ipſa Iemen, non procul indè diſſitæ; ſed quæ obſcurioris famæ. Illa verò ad diſtinctionem,ut videtur, cognominari ſolet تبالة الحجاج; utpote prima ditio,qua potitus fuit حجاج بن يوسف الثقفي. Nomen habere quidam volunt à Tebala, filia مكنف ابن عملق Amalecitæ: at Kelebæus in libro de Etymis locorum à Tebála Abrahami nepte ex Midian. Fuit hoc cum ſequente Gurex inter prima oppida, quod acceptâ novæ religionis lege Muhammedem recepit: ideoque & relictum ſuo juri. Circumjacet tantâ fertilitate ager, ut adagio locum dederit, خصبة تبالة *Vbertas Tebalæ.*

Ibid. جرش *Gurex.*] Oppidulum ex munimentis Iemen, quæ ſpeciatim مخاليف vocantur, in eadem via; dierum VI itinere ultra Tebalam. Territorium ſatis amplum eſt, quod Acaciæ feraciſſimum. Habitant illud Arabes جرش dicti, cum cognata tribu بني منبه, ex Hamjaritis oriundi, veri & meri Arabes. Celebratur ob irriguum & ferax ſolum: præſtantius quoque

 camela-

camelarum genus, & coria; quæ indè denominari ſolent.

Ibid. مهر *Mahr.*] Vel potius ex doctiorum ſententia مهرة, regio præcedenti ab ortu brumali contermina, & ad libonotum ipſi Omanæ. Solum deſertum & ſterile, ita ut frumento omni dactyloq; careat. Regio autem à tribu Meharitarum dicta, (qui etiam confinis Xohræ partem habitant) fundatore مهر ابن حيدان Dialecto utuntur à communi diverſa: ita ut barbari cæteris videantur: licet habeantur عرب صرح i. e. *Arabes meri.* Camelis vitam tolerant: & cameli Meharitici celebres. Eſt autem illis مخلاف *Caſtellũ* cognomine, proprio magis nomine اسفاط *Asfât* dictum, ut Iacutus tradit; medio ferè loco inter Hadramuttam & Sohar, ſub 17. grad. latitudine. quod hîc ab Alfergano intelligi exiſtimo.

Ibid. سبا *Seba* ſive *Saba.*] Regionis Iemen particula, cujus metropolis مارب *Marab*, Mariaba Strabon. Plin. &c. paulo plus triduo diſtans à Sanaa, ſubſolanum verſus, cum quadam ad auſtrum inclinatione. Dicta autem ipſa fuit Saba, ut Arabes diſertè docent: nullus tamen gemini eo nomine oppidi meminit, quod facit Ptolemæus. Hæc autem urbs مدينة سبا *Saba*, juxta Arabes, dicta fuit, (ut & territorium ipſum) à Saba, filio يشجب *Iexhab*, filio Ioctani. Ita ut quem Sacræ Literæ Sabæ patrem dicunt, avum interpretentur Arabes. Neque verò hoc ſacris ſcriptoribus aut cęteris Orientalibus inſolitum. Illum autem Sabam dictum volunt à سبا, quod eſt *captivum abducere*, quòd ille primus homines cepiſſet in ſervitutem. Hic longè lateque dominati ſunt بنو حمير *Hamjaritæ*, Homeritæ Græcis, Latiniſq;, à Sabæ filio,

filio, ut tradunt, ita nuncupati: quorum reges prisci & primi complures rivos eò concurrentes ingenti extructa mole, العرم ipsis dicta, interceperunt: ut ita aquæ domini sitibundæ regioni potentius imperarent. Successum operis & historiam reliquam vide apud Geographum Nubiensem, parte VI, climatis II. nempe ut rupto aggere & irruente inundatione, quam سيل العرم vocant, ipsis exitio fuit. qua de re & in Alcorano specialis Surata extat, quæ سبا *Sabæorum* inscribitur. Et quia potior eorum tribus tunc singulari gloria & potentia sua excidit atque dispersa fuit; ab hisce ejus fatis natum adagium, ذهبوا ايادي سبا *abierunt dispersi Sabæorum instar.* Hinc oriundā Arabes scribunt, regnoque huic præfuisse Bulkis, quæ studio incensa videndi Solomonis Hierosolyma concessit. Et palatii rudera, quod in urbe Mareb illa incoluit, inter præcipuas Arabiæ antiquitates recensent. Reginam illam Æthiopes contendunt fuisse suam: nam & hisce notus Saba fil. Chus: à quo genus ducunt. Et utrisq; favet, quòd in Euangelio regina noti dicitur; ad quam plagam à Palæstina vergunt ambo. Pro Arabibus autē inter cætera hoc facit, quod Sabæa regio & ob thuris copiam celebratur in Sacris Literis: quâ Æthiopia caret. Mareb quidem multo abhinc tempore collapsa fuit; superstes tamen vicus & territorium eodem nomine clara existunt. Quoniam autem regio Hadramutta, in cujus extremis montibus sita Mareb, & contermina Xohra, suberant Sabææ; hoc nomen Saba à Plinio aliisque regioni thuriferæ datum fuit: licet Arabes testentur thus omne provenire in locis montanis Xohræ, trium modo dierum iter patente tractu. Vel hæc fortè causa fuerit, quæ nec hinc aliena, quod thus collectum

mos

mos esset convehi ad Solis templum, quod Sabæis sanctissimum erat. utrunq; ex αὐτοπτῶν fide confirmat Theophrast. lib. de Hist. Plant. VIII. cap. 4.

Lin. 2. بحر قلزم *Mare Erythraeum*, sive *sinus Arabicus*;] ita dictus ab oppido القلزم *Colzum*, latitud. 28½ grad. quod procul dubio est Clysma Ptolemæi, in littore Ægypti oppositum Elanæ, seu promontorio Pharam, quod طور dicitur, in سينا طور *montis Sinai* extremitate. Locum autem illum, atque indè mare hoc ita nuncuparunt, quod propè submersus creditur Pharao: nā قلزم est *deglutire & absorbere*. At hoc oppido collapso aliud paulò inferiùs, ad intimum sinus Arabici recessum, in usum portus extructum fuit, سويس vulgò *Sues* dictum, haud longè ab Heroum urbe; quæ paulò infra est, nunc arenis obruta.

Ibid. حبشة *Regionem Habassinorum.*] Hæc pars est Æthiopiæ sub Ægypto, Troglodytica Ptolemæo dicta. Initium capit, teste Alvarezo, ab insula & urbe Suachen, 18 latitudinis gradu: finitur verò ad austrum sinu Avalitico, Arabibus خليج البربري: cujus vicini populi, Æthiopes quoq;, etiam illis Barbari vocantur. Hisce vicini, ad occasum potiorē partem sunt Æthiopes الزنج *Zingi*. & ibidem Zingis extrema Ptolemæo nota. Et hisce Nilum versus succedunt الفنج *Fungi*. Habassinis autem, qui inferiore regionis parte ad Nilum accedunt, uti & Fungis, ab occidente contermini sunt Nubæ, Nubei Æthiopes Plinio vocati. Ab Asvan, Ægypti termino, secus Nilum in austrum patent, duorum quasi mensium itinere: prout Geographus Nubiensis refert. Inferiore tamen parte Nubas & Habassinos ferè interjacent Æthiopes

البجه

البجه *Begia*, Leoni Africano *Buggia* dicti in fine lib. VII, & principio VIII. Arabum & Nubarum mixta progenies; uti Zamachsaris tradit. Illis & ad mare Erythræum erat portus ac munimentum Sibid, fortè Sabat Ptolemæi; quod ab Ægypti domino dirutũ. Habassinis etiam circa Ægyptum interjectæ Arabum familiæ quædam, quæ istuc transmigrârunt. Nubas autem ad Septentrionem terminant Nili cataractæ, الجنادل dictæ, ad austrum verò deserta Goran; ab ortu regiones الواحات ، كوار ، كانم ، زغار ، تجوه *Alvahat*, *Covâr*, *Canem*, *Zagâr*, *Taguva*. Atque hæc quidem Æthiopia est sub Ægypto: Interior verò بلاد السودان *Nigritarum terra*. Cæterũ Habassini Arabibus hoc nomine appellati, quasi σύμμικτοι; quod non ita ut ipsi in tribus distincti: nam حبش est *promiscuè congregare*. vel ab Ægyptiorum voce αὐάσεις; quâ Æthiopũ habitationes illis denotari testis est Strabo.

Lin. 3. نيل مصر *Nilum Ægypti*.] Est enim alius, نيل السودان *Nilus Nigritarum* seu *Niger* dictus. Quos unum eundemq; esse amnem, duobus hisce brachiis protensum, demõstrat Geogr. Nubiensis parte quarta climatis primi.

Lin. 4. جرمي *Germa* vel *Gurma*.] Habassinorum rex, à suis Negus seu Nagas dicitur, & النجاشي Arabibus: Lusitanis autem Prester Ioaon, unde vulgo Presbyter Ioannes, dictus fuit. Hoc nomen indè ortum puto, quòd inter Orientis mercatores, inprimis Persas, nec non Armenos, Indos & alios, qui Persico idiomate utuntur, پرستار خان *Prestar Chan* vocari intellexissent. Id ipsum autem sonat *mancipiorum* vel *servorum principem*. Ita Arabibus vox عبد *servus*, absolutè posita

m Æthiopem

Æthiopem ſeu Habiſſinum notat: ſiquidem hujus gentis mancipia toto Oriente notiſſima. Regia autem ſive aula etiam eodem nomine Betenegus, id eſt, بيت النجاشي *domus Nagaſſi* appellatur. Civitas, quæ aulâ regiâ illuſtris, Franciſco Alvarez, diligenti regni hujus luſtratori, dicitur Chaxumo: & ab eo deſcribitur à capite itinerarii 37 uſque ad 42: crediturque eſſe eadem cum regia antiqua Axuma Ptolemæi & aliorum. Atque eadem etiam videtur eſſe hęc noſtra جرمي: quippe cui eundem autores probatiores ſitum tribuunt. Et forte à Gariman, quem Habaſſini ut Sanctum venerantur, nomen habet: ſicuti & cognomine monaſterium in propinquo extat. Vel ab ipſa Axuma ſive Chaxumo manâſſe potuit: ita ut primùm جومي ſcriptũ fuerit; deinde, pro litera و ſimillimâ ر notatâ, vocis depravatio traditione ſerpſerit: quod in peregrinis ſępius contingit. Literarum autem ع & ج pronunciatio ſatis affinis: ut illa per hanc exprimi potuerit. Aliàs Habaſſini urbes paucas habent, & fere Arabum Scenitarum more ſub tentoriis & in agris degunt: atque ita regiam ſæpius mutari, nec uno ſemper loco fixam credibile fuerit. Geographus Nubienſis meminit quidem urbis huic nomine affinis, nempe جرمه; ſed in regione Pharan, in parte prima climatis ſecundi; longè extra regni Habaſſinorum fines: utpote quæ ſubiecta ejuſdem primi climatis parti quintæ. Quare جرمه illa à noſtra جرمي ſeu جومي planè diverſa fuerit: ubi ferè eodem nomine collocati ſunt à Græcis & Latinis Garamantes: quorum metropolis Ptolemæo Garama eſt.

Ibid. دنقلة *Duncâla.*] Iacuto dicitur *Dumcâla*, & Leoni

ni *Dungâla*: prout Africani ق sæpe efferunt eodem modo, quo Persæ & Turcæ suum گ. Hæc Nubiensium urbium, quæ fere omnes ad Nili ripam sitæ, (siquidem is solo fertilitatem confert) caput est: in medio quasi regni posita; & amplitudine, habitantium numero, & mercatorum confluxu cæteris antecellens. De qua vide Leonẽ Africanum lib. VII, c. ultimo; & Geographum Nubiensem clim. prim. parte quarta: ubi Nubiæ urbes à meridie procedenti in septentrionem recensentur, كوشه, بلاق , دنقاله , علوه , دوابه, *Couxa, Nuvâla, Galva, Dunchla, & Iclic*, ad Astaboræ & Nili confluentem: omnes inter climatis primi limites comprehensæ. Plinius l. 6. c. 30. memorat Nubeorum Æthiopum urbem, Nilo impositam, Tenupsin: sed an & quænam de illarum numero sit, vix conjectari licet.

Lin. 5. ارض المغرب *Africam.*] Sicuti Europæis Asia à situ Oriens nuncupari solet: ita hujus gentibus Europa & Africa dicitur Occidens: & peculiariter potior Africæ pars; utpote celebrior apud illos magisque perspecta: inprimis postquam Arabes eandem occuparunt. Hanc جزيرة المغرب *Insulam Occidentis* vocant: quippe gemino mari, Mediterraneo & Atlantico; geminoque fluvio, Nigro & Nilo, undique circundatam.

Ibid. البربر *Barbarorum.*] Hoc quidem Græcis & Romanis generale nomen exteros notans, quos non intelligunt. est quoque speciale gentis nomen. Vtrunque ab Orientalibus pervenit ad alios: nam Syris & Arabibus بر *extra* & *foris* est: unde factâ duplicatione, ut & in aliis vocibus fit, بربر collectivè dicti sunt, qui lingua vel loco erant dissiti, & peregrini: & بربر Arabibus est βαρ-

 βαρίζειν;

βαρίζειν; nec non برברה *hominis iracundi vox, quæ percipi nequeat*: ipſumque verbum, literis nempe ſtridulum, murmurandi innuit ſignificationem; ut quoque vox ثرثر, aliæque ſimiles. Speciatim vero ita Arabibus dictæ gentes duæ, extra patriæ fines longiùs digreſſæ, idiomate differentes: una ad littus Æthiopiæ, quod occurrit extra Maris Rubri anguſtias, Ptolemæo aliiſq; antiquis cognita: altera, qui peculiariter Barbari vocantur, totum Africæ tractum occupavit; qui indè Barbaria nunc vulgo dicitur; & Atlantis inflexu, à Barca ad Meſſam, ultimæ Mauritaniæ oppidum, protenſo, & Mediterraneo mari Oceanique parte comprehenditur. inſederunt etiam quoſdam Numidiæ & Libyæ tractus. At nunc montanas fere tantùm partes tenent, ab Arabibus ejecti campis. Amalacitæ, & maximam partem Philiſtæi habentur, qui partim eò fugati atq; diſperſi, partim coloniis eò deductis, Syris deinde Arabibuſque بربر *Barbari* i. e. *Extranei, Peregrini* nominati fuerunt. Ita unanimi conſenſu tradunt Arabici antiquitatum ſcriptores. Hoc ſenſu Barbari Oroſio, & Procopio noti, Plinio Sabarbares, & Arnobio lingua Barbarica: quam gens ipſa, Leone Africano teſte, آوال اماريغ *Aval Amarig*, id eſt, *Sermonem gratum*, ſeu *nobilem* denotat. Barbarorum primariæ ibidem tribus quinque ſunt, زناته *Zenatæ*, غماره *Gomaræ*, هواره *Huwaræ*, مصموده *Muſmoudæ*, & صنهاجه *Sanhagiæ*. Poſtremi tamen Arabibus oriundi cenſentur.

Ibid. بحر المغرب *Mare Heſperium.*] Hoc generali quidē nomine olim dicebatur Orbis habitati terminus, mare Mediterraneum unà cum Oceano. Hîc tamen peculiariter intelligitur Oceani tantùm pars, Europam, & inpri-

inprimis Africã alluens: ut quod mare altero occidentalius. Mediterraneũ verò à regionibus ſimiliter conterminis nomẽ accepit: ita بحر الروم *Mare Romanum*, ſeu *Græcanicum* dicitur; vel بحر الشام *Mare Syriacum*, &c. Oceanum vero ſpeciali nomine vocant بحر المحيط *Mare Circumfluum*; quippe quo ambiri Terram vetuſtiſſima opinio: & بحر الظلمات *Mare Tenebroſum*; ob longas noctes, quas in eo experti fuerant.

Lin. 8. المنصورة *Almansóra.*] Multæ ſunt ejus nominis urbes (ut in Chovarizma, Africa, Ægypto) quas à victoriis ſuis vel præſidiis ita denominarunt; vel etiam à fundatore, præfecto, aut inſtauratore, cui eſſet nomen المنصور. Quo modo & hæc civitas appellata à منصور بن جمهور, Omaniadum prorege; qui & creditum regnum occupaſſe dicitur. Nomen antiquitùs urbi fuit يمنهوا *Iemenhon*, teſte Abulfedâ; & pôſt همناباد *Hamnabád*, autore Hamzâ: fortè quòd ibi ſedẽ haberet gentilium ſecta همنا: ut Spahanenſis urbis pars dicitur گبرآباد *Infidelium*, nempe *Magorum ſedes.* Mansóram autem plerique collocant ſub XXVI latitudinis gradu; octo dierum itinere à maris littore, in ripa occidentali fluminis Mehran ſive Indi: qui quatuor milliaribus ſupra Mansórã in duos ramos dividitur; & quidem minor in ſeptentrionem ab urbe digreſſus, duodecim infra eandem milliar. cum primario alveo rurſus coït. Multum celebrari hæc urbs ſolet, utpote Sindiæ caput ac præſidium: ſed ardori expoſita, nec ſolo multùm ferace prædita, niſi palmularum & ſacchari.

Ibid. البيرون *Albirûn.*] Ita & Abulfeda ſcribit: at Geographus Nubienſis & Iacutus النيرون *Alnirûn.*

Hoc quoque Sindiæ oppidum eſt, 15 paraſangis Manſórâ occidentalius, in ejuſdem fluminis ripa.

Lin. 9. الديبل *Dejbul.*] Apud Geographum Nubienſem ſcribitur ديبل; ſed quod mendoſum puto. Oppidum eſt ſub 34½ grad. latitudine, non longè ab oſtio Indi ſive Sindi: arce validâ munitum in Sindiæ præſidium. nunc ديول سند dicitur vulgò *Diul Sinde.* Non cõfundi autem debet Dejbul hoc cum alio Dabul, quod Europæi in Indiæ littore longiùs hinc removent ad auſtrum.

Ibid. ملتقي بحر الاخضر *Concurſus maris Viridis & Baſrenſis.*] Intelligit initium ſive anguſtias ſinus Perſici. Nam mare Viride, teſte Abulfeda, Arabibus peculiariter notat pelagus Indicum: & quidem propterea, ut puto, quòd ubi altiùs ſe expandit, viride vel cæruleum apparet, (utrunq; enim اخضر deſignat) ob luminis in profundo opaciore trajectũ; uti in aliis maribus altioribus obſervare licet, & nullus non in ſummo aëre videt. Sinus verò Perſicus mare Baſrenſe dicitur, à termino ſuo ultimo; qui eſt Baſra, emporium celeberrimũ, ſeſqui diei itinere diſſitum ab ipſo mari. Ejus autem littori impoſita arx عبدان *Abbadan*, quam Tigris, ab ortu contingit, lato ibidem oſtio ſe diffundens, navium appulſui ac ſtationibus erectis in altum ſignis ac præſidio ſecuritatem præſtat.

Lin. 10. نجد *Negid* ſeu *Negſd.*] Vox hæc Arabibus terrã notat eminentiorẽ: & peculiariter Arabiæ partẽ opponi ſolitam Tihamæ, quæ & الغور quaſi *Cava* dicitur; licet permixta habeat montoſa quædam: interjacet autem Negſda inter regiones Iemamam, Iemen, Higiàz & Iracam.

Ibid.

Ibid. تهامة *Tehâmam & Tihâmam.*] Hæc Arabiæ regio ab occaſu mare Rubrum ſpectat; partibus cæteris regiones Higiaz & Iemen: à Mecca uſque Aden excurrens. تهم autem *Æſtus vehementia* dicitur, unde regioni huic nomen: quia parte potiore depreſſior Solis fervori patet. Dicuntur etiam loca quædam eſſe في نجد او تهامة الحجاز او اليمن *In Negſd vel Tihâma regionum Higiaz vel Iemen:* ſive generali earundem vocum uſu, hoc eſt, altiore vel humiliore parte: ſive quòd Tihama & Negſd parte quâdam aliis regionibus inſeruntur.

Lin. 11. اليمامة *Iemâma.*] Vrbs paulò borealior Meccâ, & gradibus 4. orientalior. Negſdæ proxima, ita ut à quibuſdam ad eam referatur. Antiquitùs vocata fuit جو *Gjauva:* in cujus territorio ſedem habebant inclytæ Arabum tribus, بنو طسم & بنو حنيفة, جديس, بنو عاد. Erat autem Taſmi hujus neptis quædam, nomine Iemâma, ob ſummam oculorum aciem, velut lyncea, inter Arabes celeberrima, vulgato etiam proverbio ابصر من اليمامة *Oculatior Iemamâ:* quin regnum ibidem tenuit, uti ex Geogr. Nub. parte 6 Clim. 2. patet. Indè urbem illam Gjauva Iemamæ cognominatam tradunt: & poſtea ſolo Iemamæ nomine, tanquam proprio inclaruiſſe. Hinc & tractus univerſus, Negſdâ, Tihâmâ, Bahrein, Omânâ, Xohrâ, Hadramuttâ, Sabâ, & reliquâ Iemen incluſus, Iemama dictus: atque etiam العروض *Arud,* nuncupatur, quia معرضة في بلاد اليمن *regionem Iemen tranſverſam ſecat.* vel ab ipſo Iemamæ fluvio, ſeu alveo potius, modò pleniore, modò ſicco, quem وادي افنان dictum nomino proprio etiam العرض vocant; quòd regionem illum percurrit: ut videre licet loco Nubienſis

jam

jam citato. Vrbis illius famam auxit ſpeudoprophetes Muſeilema, æmulator Muhammedis; quo victo & occiſo, & urbs & tota provincia in poteſtatem Abnbecri venit. De eo, ſi lubet, vide Hiſtor. Sar. libr. 1. cap. 2.

Ibid. البحرين *Bahrein.*] Hoc regionis maritimæ nomen eſt, quæ à Baſra protenditur ad terminos Omanæ: & quoniam maris Perſici ſeu Baſrenſis & Indici principia connectit, Bahrein, i. e. *duûm marium* dicta fuit. At hîc intelligitur, quæ illi adjacet, Inſula cum urbe cognomine, ad grad. 26½ latitudinem: tribus à littore ſeu urbe القطيف, vulgò *Catifa*, milliaribus diſtans. In propinqua maris parte ſunt celeberrimæ unionum κολυμβήσεις, i. e. piſcationes, quæ urinando fiunt. Crediderim autem hanc Inſulam eſſe Icharam Ptolemæi, ſive Ichariam Strabonis; perſuaſus convenientiâ ſitus.

Ibid. هجر *Hagiar.*] & quoq; cum articulo *Alhagiar.* Quibuſdam regionis Bahreinæ oppidum eſt, teſte Abulfedâ, & Geogr. Nubienſ. & quidem in ejus præſidium arce munitum: (fortè Gera ſeu Gerra Ptolemæi) juxta pleroſque ad latitud. grad. 24, min. 50. Hagiar autem Hamjaridum idiomate notat قرية *pagum*, & etiam *urbem.* Atq; ita hæc البحرين هجر & abſolutè هجر dicta fuit: vel ab هجر بنت المكفف *Hagiar filiâ Mukeffi*, Iſmaëlitæ, uxore محلم بن عبد الله, domino وادي محلم vicini *alvei* ſeu *vallis* : vel ab Hagiar ipſa Iſmaëlis matre; cujus nomine etiam appellatus fuit prope Medinam pagus. Si verò ح ſcribatur pro ه; duo denotari poſſunt oppida diverſa, alterum الحَجْر, alterum الحِجْر, illud quidem in Iemama, bidui fere itinere ab urbe Iemama

Corum

Corum versus, quibusdam regionis Metropolis habitum; hoc verò in parte boreali Higjâzæ, montibus nempe, qui eminus juncti videntur, cum tamen sigillatim distincti, الاثالب vocati. Estque Egra Ptolem. & Stephani: ubi sedem habuêre ثمود, *Thamuditæ* & *Thamudeni* Ptolemæo dicti; quorũ in Corano facta mentio. Alii verò per nomen illud Hagjar extremam regionis Bahreinæ partem intelligunt, Negsdæ conterminam; quin alii etiam regionem universam.

Ibid. يثرب *Iatrib.*] Regionis Higjazæ urbs, muro cincta; sub 25¼ grad. parallelo, sesqui fere gradu distans à maris Erythræi littore: ubi portum habet in oppido الجار, quod videtur esse Arga Ptolemæi. Solum ejus planum est, multis partibus salsuginosum: palmarum tamen ac frugum quarundam ferax; præsertim prope montes. Vicinos enim habet duos; alterum احد *Ohod*, qui à septentrione; alterum عير *Air*, qui à meridie: utrunque duabus fere leucis ab urbe dissitum. Nomen Iatrib petitum esse à primo regionis hujus incola, Arami nempe, ex عوض, de quo Gen. cap.x. abnepote, Arabes tradunt. Non dubito, quin sit Ἰάθριππα Stephani, pro quo in Ptolemæi tabulis Lathrippa expressum fuit. Hîc profugus à Meccensibus Muhammed amicè receptus fuit. & per aliquot annos substitit; quibus religionis novę doctrinam publicavit, leges ritusque ordinavit, & tandem cum sociis ac asseclis arma cepit. Quare incolæ hujus urbis انصار *Adjutores* fuêre dicti. Ipse autem, ut felicium omnium erat studiosus, urbem vocavit طيبة & طابة i. e. *Bonam*: cum alterũ nomen يثرب contrarium præ se ferre videretur: ut ex vulgari benè precandi formula

mula apparet, quæ & in Corano occurrit, لا تثريب عليك اليوم *Ne mali aliquid tibi* accidat *hodie*: nam تثريب i.q. تغير & فساد notat. Quò alludit dictū Ibn Abbâs; من قال للمدينة يثرب فاستغفر الله ثلثا انما هي طيبة *Qui vocaverit Medinam Iatrib, ter remissionem petat à Deo; siquidem ipsa Teiba est*, nempe, *bona*. Inclarescente autem Muhammedis nomine, urbs illa مدينة النبي *Civitas Prophetæ*, & simpliciter مدينة *Medîna*, tanquam nomine proprio, nuncupata fuit. Vel quòd hîc primùm Muhammed obtinuit principatum; vel quòd ibidem vitâ defunctus; & tumulatus, nimirum ad templi, quod urbis umbilicus est, orientale latus.

Ibid. حجاز *Higjâz.*] Arabiæ pars inter Tihamam & Negsdam; ita dicta, communi fere scriptorum consensu, لان حجزت بينهما *quod alteram ab altera dirimit*: vel, ut alii volunt, لان احتجزت بالجبال *quod colligata & constricta montibus*: حجز enim duo notat; nempe eadem, quæ منع & شد. Regionem hanc quoque terminat ad boream Arabia deserta, quam illi بادية الشام *Desertum* sive *campos Syriæ* vocant.

Lin. 12. مكة *Mecca.*] Vrbs in valle extructa, sub parallelo $21\frac{2}{3}$ grad. ubi Ptolemæus locat Macorabam, dierum 10 itinere à Medina, eâque duplo major, & milliaribus Arab. 40 à littore: circundata ab omni parte montibus; quorum inprimis duo, alter ab ortu, ابو قبيس *Abu Cobeis*; alter ab occasu, قعقعان *Cacaân*, efficiunt vallosum ejus solum: sterile planè & siccum. Vrbs tamen toto orbe celeberrima, propter immensum omnium gentium confluxum (unde & nomen Mecca urbi inditum

tum volunt) ad anniverſaria ejus ſacra: quorum in explicatione menſis *Muharram & Dulhagiæ* ſuprà meminimus. Dicta fuit & urbs ipſa بيت الله الحرام, uti Ieruſalem بيت المقدس: licet illud primùm proprium nomen fuerit Cabæ; quæ Sacellum, & velut Sacrarii antiquiſſimi loco habetur. Hoc ab Abrahamo conditum ferunt: at vero ſimilius eſt, Iſmaëlem vel ejus poſteros autores extitiſſe; ſiquidem ad ſacelli portam puteus eſt, (proprio nomine زمزم *Zemzem* vocant) ubi conſediſſe Hagar cum infante, & angeli conſolatione ac promiſſis recreatam credunt. quâ de re vide Geneſ. cap. 31. Circum Cabam eſt المسجد *Templum:* quæ duo ſimul propriè etiam بيت الحرام vocata. circum illud templum eſt ipſa urbs: & circum hanc الحرم *Septum ſacrum*, certis turribus ſeu terminis diſtinctum, quorum alii 5, alii 7, alii 10 milliarib. ab urbe abſunt. Ipſius etiam templi circuitus الحرم dicebatur: quia intra hoc quidem ſeptum vitale quid exſtinguere nefas: intra illud nec venari liceret, nec amputare arborem, nec adoriri hoſtem. Nomine haud diſſimili etiam urbs hæc بكة *Becca* dicitur; ſed quod plerique magis proprium faciunt loco ſacriori, nempe الحرم priori. Extra puteum Zemzem nullibi in urbe aqua, niſi ex pluvia in ciſternis. Circa Muhammedis tempora Zubeirus, principum Corexitarum unus, maximis impenſis molitus fuit, ut aquã deduceret ex monte Arafat: at ſucceſſu caruit inceptum opus. Tentatum idem à Solimani, Imperatoris Turcici, conjuge; & paulò pòſt feliciter abſolutum.

Ibid. طايف *Thaïfa.*] Oppidum hoc extat milliaribus 60 à Mecca ad ortum, in dorſo montis غزوان *Gazvân:*

loco totius Higiazæ frigidiſſimo; ita etiam ut in vertice ſubinde gelet. Quare & fructuum, qui Meccam avehi ſolent, copiâ abundat, & aëre ſaluberrimo fruitur. Vnde Temîris Poëta, ubi celebrat Zeineb ſororem principis Higiâgi, تشتو بمكة دعة ومصيفها في الطايف *Hyberna*, inquit, *agebat Meccæ, ob delicias*; *& æſtiva Taïfæ*. Antè dicta fuerat وج *Vegja*, à conditore وج بن عبد الحي: ſed poſtquam muro cincta, Taïfæ & Teifæ accepit nomen: nam طاف eſt *obire*. Territorium totum بلاد ثقيف dicebatur, ab incolente Arabũ tribu: hodie عباس بلادي *Abbâſi regio* appellatur Turcis, à Muhammedis patruo; qui hîc olim vixit.

Ibid. جدة *Gjudda.*] Eſt فرضة مكة Φρέριον *Meccæ*: inſigni inſtructum portu. cui opponitur in littore altero ſimile, nomine عيذاب *Aidâb*: ab aliis Ægypto; ab aliis Begiæ; ab aliis deniq; Habbaſiæ (Æthïopiæ partibus) adſcriptum. imperii ſaltē Turcici hâc parte terminus. Frequentiſſimus hîc eſt inter Arabiam & Ægyptũ trajectus, præſertim agminum, quæ ex Africa quotannis Meccam adeunt, 40 milliar. Arab. patens. Gjuddę hodie telonium eſt; ubi naves ex India, Iemen, aliiſque partibus auſtralioribus venientes vectigal pendent, partim Imperatori Turcico, partim domino Meccæ: qui شريف مكة *Nobilis Meccæ*, utpote ex familia Muhammedis oriundus, dicitur. Ille præfectum, hic tantùm coactorem ibidem habet.

Ibid. صعيد *Saîdam.*] Nomine hoc denotatur in genere *magnus terræ tractus*: & ſpeciatim talis ad utramque Nili partem regio, Thebaïs dicta;, quæ à Syene excurrit ad Memphin, 24 dierum itinere; in latum autem montibus conſtricta, modò unius diei, modò dimidiæ duntaxat

taxat

taxat intervallo. Mons in orientali tractu protensus جبل المقطم *Mons Almucattem*; alter in occidentali dicitur الطيلمون *Teilamon*. Monti huic ab occasu adjacet terra الواحات: illi autem ab ortu regio magnam partē arenosa & deserta usque maris Rubri littora. Quoniam igitur in magnam porrigitur longitudinem, rectè à Geographis divisa fuit in الاعلى, الاوسط, الادنى; *supremam*, à Syene ad Cænem sive Neapolim; *mediam*, à Neapoli usq; Cynopolim; denique *infimam*, à Cynopoli ad vicina Babylonis.

Lin. 14. قوص *Cusa* sive *Kûs.*] Quidem قوس scribunt. Hæc, Abulfedâ & Iacuto testibus, totius Saïdæ, id est, Thebaïdos caput est, in suprema ejus parte sita, & Orientali ripa Nili; quinque dierum itinere à Syene: multas antiqui ævi reliquias ostentans: & post Cahiram seu Alcairo totius Ægypti urbs maxima. Atque ut huic, nempe Cahiræ, nomen Misraïm, filii Cham, inditum fuit, cum مصر dicitur; ita videtur illa nomen filii alterius Kus accepisse. Licet autem juxta Flav. Iosephum, & interpretes sacros terra Kus Æthiopiam notet; potuit tamen idem nomen esse inditum tantę urbi, ejusq; regioni; præsertim quæ illi contermina. Haud dubito quin sit Stephani κῶς: & quidem Thebis proxima, vel hæ ipsæ; quæ pòst Diospolis magna dictę, Ægypti Metropolis quibusdam habita, Strabone teste lib. XVII. Idipsum confirmat, quòd Diospolis à Ptolemæo sub eadem collocatur latitudine, sub qua & Kûs ab Ibn Iounis Ægyptio aliisque; & quod utraque, prior quidem à Græcis & Latinis, posterior verò ab Arabibus, describitur vicina urbi Copto. Cusa hæc ob frequentes Æthiopum, Indorum, Arabum

& Ægyptiorum mercaturas excreviſſe dicitur; & ex antiquæ urbis ruinis inſtaurata. Caſtellum & portum habet في اطراف الابجة *in extremis Begiæ*, inquit Abulfeda, ad mare Erythræum, nomine القصير *Coſeir:* quò per deſertum quarto pervenitur die.

Ibid. اخميم *Ichmim.*] Hæc quoque urbs, Abulfedâ teſte, Thebaïdos magna eſt, in principio mediæ partis: & quidem orientali etiam Nili ripa; ubi multa quoque ſuperſunt antiquitatis monumenta. Citatus autor, Ibn Iounis, aliique tribuunt ei latitudinem 26 grad. & 50 minut. Quamobrem perſuadeo mihi denuò, eſſe Veterum Chemmim, de qua Herodotus Euterpe: ἐστὶ δὲ χέμμις πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς Νέης πόλιος. Pro hâc in Ptolemæo eſt Καινὴ πόλις, quam ad latitudin. 26 grad. 20 min. refert. Eſt autem Chemmis nomen regis antiquiſſimi: quem Memphiticæ pyramidis maximæ conditorem celebrat Diodorus Siculus libr. 1. Ab eo cognominem quoque hanc urbem eſſe exſtructam, aut ejus ſaltem nomine inſignitam veriſimile: niſi fortè placeat Leonis Africani ſententia, qui Ichmîm facit filium Miſraïm, & conditorem hujus urbis. Cum opinione iſtâ concordat Gloſſarium Ægypti-arabicum, cujus ex Ægypto tranſmiſſi copiam illuſtris vir Samuel Peireſcius, eximius Literarum cultor fautorque, at magno dolore & detrimento nuper ereptus, clariſſimo Salmaſio, & hic mihi humaniſſimè impertivit. Nam in eo, urbium nempe ſyllabo, πανὸς, Ægyptiæ urbis nomen, exponitur per اخميم; quod tunc obtinebat inter Ægyptios Arabicè loquentes. Per πανὸς autem πανόπολιν intelligi quis dubitare poſſit? At hanc eandem eſſe cum Chemmi, de qua antè dixi, Diodorus Siculus libro jam allegato docet:

docet: cùm inquit; πᾶνα, quem expeditionis ſocium Oſiris delegiſſet, διαφερόντως ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων τιμώμενον. τούτῳ γὰρ τοὺς ἐγχωρίους οὐ μόνον ἀγάλματα πεποιηκέναι κατὰ πᾶν ἱερὸν, ἀλλὰ καὶ πόλιν ἐπώνυμον κατὰ τὴν Θηβαΐδα, καλουμένην μὲν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων χέμμιν ἢ χέμμω, μεθερμηνευομένην δὲ πανὸς πόλιν. id eſt, *Pana ſingulari honore ab Ægyptiis cultum. Incolas enim non modo illi ſimulachra in quovis favo: ſed etiam nomine ejus urbem in Thebaïde extruxiſſe; quam quidem illi Chemmin, ſeu Chemmo vocant; Panopolin verò interpretantur.*

Ibid. اسنای *Aſna.*] Aliis ſcribitur ſine ی. Eſt autem oppidum, ad partem Nili occidentalem, inter Syenem & Cuſam media; huic tamen propior, milliaribus quaſi 26 diſtans: uti ex Geographo Nubienſi colligi poteſt. qui quidē autor magnam illi adſcribit antiquitatem. Laudatur Aſna inprimis ob palmeta, vineas & arva; tum etiam balnea & mercatus. اسنا autem in Gloſſario, cujus jam memini, redditur per nomen Ægyptium λάτος: quæ λατόπολις, ſeu πόλις λάτων eſt Ptolemæo: à Lato piſce, Ægyptiis illis culto; ut autor eſt Strabo lib. xvii, denominata. Dixerunt autem Arabicè اسنا quaſi *Micantem* & *Illuſtrem*, declinare volentes, ut exiſtimo, idololatricum nomen: quod & in præcedente aliiſque videntur obſervaſſe. Eam ſententiam quoque confirmat, quòd Ptolemæus Latorum urbem, & Ibn Iounis Ægyptius Aſnam eâdem deſcribunt latitudine: quòdque Geographus Nubienſis & alii urbem ارمنت, quæ non alia quàm *Hermonthis*, unius diei itinere disjungunt ab Aſna; quod intervallum Ptolemæus & alii ponunt inter Latopolin & Hermonthin.

Ibid. انصنا *Anſina.*] Oppidum, inquit Abulfeda, Saïdæ

Saïdæ ſeu Thebaïdos mediæ, in occidentali itē ripa Nili: ubi etiam multa ſuperſunt antiquitatis veſtigia. Latitudini ejus tribuit & ipſe & Ibn Iounis & alii gradus $27\frac{1}{2}$: quot Antinoopoli Ptolemæus. Accedente itaque nominis convenientiâ, & Gloſſarii ſuprà dicti fide, ſtatuo Anſina eſſe Antinoï urbem: ita dictam ab amaſio Hadriani. & eandem puto cum Anthio Leonis Africani, libr. VIII. quàm à Romanis conditam ſcribit.

Ibid. اسوان *Aſván.*] Et, prout Ibn Chalican Hiſtoricus proferendum cenſet, Vſvan. Ad orientalem Nili ripam extat; urbs antiqua, ſolo palmarū ferace, & mercaturâ florens: ut quæ Thebaïdos ſupremæ limes Ægyptum cum Æthiopia conjungit. Nam ſolæ intercedunt cataractæ, quas الجنادل *Scopulos* vocant, à vicino mōte Teilamone prognatos & tranſverſum ſecantes flumen. Hoc autem ad eos aquis accumulatis vectum non fluere pergit: ſed magno impetu deorſum ruit. Gloſſarium Ægyptiacum اسوان per *σȣὰν* reddit; quæ non alia, quàm Syene. Et quod Strabo ait; *νȣ̃ϐαι οἱ ὑπὲρ συήνης Αἰθίοπες*: idem Iacutus aliique Arabes; اسوان قرب من النوبة: quin Geogr. Nubienſis; فى مـــن ثغور النوبة. Contra Syenem, intercedente dimidii ſtadii intervallo, poſitam eſſe Elephantinam, & utramque Ægypti & Thebaïdos eſſe terminum, docet Strabo libr. XVII: & addit, *μικρὸν δ᾽ ὑπὲρ τῆς ἐλεφαντίνης ἐστὶν ὁ μικρὸς καταῤῥάκτης*. De Aſvan autem ſcribit Abulfeda: اسوان من بر المشرق وهي اخر الصعيد الاعلا بالقرب من الجنادل *Aſvan ex continente Orientali eſt Nili, & Thebaïdos ſuperioris extremum; prope à Catarractis.* Intelligit verò minores: uti etiam Geographus Nubienſis part. 4. clim. 2. ad finem. Aliæ enim ſunt,

ſunt, majores nempe, quas idem Nubienſis deſcribit parte item quarta climat. 1. Vnde ad Aſvan haud navigari Nilum ipſe teſtis eſt: ſed merces terrâ deferri camelis, 12 quaſi ſtationum itinere. quod fere intervallum eſt, quo Ptolemæus catarractas, minorẽ & majorem, disjungit. Atque hæc argumenta præter ea, quæ nobis Aſna præbuit, effecerunt, quo minus aſſentiri poſſim Leoni Africano, accuratiſſimo aliàs autori: qui non Aſvân, ſed Aſnam cum Syene eandem facit. præſertim cùm ſententiam ſuam nullo indicio probet. Niſi fortè, quod Aſnam ſubeſſe Tropico aſſerit: ſed non aliunde, quàm ex eo ipſo, quod putavit Syenem eſſe. Quem huic ſitum Latini & Græci tribuerunt eo quidem argumento, quòd ibi meridiano ſolſtitii tempore umbra obſervaretur nulla. Fateor quidem Arabes pleroſque omnes conſtituere Aſvân uno quaſi gradu auſtraliorem: nempe latitudine præditam grad. 22½. At licet hoc ſtatuamus eſſe veriſſimum, de quo dubitari poteſt; vix tamen perceptibilis ſenſu fuerit temporis illis umbra: ſiquidem ea, extremo lumine, quod à ſupremo Solis diſco fluit, terminata, ſeptuageſimam quintam duntaxat gnomonis partem reddit. quam non obſervari facilè contigerit. vel ſi accuratiore viſus judicio experimentum captum; non ipſo quidem ſolſtitii die; ſed paulò pòſt, vel antè umbra reverà nulla fuerit.

Lin. 15. افريقية *Africæ.*] Arabes per nomen Africæ non intelligunt niſi propriam; & quidem eam, quæ eſt inter deſertum برقة *Barcæ* (quod conſtat Cyrenaïcæ, Marmaricæ, Lybiæque exterioris boreali tractu; ubi & Barcæi ſeu Barcitæ Veterum,) & urbem بونة *Bona*, quæ Hippon eſt, B. Auguſtino inclyta. Nomen autem Africę

O dedu-

deducunt ab افريقس بن قيس بن صيفي بن سبا الاصغر qui victus ab Assyriorum rege & cum suis profugus eas sedes occupâsse dicitur. De quo & Leo Africanus in Operis initio.

Lin. 17. شمال بلاد الصين *Borealem Sinarum tractum.*] In quo nempe nobiliores urbes; Xantum, Nancian, Satrub, Sinceu, &c. Et hoc quidẽ climate videtur Alferganus cõplecti ipsos regni Sinensis limites. Nam in climatibus reliquis nullam ejus mentionem facit. Et licet Sinarum terminus vulgò statuatur vastus ille murus, qui montium valles & vias Tataris præcludit, hoc est, in 42 graduum latitudine; Arabibus tamen, Persis, aliisq; Orientalibus superior illa pars, non Sin; sed Chatai & Thebet, uti climate sequenti fit, nuncupari solet. Præsertim iis, qui post Muhammedis tempora Orientis res literis mandârunt: quando الخطا Scythæ extra Imanum, χαῖται Ptolemæo dicti, irruptione factâ regni partem occupârunt, imperiique sedem fixerunt Pechini; quam eandem esse cum Cambalu Pauli Veneti, demonstrat Nic. Trigautius in libro de Christiana expeditione apud Sinas. Arabes, Persæ, Turcæ, aliique خان بالق *Chanbalic* scribunt. De ea Abulfeda هي من اقاصي الشرق عند بلاد الخطا وعرضها له كه وطولها قنو *Ipsa ex remotioribus Orientis locis in regione Chataorum: latitudine prædita* 35 *grad.* 25. *min. longit.* 156. Vbi etiam collocatur ab Europæis Pequin seu Pechinum. Et Ibn Saîd Geographus; ويذكر من عظم هذه المدينة ما يستعلو العقل وهي قاعدة مشهورة على السنة التجار واهلها جنس من الخطا ولهذه العظم جعلت مدينة طمغاج وبلاد الطمغاج هي بلاد الخطا ويزعمون

ويزعمون المسافرون ان السور داير على عمايرهم مسيرة ثلثة وعشرين يوم من الغرب الى الشرق ، *Narrantur de urbis hujus*, nempe Chambalic, *magnitudine, quæ superant mentis captum: est autem ipsa Metropolis, celebrata sermonibus mercatorum: incolaque ejus genus Chatæorum. Ac propter amplitudinem hanc constituta est civitas Tamgâgji:* (ita dicitur Chatæorum imperator) *cujus regio est terra Chatai. Existimant autem viatores murum, qui habitationes eorum cingit, protendi 23 dierum itinere ab Occidente in Orientem.* Postquam verò Tartari à majoribus ejus regis, qui nunc Sinensibus imperat, extra murum repulsi sunt; appellationes illæ inter Orientales fuerunt servatæ: ut hic regni Sinensis tractus, de quo antè dixi, dicatur regio Chatai, ejusque regia Chanbalic.

Lin. 18. على بلاد الهند *Per Indiam.*] seu *Indiæ Borealia & extrema:* ubi regio & urbs inclyta لاهور *Lahor*, sub latitud. 31½ grad. prope fluvium راوي *Ravi*, qui decurrit in Indum. & رهتاس *Rohtâs*, sub latitud. 33. Cui addere licet فرحاله *Ferhálam:* quæ, ut Ibn Marûph scribit, regni پوتوال *Potuál* sedes, adjacens occidentali ripæ fluvii بهت *Bahat*, influentis in Indum: 50 minutis borealior, quàm urbs præcedens.

Ibid. القندهار *Candahâr.*] vel, juxta Iacutum Hamatæum aliosque, Condohâr. urbs toto orbe celeberrima, cognominis provinciæ Metropolis: quam Nasiro-ddîn Thusius, Olugbegus & Persa anonymus (quibus ut propinquorum tractuum incolis præ cæteris hîc habenda fides) ab Alexandria Ægypti ad Ortum removent grad. 45, minut. 46: & pari consensu ab Æquatore ad boream grad. 33. Alii ad Indiam, alii ad Sindiam, alii denique ad

Persiam pertinere volunt: unde apparet earundē trium velut terminum existere. Persarum rex Abbâs, ante paucos annos defunctus, sibi visus est eam jure suo extorsisse regi Indorum; sicut Bagdadum regi Turcarum: ut qui antiqui imperii limites sibi vindicaret Indum & Tigrim. Paganis autem Indis urbem primus eripuit Abâd fil. Ziâdi, fratris Muaviæ, expeditionis Muhammedicæ in tractus illos susceptæ dux, circa 60 annum Higsræ. Vrbs antiqua est & ampla; ad ortum muro, ad occasum asperiore monte munita: & in medio scopulus est, cui imposita arx. Montosa est regio ferè universa, excurrente huc usque montis فرو, id est, *Parvetorum* Ptolemæi, propagine. Suburbia excedunt urbem: siquidem hîc non tantùm communis est ex Persia in Indiam, & è contrà commeantium transitus propter commeatus copiam; qui succedentibus Persiam versus desertis ac sterilibus locis desit: sed etiam ingens mercatorum confluxus ac consessus propter gentis utriusque & vicinarum commercia.

Ibid. شمال بلاد السند *Borealia Sindiæ.*] Vbi clima hoc comprehendit urbem, nomine præcedenti affinem, قندبيل *Candabîl*, aut قندويل *Candavîl*: urbem præsidiariam regionis ندهه *Nedhæ*: & قزدار *Kozdâr* præsidiariam regionis طوران *Thurân*, ab occasu Indi utramque; illam sub latitudine 28 grad. octo stationibus à Mansóra; hanc sub latitudine 30. grad. 35. minut. Vtriusque incolæ بدوي *Campestres*: illi re camelariâ vitam exercentes; hi verò colendis hortis & agris. Ad borealia Sindiæ, ejusque extrema etiam refertur مولتان *Moltân*, circa fluviorum Bahat & Indi confluentem, sub latitud. 29 grad. 36 minut.

36 minut. & 1⅓ grad. orientalior, quàm Candahar. Quare hæc quoque revera Sindiæ fuerit.

Lin. 19. بلاد كابول *regio Cabul.*] Orientales unâ voce كابولستان *Cabulistân* dicunt. Eamque Abulfeda & alii ad regnum زابلستان والغور *Zabelistân & Gôr* referunt: quę respondent Veterum Parapaniso; in cujus ferè extremo affinia nomina, Zuastena & Goryea, extant apud Ptolemæum. Regio Cabul montosa & fertilis: cujus Metropolim cognominem Ibn Maruph & Canon Geographicus subjiciunt latitudini 33½ grad. longitudini verò duorum ferè graduum ultra Candahar in ortum. Vrbs Cabul ampla est, & duplici arce munita; pluribusq; ornata palatiis. Nam hîc olim erat Indiæ regum sedes: adeò quidem, ut Indi, teste Ibn Haukel, neminem شاه *Xah*, quod *magnum regem* sonat, nomine dignarentur, nisi hâc potiretur urbe: quò cōtra vicinos Tataros ac Parthos, quibus hanc Indiæ partem eripuerant, faciliùs regnum tuerentur. Eam quidem Indiæ primam, & Chorasmiæ (quæ & Zabalistân comprehendit) ultimam statuunt Geographi plerique. Expugnârunt Muhammedani tempore Mervânis, anno Higsræ 65. Prope urbem fluvius labitur, qui in Boreali tractu, لغمان *Logmân* dicto, exorsus descendit ad occidentalem urbis partem: quare & كابلك Ibn Marufo dicitur: & indè per australem inflexus ad ortum tendit, donec conjungatur Indo. Magnus hîc undique mercatorum confluxus, tum ob propria ejus loci commercia; tum ob commeatus copiam, quodque transeuntes hic explicare solent merces, & de novo in sarcinas componere. Ita dicitur in Cabul esse دربند *Derbend*, voce Persicâ, quæ quidem propriè *Portam vin-*

 culi,

culi, vel *strictam* ſonans idem notat, quod Græcis πύλαι, *anguſtum per montes tranſitum*: tum etiam locum, qualem dixi, ubi ſarcinæ de novo religantur. Porrò Myrobalani, aliaq; aromata ab hac Cabul denominantur; non quòd hîc proveniunt; ſed quòd ex India huc primùm comportari ſolent.

Ibid. كرمان *Carmania.*] Regio Perſidi & mari Perſico contermina; Græcis Latiniſq; hoc ipſo nomine deſcripta. Hîc verò oppidum intelligitur, quæ ejus qnondam Metropolis fuit: ut apud Ptol. videre licet. Anonymus Perſa longitud. illi præfigit à littore Africæ grad. 91¼ & latitud. 30. quod plenè convenit cum Ptolemæo. Eſt quoque alia, teſte Iacuto, civitas Carmaniæ ſeu Carman nomine, quę tridui itinere diſſita à Gazna Indiam verſus; uno gradu auſtralior & quoque orientalior quàm præcedens Cabul: ad cujus ipſa ditionem pertinet. Eſt autem Gazna urbs Zabliſtanæ præſidiaria.

Ibid. الاسكندرية *Alexandria.*] Hæc eſt de XVIII Alexandriis, quas enumerat Stephanus, quinta decima, περὶ τοῖς ἀραχώτοις, ut inquit, ὁμορȣσα τῇ ἰνδικῇ; à Ptolemæo deſcripta in Arachoſia. Abulfeda قصبة قندهار *præſidiariam urbem ditionis Candahar*, de qua modò dictum, vocat ويهند *Vaihend*: & inter cætera verbis Saîd Geographi inquit, وهي احد الاسكندريات التي بناها الاسكندر على النهر المنسوب اليها *eſtque ipſa una de Alexandriis, quas condidit Alexander, ad flumen; quod ab ipſa*, nempe Vaihend, *denominatur*, & in Canone Geographico inſignitur Sindi nomine, quia huic ſeſe immiſcet.

Ibid. سجستان *Segiſtân.*] ſeu potius *Sigiſtân.* Regio ad auſtrum هراة *Haræ*; quæ Aria Ptolemæi, ſive quæ hanc includit,

includit, Chorasanæ; Carmaniæ, Mecranæ, & Sindiæ confinis. Magnam partem planicie constat & arenis; quæ ventis mobiles & æstu ardentes vitam ibi incommodiorem reddunt. Et quæ Curtius libr. VII, refert, ubi de Alexandri agit expeditione per Susitanorum deserta: nempe quod æstivi Solis vapor arenas accendit, quodq; immodico terræ fervore excitatâ caligine, camporum non alia quàm vasti ac profundi æquoris species est, quam peculiari nomine Arabes السراب vocant; idem de Sigistanæ desertis tradunt Geographi Orientales. Quapropter Susitanorum regionem non aliam, quàm Sigistanam puto; nam ج Orientalium, cum sibilum habeat, sæpe per *s* effertur: neq; vocem illam apud Curtium corruptam esse, quod suspicatur Ortelius. Vrbs regionis primaria, & commodiore loco sita, fructibus alioque commeatu abundans, زرنج *Zernegjia* dicitur: & regionis totius nomine sæpe celebratur, Abulfeda teste. Occupata à Muhammedanis fuit tempore Omaris, secundi Chalîfæ. Vnâ hinc parasangâ abest fluvius سنارود *Senaroud*: qui ramus est fluvii هندمند *Hindmend*, i.e. *Ariæ* Ptolemæi. Regio hæc magnâ copiâ Silphium profert, de quo Diosc. lib. 3. c. 94. انجدان illis dicitur, ejusq; liquor حلتيت, qui *assa fœtida*. Hâc autem Susitani, item Persæ & Indi, qui duo هنگ vulgò appellant, inter ciborum condimenta familiariter utuntur. Et quidem exiguâ quantitate permixtus gratiam addit; quomodo odoratui demum grata sunt muscus & zibetum: & si fortè primùm alienus videtur sapor, pòst tamen & usu placet.

PAG. XXXVII. المحمدية *Muhammedia.*] Hoc nomine haud pauciora extant loca, quàm Alexandriæ. Clariora fuere

fuere in Babylonia, Media, Africa, Hispania Bætica: & quoque in Carmania, teste Iacuto; qui eam subjicit latitud. 31. grad. 45. minut. ac longitud. grad. 90. literarumque ac philosophiæ studiis florentem prædicat. Antè dicebatur دارق الصفر, nomine cujusdam sectæ, de numero الخوارج *Schismaticorum*: at Chalîfa Mutevackel, Abbasidarum decimus, qui anno 23 Higsræ imperium accepit, Muhammediam vocavit, patris sui Muhammedis Mutasemi nomine.

Ibid. جيرفت *Gireft.*] vel etiam *Giruft*. Et hoc Carmaniæ oppidum est, ex ampliorum & amæniorum numero unum. Aquæ salubris, fructuum ac frugum copiâ gaudens: magnoq; mercatorum concursu florens & celebre. Olugbegus latitudinem ejus definit gradibus 27½; statione unâ ab هرموز, quæ est *Harmuza* Ptolem. in maris Persici littore:, estque ab Harmuz insulâ diversa; quæ latitudinem habet tantùm 26 grad. 45 minut.

Ibid. السيرجان *Sirgjân.*] &, ut Persæ scribunt efferuntque, سيرگان; de qua literarum commutatione suprà monui pag. 42. Est autem Sirgjân urbs, teste Nubiensi, totius Carmaniæ maxima; terminis Persidis proxima. ob aëris & aquæ bonitatem; nec non annonæ copiam commendata. Ab Olugbego, Geographo Persa anonymo, aliisque locatur sub latitud. 29½ grad. duabus stationibus à Gireft.

Ibid. بحر البصرة *Maris Basrensis.*] Nam sinus Persicus, inprimis juxta Orientale littus, distinguitur in partes duas: nempe mare Harmusium; quod ab angustiis, Arabiam inter & Carmaniam interjectis, extenditur, paulò supra Insulam cognominem, Ormuz vulgò dictam: & mare

mare Basrense: quod Carmaniæ littus reliquum & Persidem alluit, & usq; emporium Basram, sive castellum ejus Abbadân protenditur.

Lin. 2. اصطخر *Istachra.*] Hæc, inquit Abulfeda, من اقدم مدن فارس وبها كان سرير الملك في القديم وبها اثار عظيمة من الابنية حتى يقال انها من عمل الجن *Est ex antiquissimis Persidis urbibus: fuitque in ea olim imperii sedes, ac supersunt ibidem rudera eximia structurarum: adeò ut feratur vulgò Dæmonum esse opus*: ut quò multa homines referre solent, quæ captū excedunt. Locus autem in vicini collis vertice, شلمنار *Xilmenâr* dictus: quod ibi *quadraginta columnæ*, velut *turres*, extârēt; (nam چهل Persis est *quadraginta*, & منار Arab. *turris*) quarum nunc vix supereſt pars altera. Vno quasi miliari hinc Africum versus abest fluvius قروان, Persis nunc Bendamir vocatus: qui Araxis est Q. Curtii, aliorumque veterum: eâ parte ponte stratus, quo aditur Choromithrena & Parthia sive Chorosana, à qua & pons nomē habet. Vnde satis liquet Istachram hanc non aliam esse quàm Persepolin: & monumenta ibi reliqua, quæ epistolâ Garziæ de Sylva Figuroæ, regis Hispaniarum in Persia tunc legati, eleganter descripta sunt, ipsius Basilicæ esse reliquias; non minùs excidii turpitudine claræ, utpote ab Alexandro combustæ in gratiam scorti, quàm incomparabili arte & superbiâ. Vrbs Istachra ante sæcula quędam incolis floruit: nunc pagi vix faciem habet; ut quæ vicinæ urbis Xirâz incremento in dies decrevit. A plerisque locatur sub 30 latitud. grad. Hoc autem ejus nomen pro antiquissimo habent Persæ, nempe filii Kajomarti, quod urbi

impositum fuisse volunt. Persepolis enim Græcorum est, nec fortè ante Alexandri tempora ibi cognitum.

Ibid. جور *Giaur.*] Vel,ut Geographi pleriq;, *Giour.* Inter primarias Persidis urbes recensetur ab Abulfeda: ob campos suos,vineas,& hortos passim decantata apud scriptores: cumq; totum regnum insigni rosarũ proventu gaudeat, Giorensium genus præfertur omnibus reliquis. Vrbs ab Istachra declinat uno quasi gradu: condita, prout tradita Persarum habent, ab Ardexir, fil. Babec, filii Sasan: qui in ea آتشكده πυρεῖον, id est, *æterni ignis focum* extruxit; multa sæcula pòst cum suo cultu servatum. A rege illo & tota provincia, quæ ad mare vergit, كورة اردشير, teste Abulfedâ, dicta fuit. Iacutus Hamatęus ait nomen urbis ita Arabibus scribi pro Persarum گور, quod hisce *sepulchrum* notat. Ideoque cum Adoduddaulas, ex Bojaïtarum familia unus,qui circa annum Christi 940 urbem dominis eripuerant, loci amœnitate captus huc relaxandi animi gratiâ frequens concederet; atque indè in populo dictum vulgaretur, ذهب الملك الى الكور *abiit Rex in Gour* urbem, per quod etiam intelligi poterat *sepulchrum*; ut omen cum nomine videretur sibi declinare, فيروزاباد, quasi *prosperam* seu *augustam sedem* vocari jussit.

Ibid. فسا *Phesa.*] Persis ipsis بسا *Besa* dicitur. quod nomen aliâs hisce *Boream* notat; ventum ibidem gratissimum. Et hæc urbs Persidis antiqua; olim amplitudine vix alii cedens: aëris salubritate, fructuum copiâ, & amœnitate cõmendatur. maxima est regionis دارابجرد (داراب *Darius* est, & جرد pro Persico گرد, idem quod Arab.

Arab. كور) *territorii* ſeu *nomi Darii.* Nam & aliæ Perſidis provinciæ priſcorum regum nominibus diſtinctę fuerunt. ita jam antè habuimus كورة اردشير . ita quoque كازرون *Cazaron* dicitur eſſe in كورة شابور χώρα Σαπῶρος. Hæc autem urbs Pheſa, ut menſuræ apud Abulfedam arguunt, paraſangis quaſi 10 ortum brumalem verſus abeſt ab Iſtachr; ad cujus ditionem Darii nomus ſpectat.

Lin. 3. سابور *Sabûra.*] Perſæ per ش ſcribunt. Vrbs Perſidis, magnitudine æqualis Iſtachræ: at incolarum frequentiâ major. uno quaſi gradu borealior. A Sapore fil. Ardexir, Perſarum rege condita hoc nomen accepit: & peculiariter dicitur شبور خواست, quòd *deſideratus* ibi primùm & *quæſitus* à ſuis fuit *Sapor*; ut diſtinguatur à Sabûra altera, de qua etiam dicemus. Circumjacet regio herbis & floribus odoratis omnique fructuum genere ita abundans, ut unus eſſe videatur hortus. Provincia, quæ ampliſſima, nomen cum hac urbe idem habet. Alias tamẽ majores longè civitates complectitur; quales ſunt *Cazaron*, cujus jam antè meminimus, & نوبندكان *Naubendegân*. Extat quoque alia urbs in خورستان *Choriſtân*, quę Suſiana, Saporis nomine, nẽpe جندى سابور. Hanc autem Iacutus tradit à Sapore dictam; quod profugus, ibi locorum inventus fuit vivus, cum periiſſe crederetur; quaſi *Saporis vitam* dicas. Id enim Perſis زند eſt, pro quo Arabes جند ſcripſerunt. Hanc ſex abeſſe paraſangis ab السوس, *Suſâ* veterum, tradit Abulfeda, ſub latitudine grad. 33. minut. 20. quod etiam ipſi affirmant Perſæ.

Ibid. شيراز *Xirâz.*] Vrbs celeberrima, & Iacuto aliisque testibus, universæ فارس *Persidis* media. Eam Abulfeda مدينة اسلامية *civitatem Islamicam* vocat, id est, imperii Muhammedici tempore exstructam, conditore محمد بن القسم ابن ابي مقيل *Muhammede fil. Casimi fil. Abi Mucceili*, patruele Higiâgi fil. Iosephi, cujus suprà facta est mentio in Tebala. Auxitque eam multùm, & duodecim millium cubitorum muro munivit, portisque undecim instruxit princeps ابو كالجار سلطان الدولة بن بوية: anno Higræ *336* incepit opus, & quadriennio pòst absolvit. Atque ita inter cæteras Persidis civitates caput extulit, Metropolis ejus facta ac præsidium. De commodis ejus inter alia Abulfeda: ليس يكاد يخلو دار فيها من بستان حسن ومياه تجري *Vix ulla in ea domus destituitur pulchriore horto, & fluentibus aquis*. Ab Istachra ad Libonotum abest 12 parasangis. Nomen autem شيراز Persis notat *Leonis ventrem* seu *appetitum*: & huic urbi inditum ex eo vult Ibn Haukel, quòd annona ad eam convehi solet; sed ab ea exportari nihil. Iacutus autem ex aliorum sententia refert, urbem ita dictam fuisse nomine filii regis Persarum quarti, طهمورث *Tahmûres*; de quo Teixera lib. I. cap. 4.

Ibid. سيراف *Sirâf.*] Et hæc Persidis urbs est, sub latitud. grad. 29. & 1¼ gradu orientalior quàm Xirâz. Sita est in regione, quæ كورة اردشير dicitur; cujus & præsidiaria. Ad montis pedē structa imminet mari, & in propinquo sinu, نابد vocato, tutam navibus stationem præbet. Licet solum sterile habeat, aëremque æstuosum; mercaturis tamen faciundis quondam ita floruit, ut reliquas

liquas Persidis urbes opulentiâ & splendore facilè antecelleret: & cum rebus omnibus per se destituatur, nihil tamen deesset. Postquam verò propinqua insula جزيرة قيس بن عميرة habitari & undique adiri cœpit; paulatim, commercio omni huc translato, Sirâf collapsa fuit. Persæ ipsi nomen urbis شيراف & شيراب efferunt: cujus appellationis originem Iacutus inquit, in Persarum (scilicet Magorum) libris sacris, qui ابستا *Abestà* dicuntur, hanc tradi: quod كيقاوس *Caicavûs*, id est, *divus Cavûs*, de quo Teixera libr. 1. cap. 13. de cœlo tactus, hîc شير *lacte* & اب *aqua*, à se expetitis, refocillatus esset.

Ibid. سينيز *Sinîz*, & per ش *Xiniz*.] Oppidum Persidis, juxta quosdam Susianæ, situm in maris littore 30 grad. supra æquatorem, & gradibus 3½ occidentalius, quàm Sirâf. Sed anno 321 Higræ cæsis incolis dirutum fuit à Caramita illo, cujus mentio fit in Historia Sar lib. 2. cap. 18. & 19. Et pars ejus superstes pauperiorum hominum turbæ relicta fuit.

Ibid. جنابا *Gennâba*.] Præsidiarium Persidis oppidulum, situm ad sinus cujusdam extremitatem ab ortu Sinîz, & 54 parasangis à Xirâz. Hoc etiam vastavit Caramita; licet ibi natus esset, vulgò ابو سعيد الجنابي dictus. Gennaba autem à Persis traditur nomen fuisse filii Tahmûris sive Tamuris, de quo suprà; & postea huic urbi, seu potius castello, datum.

Ibid. مهروبان *Mahrubân*.] Oppidulum maritimum, portu præditum, paulò occidentalius quàm Sirâf; ab aliis Persidi, ab aliis Susianæ adscriptum. Latitudinē habens juxta Persas 31 grad. & quatuor circiter dierum iti-

nere ad Eurum ab oſtio Tigridis, ſive caſtello Abbadân. Abulfeda ſtatuit eſſe قصبة ارجان *præſidiariam urbem* regionis *Arregian* ſeu *Argian*; quæ Suſianæ extremæ pars, & cognominem habet urbem ad fluvium طاب *Eulæum*, quæ videtur eſſe Urzan Ptolemæi.

Lin. 4. الاهواز *Regiones Ahvaza.*] Hæ ad Suſianam pertinent: quæ خورستان & quoque خوزستان dicitur. Non abludunt hinc duo nomina apud Ptol. Characene, & Coſſiana, vel etiam Ciſſia; quæ extremæ Suſianæ partes ſunt: ubi eſt ipſa illa provincia Ahvâz. Sæpenumero autem hoc nomen Ahvâz æquè latè ſumitur ac tota Choriſtân ſive Choziſtân. Nam Perſæ, ut Iacutus docet, totius hujus regionis nomine potiorem ejus partem, nempe Ahvâz, appellare ſolent خوز; *Chus* habet M. Niger: quod Arabes, qui eam ſubegerunt anno Higræ 17, mutârunt in هوز: & plurali numero protulêre اهواز. Hoc eodem nomine deſignare etiam ſolent ipſam Metropolin ſub latit. 31 grad. & 8 min. quam àliâs سوق اهواز *Forum Achvaza* vocant; antiquitus Perſis dictam هرمز شهر, ſeu, ut alii, هرمزد شهر, id eſt, *Dioſpolin*. Vide, ſi lubet, quæ pag. 39. diximus. Ea autem nunc ferè tota diruta.

Ibid. العراق *Irâcam.*] Hic quoque terræ tractus eſt longè lateque patens: qui juxta Abulfedam & Geographos cæteros ab ortu conterminam habet خورستان & بلاد الجبل *Suſianam*, & *regionem Montoſam*, parte Aſſyriæ, Mediæq;, & parte Choromithrenæ conſtantẽ: à ſeptentrione بلاد الجزيرة *regionem Inſularem*, id eſt, *Meſopotamiam*: ab occaſu hancipſam quoque, & البادية *Deſertum* Arabiæ: ab auſtro partem hujus, mare Perſicum, &

& Susiana extrema. Quibus etiam limitibus Babyloniam describit Ptolemæus. Ejusq; potiores urbes ad utramq; Tigridis partẽ extare inquit; nonnullas quoq; ad orientalem Euphratis: quod ipsum de Iraca referunt Arabes, Tigridem hâc parte comparantes Nilo. عراق autem hisce, ut Philologi docent, propriè notat ما دنا من البحر *quod prope mare* vel *flumen est:* unde استعرقت الابل *ad campum maritimum* vel *fluvialem venerunt cameli*, vel *in eo pascuntur*. Ita verò Babyloniam dici volunt, quòd confinis Tigridi, Euphrati ac Mari. Vel nomen عراق est ab ארך *Erech*, factâ similium literarum levi mutatione. ארך autem & בבל statuuntur Genes. 10. v. 10. regni Nimrod principia. Vt ergo à posteriore nomine dicta Babylonia: ita fortè à priore est Irâca. Fuit quoque urbs *ἄρακκα* Ptolemæo nota, prope Tigridem in Susiana, quam Arabes videntur appellare عراق القرية, sub Iraca ab illis cõprehensam. Quoniam verò urbes duæ, Cûfa & Basra, quæ sequuntur, cum circumjacente regione nobiliores haberentur totius Iracæ partes, de literarum aliarumque rerum gloria certantes, & eodem tempore conditæ; ambæ العراقان *duæ Iracæ* nuncupari solent: & illa quidem, quia Arabibus vicina, magisque frequentata, عراق العرب *Irâca Arabum*: hæc verò, quia Persis, عراق العجم *Irâca Persarum*. Atque hinc العراقين etiam sæpè idem valet, quod العراق; nempe *Babyloniam*. Aliquando tamen latiùs patet; & duas regiones, Assyriam & Mediam designat, quod & pag. 7. retulimus: sed ut generaliore significatu illa Babyloniam, hæc Choromithrene partem quoque complectitur.

Ibid.

Ibid. البصرة *Bafra.*] Nomen hoc generaliter quidem *terram craſſam & lapidoſam* notat: ſpeciatim verò urbem Iracæ, ab Arabibus Muhammedanis tali loco conditam; in extremo deſerti, quod ad Cæciam indè vergit. Ibi principis cujuſdam Perſici palatium exſtiterat: quo *diruto* campus ille الخريبة dictus, & Perſarum caſtris occupari ſolebat. Quapropter Omar fil. Chatâb, ſecundus Califa, partibus illis potitus, & hunc locum præſidio muniendum cenſens, urbem extrui juſſit; nimirum anno Higræ 14. Quæ auſpiciis illis, ipſâque ſitus commoditate paulatim evecta ita floruit, ut عمر بن شبة, & ابو علي زكريا الساجي, aliique magnos de ea commentarios ediderint. A Baſra duobus ad ortum milliaribus præfluit Tigris, (دجلة Arab. דִּגְלַת Chald. dicitur; & hinc Diglito Plin. lib. 6. c. 26.) & juxta Euronotum pergens in mare exit, duorum quaſi dierum itinere ab ipſa urbe. Duabus infra eam paraſangis in Tigrim fluit نهر الابلة *Amnis Abulla:* qui inter Circium & Corum medius decurrit; ab oppido, quod ſecat, ita denominatus. Cum hoc alius conjungitur ad occaſum Baſræ, duabus item ſupra urbem paraſangis ex Tigri deductus Omaris illius juſſu: & quoniam operi præerat معقل بن يسار, hujus nomine نهر معقل *fluvius Mocali* nuncupatus. Regio amœniſſimis Aſiæ locis, quæ منزهات او جنان الدنيا *delicias* ſeu *hortos Mundi* vocant, annumeratur. Ejuſmodi Tempe Aſiaticis recenſentur quaterna: nimirum شعب بوان *Xibo Bauvân*, id eſt, *Rivus Bauvanitarum*, quæ tribus Perſica: jucundiſſimus eſt in Perſide plurium pagorũ tractus, protenſus inter ارجان & الدوبندجان; de quibus ſuperius:

صغد

صغد سمرقند *Sogd Samarcandæ*, in Bactriana: غوطة دمشق *Goutha*, id eſt, *Viridarium* Damaſci: نهر الابلة *Fluvius Obullæ*, nempe dicta jam inſula, cujus ille partem facit. Inter plura amœni hujuſce loci commoda eſt etiam æſtus maris, quo flumen quotidie creſcit decreſcitque, & furſum deorſumque agitur: & quidem ad Tigris Euphratiſque uſque confluentem: paludes nempe, in quas effunduntur ſimul ambo, undeque permixti rurſus prorumpunt alveo uno. Ceterum Baſra ſubjicitur latitudini gr. 30½: Paludes 32. Dualis autem numerus البصرتان notat hanc ipſam urbem una cum Cufa ipſius æmula.

Ibid. واسط *Vaſith.*] Et hæc Iracæ urbs eſt, ſub latitudine 32. grad. 20. minut. quam Tigris mediam ſecat. Extructa fuit à يوسف الحجاج, cujus ſuprà facta eſt mentio, anno Higræ 84. & quoniam media eſſet inter nobiliores urbes, Baſram, Bagdad, Cufam & Ahvâz, æquali intervallo, ſcil. paraſangis ferè 50 à ſingulis remota, nomen hoc *Vaſith*, i. e. *Media*, obtinuit. Sunt tamen, qui ita dictam volunt à pago, ibidem antè ſito, & واسط القصب vocato, quia *medius inter arundines.* Ab urbe hac denominantur بطائح واسط *Paludes* ſeu *effuſiones Vaſith*, de quibus dixi; infra eam ſeptem circiter paraſangis diſſitæ.

Ibid. بغداد *Bagdad.*] Et cum د non punctato. Hæc quoque urbs Iſlamica eſt, nempe à Muhammedanis condita, Iracæ totius Metropolis ſub latitud. grad. 33. min. juxta Mamonicos 20, & juxta Aſtronomos poſteriores 25. Almanſor Abugjafar XXIII Califa, & Abbaſidarũ II (de quo Hiſtor. Sar. libr. 2. cap. 3.) veritus ne milites ſui à Cufenſibus corrumperentur, ex الهاشمية, quam extruxerat frater ejus ابو عباس السفاح Cufæ appendicem, &

ex palatio regio in urbem auxerat, castra transtulit in hunc locum: ejusque commodiore situ, salubritate, & facto à Natura præsidio expensis, urbem ibi ædificavit in occidentali primùm Tigris ripa; quæ de ejus nomine مدينة المنصور dicta fuit: & 4000000 aureos in eam expendisse scribitur. Aliud etiam زورا nomen accepit, vel ab *obliquo* amnis *inflexu*; vel, ex Abulfedæ aliorumq; sententia, quòd exteriores ejus portæ ab interioribus *divergerent*: Est enim زوراء idem, quod مال & انحرف. Locus autem ille antea dicebatur Bagdad, id est, *hortus Dadi*: quòd Persa quidam, ita nominatus, hîc amplum possideret hortum. Alii verò asserunt, locum fuisse sacrum Idolo, quod بغ diceretur: ita ut بغداد Persis sonaret *Bagi donum*. Ac propterea Almansor meliore omine vocari jussit مدينة السلم *Civitatem pacis* seu *incolumitatis*. Ita etiam Tigris وادي السلم dici solet. Deinde urbs altera constructa fuit in opposita, orientali nempe, ripa; quæ primùm عسكر المهدي *Exercitus* vel *Castra Muhdis* dicta: propterea quòd Almansor considere hîc cum exercitu jussisset filium suum Muhdim, & locum munire muro contra Persarum incursiones. Ædificatis deinde ædibus civitas excrevit, alteri illi æqualis: & quia *lapidibus stratæ essent viæ*, peculiari nomine (quod & aliis oppidis, vicis, palatiis, &c. inditum) الرصافة *Rusáfa* appellata fuit. In utraque urbis parte, quam diximus, eminuit emicuitque دار الخلافة *Domus Chalifatus*, sive *Imperii palatium*: in occidentali urbe قصر المنصور, in Orientali قصر المهدي; à suis conditoribus & primis dominis sic appellata. Posterius autem, quod peculiariter

الحريم

الحرم *Præsidium*, & quasi *Septum regium* dicebatur, splendore & amplitudine longè præcelluit. Hoc murus cingebat, à Tigri incipiens & ad eum desinens, semicirculi formâ, sex portis præditus. Inter eas باب النوبى *Porta præfectorum* erat; cujus limen reges & legatos osculari, cum Chalifam adirent, solennis mos erat. Haud rectè igitur faciunt complures ævi nostri scriptores, qui hanc Arabum Bagdád à Babylone non distinguunt: nam uti Bagdadum medius dividit Tigris, ita Babylona Euphrates. Tum Orientis Geographi describunt ad Euphratem Babel pagum, Bagdado borealiorem; ubi plurima urbis maximæ (quam Babylona fuisse omnes volunt) vestigia apparent. Talia verò Bagdadi extant prorsus nulla.

Ibid. الكوفة *Cufa.*] Iracæ urbs, ad ramum Euphratis, sub 31 grad. 50 minut. latitudine. ita nuncupata à *rotunditate*, sive mœniorum, sive montis qui mediam occupat. Condita fuit iisdem autoribus, quibus Basra; uno circiter anno pòst. Plures enim ad Tigrim & Euphratem urbes ab Arabibus sub imperii initium extructæ; quô arcendis & porrò subigendis Persis præsidia & arma in promptu forent. Hæc autem, ut Iacutus ab autoribus fide dignis acceptũ refert: in orbem patebat mill. Arab. $16\frac{2}{3}$. Ramus ille نهر عيسى dicitur, ab Isa fil. Alis, Almansoris Chalifæ patruo: natus ex Euphrate in boreali parte paulò ante urbem, inter cæciam & aquilonem meat, & in minores ramos divisus tandem se evolvit in occidentalem Bagdadi sinum, ad quintæ à Cufa stationis intervallum. Prope hanc urbem quoque est مشهد علي بن ابي طالب *Locus martyrio*, ut vocant, *Alis fil. Abutalib inclytus & sacer*: quò undique, velut ad alteram Cabam, superstitiosi homines concurrunt.

Lin. 5. الانبار *Anbâr.*] Et hæc Iracæ urbs eſt, ad tractum Bagdadi pertinens: 10 hinc paraſangis ſita ad utramque Euphratis ripam, 5 minutis auſtralior. Hîc regia ſedes fuit Seffâho, primo Abbaſidarum Chalifæ; de quo Hiſt. Sar. lib.2. cap.2. Vrbem perantiquam perhibent, & à Nabochadnaſre conditam: qui Arabum familias quaſdam, incertis caſtris vagantes, hoc oppido & territorio, velut ſtabili ſede & *horreo*, quod الانبار ſonat, congregâſſet. Eodem fœdere & urbem حيرة *Hiram*, quæ unâ paraſangâ abeſt à Cufa occaſum verſus, cum circumjacente regione illis aſſignatam tradunt. Ab eo tempore tractus uterque, & quidem ex tota Iraca fere ſolus, Arabum fuiſſe, aut ſaltem ab iis incultus dicitur: nimirum tribubus نصر, معد, مازن, بني بنوخ &c. Ex quarum prima oriundus نعمان بن المنذر paulò antè Muhammedici imperii auſpicia poſſidebat regnum Meſopotamiæ & Hiræ: & uno ab hâc milliari exſtrui curavit eximii operis palatium, الخورنق *Chavarnac* dictum. at architectum, nomine سمنار, gente Græcum, cum fortè jactaret ejuſmodi arte compactum eſſe ædificium, ut uno, quem noſſet, lapide exempto univerſum ſubverti poſſet, ex alto, ubi conſiſtebat, præcipitem dedit. Vnde جزاء سمنار *retributio* ſeu *pœna Semnâri* proverbio vulgato notiſſima. Duale autem حيرتان notat *Hiram*, de qua dixi, & ſimul *Cufam*. Ceterum Vrbs Anbâr ejuſque tractus peculiari nomine فيروز سابور nuncupari ſolet; quod Perſarum rex Sapor hîc præſidia fixiſſet contra Romanos.

Ibid. هيت *Hît.*] Oppidum Iracæ quoque, ſub 33¾ gr. latitudine; unum de caſtellis Euphratis & Iracæ extremis habitum, in boreali ripa ſupra Anbâr, 21 hinc paraſangis diſtans,

distans, deserto Mesopotamiæ proxima : unde etiam ad hanc ipsam referunt quidam. Nomen habet juxta plerosque, quòd في هوة من الارض *in depressione solo* extat: vel juxta alios, à conditore هيت بن البلدي بن مالك بن دعر بن بويت بن عبنا, Abrahami ex Midian nepotis. dactylis aliisque vitæ commodis abundat; & complures habet bituminis ac naphtæ fontes.

Ibid. الشام *Syria.*] Alif medium Arabes faciunt radicale, & nomine hoc denotari *sinistrum* docent, contrarium اليمن תֵּימָן, quod *dextrum.* Atque hinc Syriam dictam fuisse *Sjâm*, Arabiam Felicem *Iemen* plerique volunt; quòd Ismaëlitis aliisque Arabibus, cùm in sacrum Orientis tractum facies converterent, illa quidem ad sinistram esset; illa verò ad dextram. Vnde & septentrionalia illis sinistra; australia dictâ sunt dextra. Vel forsan à Sem filio Noah, imitatione Ebræorum (qui Sem per ש scribunt, licet Arabes per س) id ipsum nomen petitum fuit. Sunt autem الشامات *Syriæ* seu *partes Syriæ*, prout Syrus anonymus libro suo خريطة العجايب docet, numero quinque: 1 *Gaza*, *Rama*, *Palæstina*, & *Ieresolyma*: 2 الاردن *Iordanes, Tiberias*, & الغور *Cæle*, utpote vallosa inter montes duos regio: 3 *Emessa, Hamata, Kinsarîna*, & *Halep* : 4 *Damascus*, & السواحل *regio littoralis*: 5 *Antiochia*, *Adana*, *Masisa*, & *Tharsus*. Iacutus & Abulfeda (ambo etiam Syri) divisione aliâ, & quidem vulgariore, Syriam distribui ajunt in partes item quinque, الاجناد *Castra* dictas: nempe جند فلسطين & جند الاردن جند دمشق ، جند قنسرين; accenseri autem, quæ العواصم وثغور الشام *munimenta* & *extrema Syriæ præsidia* vulgò

vulgò appellari ſolent, urbes recenſas parte quintâ diviſionis alterius.

Lin. 6. الحيار *Hijâr.*] Camus & alii habent حيار بني القعقاع : eſt enim nomen hoc, teſte Iacuto, plurale à ſing. حير, quod per الحما *territorium* ſeu *caſtrum* exponit. quare intelligenda hîc ſunt *Caſtra Cacaëtarum* Arabum: nempe, ut Camus inquit, صقع ببرية قنسرين *terræ tractus in deſerto Kinſarinæ*; atque ut Iacutus, bidui itinere ab Halepo auſtrum verſus. Ideoque ad climatis quarti initia potius pertinuerit. Verum ad hujus finem refertur; quia confinis. Ejus Poëta Mutenabbis meminit, ubi laudat regem Seifo-ddaulam:

وكنت السيف قايمه اليهم وفي الاعداء حدك والغرار

فامست بالبدية شفرتاه وامسي خلف قايمه الحيار

Extitiſti Gladius, (alludit ad nomen Principis) *cujus capulus apud illos*, nempe milites tuos; *at in hoſtibus acies tua & mucro.*

Ita ut latuerint in Deſerto duæ margines ejus, micueritq; poſt capulum ejus Hijâr.

Innuit illius ductu ac virtute profligatos fuiſſe hoſtes ultra Hijâr, atque cæſos in Kinſarinæ deſerto.

Ibid. سلمية *Salemmía.*] In ditione Emeſſæ (juxta quoſdam Hamatæ) oppidum; ſitu, hortis & aquæ copiâ amœnum, ſub latitud. 34½ grad. bidui itinere ab Hamata. In deſerti jam memorati limitibus, & quidem occidentalibus, extructum ab Abdalla, fil. Alis, fil. Abdallæ, fil. Abbaſi, patrui Muhammedis: qui Abdalla, ut quoque filius ejus, ſedem ibi fixere. Poſtea incolis ferè indigenis tantùm floruit, claruitque. Nominis originem hanc ferunt, quòd, cùm oppidum vicinum, المؤتفكة *Mutefica* dictum,

dictum, terræ motu ſubverſum eſſet, de populo ejus *centum incolumes* elapſi hîc loci conſediſſent: idipſum enim Salemmia, nempe سلم مايۃ, ſonat. Nomen hinc gentile fit سلمي & سلماني.

Ibid. حمص *Hims.*] Regionis cognominis metropolis, in planitie ſita, inter Halebum & Damaſcum; 5 dierum itinere utrinq;: ita ut in principio clim. quarti ſit, ſub 34 grad. 20 minut. latitud. Conditam & nomen accepiſſe tradunt ab Amalicita حمص بن الهر بن حان بن مكنف. Aëre fruitur ſaluberrimo, & optimæ aquæ rivo; unde & hortis circumjacentibus abundat. Hic ex fluvio deducitur, qui dimidio quaſi milliari abeſt; & incolis الارنط dicitur, nimirum *Orontes*: peculiari autem nomine etiam نهر المقلوب & العاصي *Refractarius*, & *Fluvius Inverſus*: illo quidem, quòd rotarum vi attolli, & traduci neceſſe habet ad rigandum ſolum; hoc verò, quòd ab auſtro fertur in ſeptentrionem, contrario curſu ac cæteri Aſiæ fluvii. Haud dubiè Emeſa ſeu Emiſſa Ptolemæi eſt, quam in orientali parte Orontis ſub eodem collocat parallelo. Subjugârunt hanc Muhammedani paulò poſt expugnatam Damaſcum; nempe anno Higræ 15, eorundem ducum, Abuobeidæ & Chalid. fil. Valid, auſpiciis; qui in editiore clivo ſtruxerunt arcem, quæ imperaret urbi. Territorium proximum ſcorpionibus ſerpentibuſque carere ſcribunt, & antiquum طلسمۃ πλεσμα, *figuræ magicæ genus*, in urbe extare, ex candido lapide ſtructum: cui ſub viri pedibus inſculpta eſſet ſcorpionis effigies: eique impreſſam terram Emeſſenam Orontis aquâ ſubactam valere adverſus venenatos animalium iſtorũ ictus & morſus. Hoc fortè à peculiari terræ & aquæ facultate; cætera à ſuperſtitione addita.

Ibid.

Ibid. دمشق *Damascus.*] *Dimesc* proferunt Arabes; qui ab العازر غلام ابرهم *Eleazer famulo Abrahami* seu procuratore, ut Genes. cap. 15. legitur, conditam & nomine filii nuncupatam tradunt: quod & B. Hieronymus refert: addunt tamen hîc antea consedisse هود (Ebræis עוץ) *Hus*, & locum primò muro cinctum vocasse patris nomine Aram, quod & Iosephus docet. Syriæ totius metropolis est; & nomine regionis, uti & aliis contigit, hodie الشام dicitur: prout contrà ipsa Syria quondã dicebatur Aram. Vrbs autem in planitie sita est, montibus undique circumdata; inter quos prope ab ea قاسيون, *Trachones* forsan Strabonis. In eo celebris extat مغارة الدم *Spelunca sanguinis*; ubi Abelum fratris invidiâ peremptũ vetus est opinio: Item alia, مغارة الجوع *Spelunca famis*; ubi 40 Prophetas ab Israëlitis conclusos & mactatos creditum. Circum urbem jacet regio aëris salubritate, limpidissimis optimisque aquis, & pagorum arciumque multitudine; nec non virore, fructuum florumque copiâ ita amœna, ut absolutè الغوطة *Tempe*, de quo nomine pag. 120 & 121, dici meruerit. Ejus limites diei iter patent ab urbe; & à باب الغربي *Occidentali porta* percurrit vallis milliarib. 3 in latum, 12 in longum, variorum generum arboribus consita; وادي البنفسج *Vallis violarum* vulgo nuncupata. Amnis, qui Chrysorhoas Græcis dictus, ornamenti multum commodique affert: &, ut Strabo inquit libr. XVI. *ab urbe & regione Damascenorum incipiens totus ferè in rivos consumitur: multa quippe loca & profunda irrigat.* Namque fontes ejus orti in Libani seu Hermonii pago قنوا *Canva*, 5 parasangis ab urbe remoto, defluunt

fluunt aliiſque permiſcentur in pago البجة *Beggia*, 3 paraſangis propiore. Tum uno alveo delata aqua in pago, حمرا *Hamara* nomine, dividitur in rivos duos: potior بردي *Barada* incolis, Bardanius Hiſtoriæ Miſc. lib. 18. alter نهر يزيد, quòd à Iezîdo fil. Muaviæ Chalifæ foſſus, pedem montis Caſionis lambens. Prior, ubi ad pagum دمر *Dummar* pervenit, finditur in ramos tres: quorum maximus Barada, nomine totius, præterfluit urbem; alter باناس *Banâs*, Abana 2 Reg. cap. 5. eandem ſecat; & tertius ثورا *Tûra*, boreales ejus campos percurrit. Ex hiſce rigantur horti, campi & prata: & per tubulos in omnes urbis partes aqua deducitur; ita ut nullum templum, nullum collegium, nullum forum, (ſunt autem plurima) quod non jugi donatum lacu: pars reliqua effunditur in بحيرة المرج *lacum Prati*, qui in Orientali urbis agro. Quatuor illos rivos, quos dixi Chryſorhoæ partes, eleganti ad nomina alluſione factâ refert Amádus Spahanenſis, vulgò الكاتب *Scriba* dictus, quòd Syriæ regi Ioſepho Saladino à literis eſſet, in poëmate quodam:

الي باس باناس لي صبوة لهـــا الوجد داع وذكري ينير ،
يزيد اشتياقي وينموا كمـــا يزيد يزيد وثوري يثور ،
ومن بردي برد قلبي المشوق فهـــا ادا من حره استجير ،

Erga Banáſi populum animus mihi vernat; eiq; amor benedicit & laudatio prælucet mea.
Augetur deſiderium creſcitque; ſicut augetur Iezîd, utque Tûra torrentior fluit.
Nam ex Barada refrigerium cordis mei amore flagrantis: Quamobrẽ ego præ calore ejus viciniam & præſidiũ capto.

Romanis eam eripuerunt Muhammedani, anno Higræ

14, menſe Regeb, poſt ſex menſium obſidionem. Principes ſinguli portas obſederant ſingulas. Inter eos quatuor præerant exercitus totius quaternionibus: ex quibus Chalid fil. Validis vi expugnaverat & perruperat portam ſuam, cum Abu Obeida ad ſuam de pactis deditionis ageret. Ab eo tempore magnificis multis operibus urbs amplificata fuit. Inter quæ anno Higræ 87, à Valide fil. Abdelmelc fil. Mervân extructum fuit templum, inter quatuor عجايب الدنيا illius *orbis miracula* quibuſdā habitum: Ea ſunt منارة الاسكندرية *Pharus Alexandriæ*, قنطرة سنجة *Pons Sangiæ*, fluvii in Meſopotamia, كنيسة رها *Templum Christianorum Edeſſæ*, & مجسد دمشق *delubrum ſeu templum Muhammedicum Damaſci*, peculiari nomine جامع بني امية *Synagoga Ommiadum*. Supra decem millia opificum incubuiſſe operi perhibentur, & expenſæ in univerſum æquâſſe ſeptennes regni proventus: profuſio potius quam liberalitas, à ſuis etiam tunc vitio data. Splendorem illum per ſæcula aliquot Damaſcus retinuit: donec anno Higræ 658, medio Gjumadæ prioris, هلاوو *Heláo*, Mangonis regis Tatarorum frater, qui biennio antè Bagdadum incendio vaſtarat, in Syriam incurſione factâ deditam diripuit, magnamque partem diruit; iterumque 155 annis pôſt Tatarus alter Tamerlanes. Deinde à Circaſſiis ſive Mamelucis, Ægypti & Syrię dominis, inſtauratam Othmannicæ dominationi ſubjecit Turcicus Imperator Selîmus: qui Circaſſicum imperium cum vita Toman Begi delevit.

Ibid. صور *Tyrus*.] *Sur* propriè: uti & Ebræis צר, quod hiſce *petram* notat, uti طور Arabibus. Indè Syriæ nomen

men quidam natum volunt: & indè Tyrum Romanis Sarram fuiſſe dictam veriſimile: uti Virgilio Tyrium oſtrum & Sarranum idem eſt. Nam haud minùs vox Serra, quàm Tyrus, convenit cum incolarum voce Sûr. Phœniciæ urbs quondam primaria; uti & vetuſtiſſima, mariſque domina: quippe quæ naturâ & arte munitiſſima. Nam totam fere ambire ſolet mare, exceptâ quartâ velut parte, quam inacceſſam reddebant arces. Chriſtiani Franci anno Salvatoris 1124, Higſræ 518, arctâ & 5 menſium obſidione ad inediam ſimul & deditionem incolas cõpulerunt. Anno deinde 1291 Salvatoris noſtri, Higrę 690, Chriſtianis Francis reliquâ Syriæ parte jam expulſis denuo extorſerunt Muhãmedani: à quo tempore collapſa, & ruinis ſuis involuta, ex magna urbe facta ſolitudo eſt, juxta vaticinia Ezechielis. Latitudinem ejus Iacutus definit grad. $33\frac{2}{3}$. Ad meridiem unâ ab urbe paraſanga etiam hodie fons extat, magnam aquæ, at inſalubrioris, copiam fundens, incolis راس العين dictus: qui per inſignem aquæductum, multis adhuc arcubus ſuperſtitem, ducebatur in urbem. Portus etiam ampliſſimi, intra Tyri muros cincti muro ſuo, rudera etiamnum viſuntur; ut templorum, & ſuperborum operum alia.

Ibid. عكا & عكة *Acca.*] עכו Iud. 1. ℣ſ. 31. Ace & poſt Ptolemais dicta: Strabo libr. 16. *ἡ Πτολεμαΐς ἐστὶ μεγάλη πόλις, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον πρότερον.* Indè belli Sacri ſcriptoribus etiam Accaron & Acra vocatur, Benjamino אקרי; & hodie S. Ioannis de Acra ſeu Acri, nomine templi, quod illi dicatum fuit, cujuſque rudera adhuc in monte

 eminent.

eminent. Hinc & Equestris ordo S. Ioannis Acconensis ortum & nomen habet. Vrbs in arcuati sinus extremitate boreali jacet, parasangarum sex itinere à Tyro: extremitatem alteram, sesqui parasangæ spacio interjecto, occupat mons Carmelus (كرمل *Cirmel* efferunt Syriæ Arabes) hospitio Eliæ sacer, quem Geographi quidam confundunt cum promontorio, quod vulgò nautis *Capo Bianco*, & ipsi genti راس الابيض dicitur. Siquidem hoc inter Tyrum & Accam medio fere est loco, (duabus indè, dimidiâ amplius hinc parasangâ distans) & *Capo Carmel*, راس كرمل, iisdem nautis distinctum notatur. Ad montis hujus Carmeli, radices oppidulum sive castellum, nunc pagi formâ, situm: quod Syriæ Arabes حيفا, Belli Sacri Scriptores aliique Europæi, qui geminati spiritus literam ح efferre nequeunt, Caipham vocant. unde quidam putarunt à Caipha pontifice petitum nomen. A Belli Sacri duce Godefrido occupatum eripuit denuò Saladinus, diruitque. Willermo Tyrio est Porfiria Veterum, nempe, πορφυρέων Stephani. Ceterum quod ad Accam spectat, postquam eam tempore Omaris Arabes occupassent, Ibn Tolon præfectus magno opere & sumptu portum extrui, muroque & catena muniri jussit ad portus Tyrii exemplum. Sed hodie arenis ferè oppletus, uti quoque alter, triremes tantùm & naves minores capit. Expugnavit eam vi Balduinus anno Higræ 497: recepit Saladinus anno 583: & Franci 587. extorsit iterum Saladinus mense Giumáda priore anni 588: deinde anno quarto pòst Giumadæ posterioris die 17 expugnatam vi recuperarunt Franci. Iterumque

que anno 603 ab hiſce deditam occupavit Seifodinus, Saladini Frater: qui tunc imperium tenebat Syriæ & Ægypti. Hiſce iterum anno Higræ 669 eripuit Ægypti & Syriæ rex الملك الظاهر بيبرس البندقداري is nempe, ad quem uſque Hiſtoriam Saracenicam deduxit Almacinus. Denique à Chriſtianis denuo occupatam vi invaſit خليل بن قلاون, Ægypti & Syriæ rex, anno Higræ 690; qui reliquam vaſtavit, Francoſq; Syriâ prorſus exegit. Poſtea oppidulum, quod nunc ſupereſt, quaſi de novo conditum; antiqui ruderibus multis ab Oriente relictis, quæ عكا الخراب *Acca vaſtata* dicitur.

Ibid. طبرية *Tiberias.*] Civitas, antiquo nomine Chenereth, ita appellata in Cæſaris Tiberii honorem, (Syriæ Arabes *Taberría* proferunt) pertinens ad جند الاردن de qua pag. 125. dictum. Aliàs propria magis hujus urbis provincia Syris & Arabibus حوران vocatur, Ezechieli 47 חורן, Ioſepho *αὐρανίτις*, & Tyrio *Auranitis*. Vrbs ad radices montis ſtructa eſt in margine Occidentali lacus, بحيرة طبرية indè cognominati. Hic autem duodecim milliarium Arab. longitudine conſtat, ſex latitudine, circūpoſitos habens complureis pagos, & cives ſalubriore aquâ & piſcium copiâ ſuſtentans. Celebres ſunt regionis illius thermæ, vetuſti & magnifici operis reliquiis inſignes, & inter admiranda prædicat Abu Beker Arienſis inprimis illas, quæ ad ortum pagi, الحسينية vocati, prope antiquum fanum erumpunt fontibus duodecim: utpote quorum ſinguli ad peculiarem conducant morbum. Sed hoc forſan indè eſt, quòd ad

Lin. 7. ارسوف *Orsûf* seu *Arsûf.*] Oppidum quoque Palestinæ maritimum, sylvis pascuisque amœnum, arce olim valida munitum, inter Cæsaream & يافا *Ioppen*, 18 mil. Arabicis indè, 6 hinc dissitũ. Non dubito, quin sit illud, quod Ioppensi conterminum, & olim Antipatrida, suo autem tempore vulgari nuncupatione Arsur dictum scribit Will. Tyrius libro 9: & quoque Arzuffum Martinus Sanutus lib. 2. quodque, ut hi ipsi atque alii testantur, tentatam à Godefrido obsidionem sustinuerat; sed postea Balduini armis succubuit. Hoc eandem ferè dominorum mutationem passum cum vicina Cæsarea similia habuit excidii fata.

Ibid. بيت المقدس *Hierosolyma.*] Ad verbum *Ædes Sanctificati*, seu *Sanctuarii.* Duobus enim modis vocales notantur; nempe اَلْمَقْدِسِ & اَلْمُقَدَّسِ: quorũ posterius idem est cum Ebræo הַמִּקְדָּשׁ. Sæpè etiam بيت القدس, & simpliciter القدس dicitur: sed gentile nomẽ frequentius à duobus primis sumitur المقدسي. Nonnunquam & ايليا vocatur: nimirum Ælia, ab Imperatore Ælio Hadriano: qui rebellantibus Iudæis infestus, ut cum urbe deleret nomen, novam pro excisa conditam ita appellari jussit & Gentilium dicavit Idololatriæ. Sacro Dei cultui restituit Constantinus Magnus, & præclaris multis operibus ornavit. Inter quæ maxime eluxit sepulchri Messiæ sive Resurrectionis templum; monte Golgothâ mœnibus incluso. Imperatoris hujus exemplũ quasi æmulari sibi visus fuit Imperator Omar, cum anno Higræ 15 urbe captâ, & cæteris templis incolarum po-

testati

testati relictis, novum in monte Moriah, ubi quondam extitisset Solomonis, extruxit suis: ascito Sacello, quod in australiore montis parte neglectum & sordibus impeditũ reperisset: sive templi Iovis Capitolini residuum, sive Iudaïci forsan operis, Iuliani tempore tentati, rudimentum. Quod quidem, uti & novum; seu potius totum antiqui Sacri fundum المسجد الاقصي *Templum Extremum* Arabes dixerunt: vel quòd à suo, nempe Meccano, longius abesset; vel quòd altissimo emineret situ; quem & ipsi tribuebant urbi. Quin immo hanc ipsam nomen المسجد الاقصي subinde designat; uti Meccanam urbem المسجد الحرام, templi aliàs proprium nomen. Solentque duo hæc, velut primaria, invicem opponi; Arabibus vocari solita القبلتان, id est, *Sacraria duo, ad quæ oraturi vultum convertunt*: illud quidem قبلة موسي quò respicerent Iudæi; hoc قبلة محمد, quò Arabes. Sed & ad illud preces intendit Muhammed, cum profugus infestam sibi haberet Meccam. Templum ab Omare conditum magnificè illustravit, multisque & eximiis operibus auxit (eâ fere, quæ nunc forma visitur & à Will. Tyrio utcunque describitur lib. 8 cap. 1.) Chalifa Abdelmelc Ibn Mervân, de quo Hist. Sarac. lib. 1. cap. 12. cujusque filius Valid simile opus condidit Da-Damasci, cujus pag. 130. mention ẽfecimus. Anno Higræ 66 pater incepit, 73 absolvit; impenso annuatim, ut regionis illius Annales habent, universo Ægypti reditu. Hoc enim agebat, ut populum à Meccana solennitate ad hanc pelliceret, atque ab Isaac Ibn Zubeir, qui subrepto Ommiadis Chalifatu, ut Hist. Sar. lib. 1. cap. 10. videre licet, Assyriam & Arabiam teneb.t, facilius averteret.

teret. Deinde templum hoc à Chalifis, tum Abbaſidis, quorum tempore magnam partem terræmotu corruerat; tum Fatimidis, qui contra illos Chalifatum erexerant in Africa & Ægypto; nec non variis Syriæ regibus, Atabegis, Ajobitis, Turcomannis, Circaſſiis, multifariam inſtauratum fuit: ſed emicante paſſim Mervanici operis ſplendore & elegantia. Totus autem locus ſacer, المسجد الاقصي dictus, muro cingitur longitudinem habente ſeptentrionem inter & auſtrum cubitorum *660*, latitudinem verò *406*; & compluria ſacella, oratoria, auditoriaque complectitur. At præ cæteris excellit قبة الصخرة *fornicatum Petræ Fanum*; in media area, quæ ſeptem ſupra reliquam cubitis aſſurgit, ſtructum octangulari forma. Ibi enim petra venerabundis viſitur, cancellato dirempta ſepto: ad quam preces fundere, & in magnis rebus jurare ſolennis mos eſt. In hac percuſſorem populi à Davide dinumerati angelum conſediſſe; & poſtea ab eodem Davide facti pœnitentiam agente altare Domino erectum, uti Sam. lib. 2, cap. 24. legitur, Tyrius aliique Belli ſacri ſcriptores arbitrantur. Quam etiam ſententiam Muhammedani tenent. Chriſtiani verò Orientis, ut ex Almacino conſtat, pro eo lapide celebrant, qui à Iacobo Patriarcha unctus & juxta votum ejus, de quo Geneſ. 28. ℣ſ. 22. in Sacrarium Dei aſſumptus fuerit. Quem tamen Iudæi à petra tamen, de qua agimus, diverſum faciunt. Siquidẽ hunc quidem ceſſiſſe volunt in Templi altare; illam verò in ejus Adyto fuiſſe coram Arca, à Deo creatam in mundi fundamentum: unde & אבן השתיה indigitarunt. Hęc quoque, ab illis procul dubio accepta, credũt Muhammedani. Erroris cauſam feliciter eruiſſe mihi viſus eſt eruditiſſimus vir Conſtantinus L'Empereur: hanc

s nempe,

nempe, quod cum Dei cultum mundi fundamentũ, i. e. fundamentalem ſcopum dixiſſent antiqui, & expiationis ſacra poſt ſublatam Arcam coram iſto lapide fierent, poſteriores verba illa antiquorum propriè & ſimpliciter acceperunt. De eadem illa petra, & ſacro ritu, quo Iudæi poſt Templi vaſtationem eam ſolenniter venerati fuerunt, ut quæ ab omni excidio ſervata eſſet, vide Itinerarium Burdigalenſe; quod ante Iuliani tempora ſcriptum, & à P. Pithœo editum. Ceterum Templum hoc ab Omare inſtauratum Muhammedani proprium ſibi & ſacrum habent: ita quidem ut omnibus illorũ ſectis, nempe الحنفية & الحنابلة, الشافعية, المالكية, quarum Leo Africanus meminit lib. 8, ibi ſacra peragere liceat, ſuo cuique ordine, loco ac more: Chriſtianis autem vel adire nefas ſit. Ingredientes ſinguli dicunt communi formula, اللهم اغفر لي ذنوبي وافتح لي باب رحمتك *Summe Deus condona mihi peccata mea, & aperi portam miſericordiæ tuæ.* Chriſtianorum vero templa inprimis duo & ipſi reverenter frequentant; nempe Aſcenſionis, & ſepulchri Beatæ Virginis, quod الكنيسة الجسمانية vocant. At primarium, nempe بيعة القيامة *Templum Reſurrectionis*, impiè deſpicantur; ut qui Chriſti mortem abnegant, unicum æternæ mortis piaculum: & كنيسة القمامة à *verſis ſordibus* nuncupant. vel proboſè ita mutantes nomen القيامة; vel quod olim urbis ſordes illuc comportari ſolerent: niſi quis nomen hoc deductum velit à قمة *Kimma*, quod *capitis verticem* notat; prout ipſe mons Gogoltha i. e. Calvariæ dicebatur. Templum hoc anno Higſræ 398 Almanſor Hakim Billa Chalifa Fatimides

&

& Ægypti dominus, diripi ac dirui juſſit; puniendam fallaciam obtendens, qua populum circumveniri accepiſſet. Siquidem perſuaſi vigilia Paſchatis (سبت النور *Sabbathum Lucis* inde appellarunt) cœlitus flammam deſcendere in adytum Sepulchri, eò confluere undiq; ſolerent, uti etiam hodie fit, quo ſinguli ejus participes fierent: cum tamen naturale & humana arte lumen hoc excitatum eſſet. Sed ab ejuſdem Kakimi nepote, Chalifa Muſtanſir Billa, Romanorum Imperator obtinuit promiſſa 5000 captivorum libertate, ut Chriſtiani Templum reædificare poſſent. Vrbem ab Omari tempore Chriſtianæ Eccleſiæ hoſtibus ſubditam forti animo expugnavit belli Sacri dux Godefridus, anno Servatoris noſtri 1099, die 15 Iulii; & ſecundum Saracenicos Scriptores anno Higſræ 492, die 25 Xabani. In Muhammedici imperii deditionem anno Higſræ 583 die 25 Regeb iterum redegit Ioſephus Saladinus, gente Aſſyrius, tredecim annis poſt quam invaſiſſet Ægypti & Damaſci regnum. Cumque Romanorum imperator novas in Syriam copias duceret, ſumma ille cum diligentia urbem foſſis, muriſque & turribus munivit. Sed quæ ejuſdem ex fratre Seifodino nepos Iſa, regni Damaſceni princeps, anno 616 demolitus fuit: veritus ne Franci, qui Damiatam tenebant, aut etiam frater Muhammed, Ægypti dominus, firmum adeò præſidium, quod ſe tueri poſſe diffidebat, occuparent in majorem ſui perniciem. Mortuo Iſæ ſucceſſit filius David: quem ut patruus Muhammed facilius expelleret, pactus cum Francis inducias anno 626 Hieroſolymam eorum poteſtati conceſſit: ſed eâ lege ut relinqueretur, qualis eſſet, munimentis nuda, retento à

Saracenis Templo. Eam David, regno ejectus, occupavit anno 637, & arcem, quam intereaFranci extruxerant, ſolo æquavit. Cum patruele autem Ajobo, Muhammedis filio, in gratiam rediit, firmavitq; fœdus, ut huic Ægyptus, ſibi cederet Damaſcus. Sed novis diſſidiis odiiſq; natis, anno Higſrę 641 Francis, quos contra Ajobum ſocios imploraverat, Hieroſolymam reddit. Sed quā cum aliis urbibus ſequēte anno Ajobus eripuit ſubjecitq; ſibi. Et ab eo tempore terreſtris Ieruſalē Infidelium jugo ſubjecta manſit: fati viciſſitudine ſui & calamitate monens de cœleſti inprimis eſſe cogitandū.

Ibid. الرملة *Rama.*] Potius Ramla; uti & Belli Sacri ſcriptoribus Ramula dicitur. Neque enim communi errore hic intelligenda eſt Rama illa, quæ natalibus, domo & tumulo Samuelis, nec non vaticinio Ieremiæ clara; quæq; رامة Syriæ Arabibus, & راما æque ac Iudæis ſcribitur, & paulò ſupra عمواس *Emaus* collocatur; ubi etiam nunc ſepulchri Samuelis locum religioſe viſunt. Et ſane, quæ Sacræ Literæ de Rama referunt, non potuerunt locum habere in mediis Philiſtæis. Eſt autem Ramla ſub medio Paleſtinæ parallelo ſita in fertilis ſoli amœna planicie, diei itinere ab Hieroſolymis, dimidio quaſi à Ioppe. Totus ager, كورة الرملة dictus, multis olim pagis & villis habitatus fuit. Confinia quædā arenoſa ſunt, qualis & urbis locus fuiſſe traditur: atque inde fortè impoſitum ipſi nomen. Vrbē eſſe novam referunt Arabum annales, ſtructamq; à Solimano, filio Abdalmelc Mervanidæ templi Hieroſolymitani conditoris: qui acceptâ à fratre Chalifa Valide Paleſtinæ pręfecturâ ibi primum palatium condidit,

didit; deinde templum, aquæductus aliaque adjecit. Per ſubſequentes poſtea Chalifas multorum operum facta acceſſione egregia excrevit urbs, muris cincta, portis duodecim aditum præbens, & caſtello munita. Sed anno Higſræ 425 terræmotu, qui octiduum duraſſe fertur, concidit pars tertia, & 35 annis pòſt fere omnis reliqua. Deinde reædificata quidem: at Belli Sacri caſibus obnoxia, poſtquam è Francorum poteſtate, in qua ad centeſimum annum fuerat, ad Arabes rediiſſet, ne præſidio illis iterũ eſſet poſſet, dejectis mœnibus majorem partem vaſtata fuit. Tribus hinc paſſuum millibus, على شوط فرس *ad curriculum equi*, inquit Abulfeda, Corũ verſus abeſt لد *Luddo*, Lydda ſive Dioſpolis; quæ & رملة لد, & ſubinde رملة abſolutè dicitur, D. Georgii martyrio & tumulo celebris: ſed à Saladino prorſus diruta.

Ibid. (عسقلون *Aſcalone.*] Littorale Paleſtinæ oppidum, 18 milliaribus à Ramla diſtans: è validiſſimis olim Syriæ præſidiis unum, quod incolarum fortuna, ac peregrinorum commercio ita floruit, ut عروش الشام quod nomen & Damaſco datum, *Syriæ Sponſa* appellari meruerit. At bello Francico ſplendorem, ſi quem retinuerat, amiſit. Ceperunt Franci 27 Giumadæ poſterioris anno Epochæ Muhammedicæ 548: iterum ſubegit Ioſephus Saladinus anno 583. Sed quadriennio pòſt, cùm Chriſtiani novis copiis aucti potitique Acca ad expugnandam Aſcalonam tenderent, nec ille propugnare poſſet, muros cum cæteris munimentis dirui juſſit. Poſtea ejus pronepotum alter David anno 641 Francis reddidit, alter Ajobus anno 645

rurſus eripuit;eodem modo, ut de Tyberiade diximus.

Ibidem. غزة *Gaza*.] Duplicatâ literâ ز juxta Arabes, uti & Ebræos. Hi autem per ע ſcribunt; ſed quæ ſubinde, ut in hac & aliis vocibus LXX Interpretum verſio indicium facit, velut Arabum غ expreſſa fuit. Neque verò id factum videtur ad imitandum literæ ע aſpiratum ſonum; quoniam non ubique factum fuit: neque ab Arabibus propterea fieri neceſſe fuit. Quicquid ſit, ſi genuinum nomen urbis per verum Ain prolatum fuit, *Potens* & *Valida* notabitur. Si per Gain, haud improbabile fuerit, quod libro I. ſcribit Mela: propterea ita vocatam fuiſſe, quod in ea Cambyſi conditus theſaurus, Perſis Gaza dici ſolitus. Extremum hoc eſt Paleſtinæ oppidum, Ægyptoque proximum, tribus ab Aſcalone paraſangis declinans ad auſtrum, & cumulis quibuſdam arenaceis à Mari diviſum. Antiquum actis cuniculis ſubvertit Alexander Magnus: quod multo tempore poſt dirutum & quaſi deſertum manſit; donec reædificaret Conſtantinus Magnus. Quod Arabica attinet, mortuus hîc & ſepultus fuit هاشم بن مناف proavus Muhammedis: captus Omar Chattábi filius ante Muhammedici regni auſpicia, Gazæos inter & Higiazæ Arabes flagrante bello. Hîc quoque natus محمد بن ادريس الشافعي celeberrimæ ſectæ Xaphianæ autor. Vrbem à Francis ſubactam recuperarunt Saraceni Ægyptii anno Higſræ 552: muroſque ejus, ut de vicina Aſcalone dictum, diruit Saladinus: reſtauratos à ſe Franci paulo poſt ex induciarum pacto iterum dejecerunt. Ejuſque belli caſibus quaſſata urbs ipſa & paulatim collapſa fuit.

Ibidem.

Ibidem. مدين *Medjan* ſive *Midjan*.] Antiqui nominis oppidum in maris Rubri littore, ſub 29. grad. latitudine; ad ortum brumalem deflectens à montis Sinæ extremitate: ubi ferè ſita Ptolemæi Modiana, haud dubiè eadem cum Midjan. A Geographorum Orientalium quibuſdam ad Ægyptum refertur; à pleriſq; omnibus ad Higiazam: quod merito & rectè factum. Nullus enim eſt, qui Arabibus non annumeret Madianitas; & Sinam, quæ Madjane borealior, montem Arabiæ facit D. Paulus Gal. 4. Midjan autem fuit Abrahami ex Kethura filius: unde tribus illa & ab hac urbs nomen habent. Quam quidem tribum coaluiſſe, ſedibus ut puto & affinitate, in unam cum Iſmaëlitis, innuere videntur Geneſeos verba. Nam conſpirantibus in Ioſephi exitium fratribus dicuntur ſuperveniſſe Iſmaëlitæ; tranſiviſſe Midjanitę; ipſe vẽditus ab Iſmaëlitis; denuoque Potiphari venditus in Ægypto à Midjanitis; & initio cap. 29. dicitur eum emiſſe Potiphar ab Iſmaëlitis. Ceterum urbem Midjan Arabes pro ea habent, quæ in Corano vocatur مدينة قوم شعيب: Xaîb enim illis idem eſt, qui Iethro dicitur Exod. 3. cujus filiam Sipporam Moſes uxorẽ duxit, cum ex Ægypto profugiſſet in terram Midjan; ubi Iethro princeps erat & Sacerdos. Autonomoſia illa Arabibus familiaris. Ita Hanoch ادريس appellatus, Abraham الخليل, Rex Saul طالوت, &c. licet eorundem propria etiam uſurpentur nomina. Et in ipſis Sacris Libris non uno nomine hic Iethro deſignatur. Loci illius puteum Scriptores memorant fano circum extructo Arabibus ſacrum, perſuaſis Moſem ibi Sipporam & ſorores à paſtorum injuriis vindicaſſe; prout Exod. cap. 2. res deſcribitur. Sed

primis

primis Muhammedici regni bellis universa fere, quæ tunc extabat, urbs vastata fuit.

Ibid. القلزم *Colzuma.*] Oppidulum in littore Ægypti, commune olim hujus & Syriæ præsidium. Quod haud aliud videtur esse, quam Clysma Ptolemæi: uti & situs utriusque, & vocis, & significationis, cujus pag. 88. memini, convenientia arguit. Hinc mare Rubrum بحر القلزم dictum; peculiariter quidem infima hac sui parte; sed quoque universum: quo etiam modo بحر اليمن & بحر الحجاز dici solet. In geminum illic terminatur sinum; occidentalem Colzumâ insignem, Orientalem Elanâ: excurritque inter ambas angustior continentis pars linguæ figurâ; nempe الطور Arabibus dicta, Ptolemæo promontorium Pharan. Colzumæ adjacent montes, Herculei lapidis venâ celebres. Ab ejus autem portu in oppositum Elanæ littus transitus vorticibus difficilis, & insurgente vento periculi plenus; inprimis prope insulam تاران nomine. Quæ cum aquæ dulcis & frumenti inopiâ laboret; grata tamen Arabibus, sed vilioris tribus, بني جدان *Giuddánis* sedes habita. De iis proditum, quod interrogati quid miseros ibi retineret, cum utrinq; paterent Orbis deliciæ, haud aliud respondere consuessent, quàm البطن البطن, dialecto suâ pro الوطن الوطن, *Patria Patria.* Colzumæ cum staret portu, cui postea successit Sues, ad Arabiæ commercia utebatur Misra, seu Babylon & tota inferior Ægyptus: quemadmodum Cusa & Ægyptus reliqua portu Coseir, de quo pag. 102. diximus, quemque eundem esse arbitror cum Berenice. Nam cum ad hunc à Copto esse iter scribit Plinius lib. 6. c. 29. non aliud

aliud innuere videtur quam quod Abulfeda inquit: القصير فرضة قوص وميناء على البحر, *Kosair castellum Cusæ est & portus Maris* rubri. Cusa autem vicina oppido قفط Copto dicta est pag. 101. quippe quæ, Jacuto & Abulfeda testibus, vix una ab eo parasanga distat. Et Berenicen portu præditam esse idem Plinius supra tradiderat cap. 23. Quia tamen hoc ipsum Strabo diserte negat lib. 17, & propinqua Muris statio, sive Veneris statio, uti quoque vocata fuit, omnem citra dubitationem amplo commodoque portu gaudet, ex quo Arabicæ & Indicæ merces recta Coptum deferri camelis solebant, utique hæc ipsa Bernices loco sumi queat, quæ cum Arabum Kosair quam optime convenire statuatur. Ceterum Geographis Arabicis etiam tertius describitur portus, nomine عيذاب *Aidab*, Tyrio *Aideb*, cujus antea pag. 100. memini, eundem plane situm habens, quem Dioscoron portui tribuit Ptolemæus; utpote è directo oppositus Giuddæ, in Arabiæ littore portui Meccæ. Atque ita tres sunt illis scriptoribus celebriores portus vel stationes, Colzuma, Cosair & Aidâb, quæ à tribus Ægypti partibus, infima, media vel suprema adiri consueverint.

Lin. 8. الفرما *Pharma.*] Belli sacri historicis Faramia, Coptisque βαρεμών. Oppidum Ægypti in arenoso Maris mediterranei littore: unde ad interiorem sinus Arabici recessum brevissimus est isthmus, cujus mensuram diximus pag. 74. Eum quidem perfodere decreverat Amrus Aláfi filius, Ægypti victor, uti ex Ibn Saïd refert Abulfeda: sed prohibuit Chalifa, nolens è Mediterraneo mari ad Arabiam Christianis aperiri viam. quasi opus illud tam facile confici potuisset. Pharma sabulis interjectis proximè abest à Pelusio, ad primum Nili

ostium sito: unde isthmi illius angustiam numerarunt Græci. Pelusium autem forte idem est, quod Arabes طينة dixerunt, visi hoc nomine ipsum nomen Pelusii expressisse. Hoc enim ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, id est *limo*, petitum autor est Strabo lib. 17. Tina vero illa, nunc oppidulum, sita est inter Pharma & تنيس Tanis, prout Iacutus tradit. Quo minus autem بلبيس *Bilbis*, & vulgo *Bilbeis*, Coptis ψέλβης dicta, pro Pelusio sit habenda, ut cum aliis vult Willermus Tyrius, hoc obstare videtur; quod plus quam quatuor parasangis à mari distet; cum Pelusium hinc, teste Strabone, absit modo stadiis viginti. Et Abulfeda aliique omnes, quos vidi, eandem Bilbeis locant in arenoso tractu extra Nili ripam, ita tamen ut ad ipsum inde pertingat rivus seu fossa, quæ exundante Nilo impleri solet, & implere vicinas oppido piscinas. Ideoque si Bilbeis antiqua est urbs, ita ut ipsa ejus, quæ nunc superest, facies satis arguit, potius dicenda videatur Bubastus illa Agria, id est, campestris, cujus meminit Josephus Antiq. lib. 13. Neque ab eodem Pelusio forsan diversum est סין: quod nomen Chaldaicè quoque *lutum* denotat, & veluti apud Ezech. xxx. 15. Sin dicitur מעז מצרים *robur ac munimentum Ægypti:* ita & apud Suidam *πηλήσιον κλεὶς τῆς αἰγύπτου.* Inde quoque conterminum desertum Sin, & forte alterum quoque deserti extremum, montem Sinai, nuncupatum quis dixerit: nisi forte & deserti illius & montis nomen à סיני filio Canaan arcessere malit. Hisce quidem de vicino Pelusio obiter dictis, redeo ad Pharmam. In opere historico, quod مرآة الزمان *Speculum temporis* inscribitur, Alexandriam & Pharmam, in utraque Ægypti extremitate urbes, conditas fuisse traditur في زمان واحد من اخوين وسمي باسمهما *eodem tempore, à fratribus duobus,*

bus, & eorundem nominibus insignitas. Ubi, quod quidem ad Pharmam spectat, intelligi arbitror Parmenionem: siquidem Arabes per خل *amicum* quoque *& familiarem* designant; & peregrina nomina propria curtare, ac literam p per ف efferre solent. Quod tamen cum neque in Græcis, neque Latinis autoribus, qui de rebus Alexandri diligenter commentati fuerunt, ullibi, quod sciam, occurrat, minus apud me fidem meretur. Si quis autem Ægyptiarum esse nomen malit, ex Pharmuthi vel Pharmutosi contractum dixerit. Antiquam saltem fuisse urbem Ibn Haukel aliique doctiores scribunt; & in ea extitisse suo ævo Galeni sepulchrum; qui ex Ægypto per Syriam redire in patriam cupiens ibidem obiisset diem. Ægyptiis Pharmam eripuit, eamque primam, Amrus fil. Alási anno Higsræ 18. Saracenis rex Balduinus anno Christi 1117. ubi cum à Niloticorum piscium prandio morbus, quo antè Balduinus laboraverat, recrudesceret, reditu militibus imperato in Syriam se deferri jussit: cumque prope العريش *Larissam* venisset, urbem Ægypto & Palæstinæ confinem, extremum clausit diem. Post ea tempora corruit Pharma, & arenis paulatim obruta vix sui vestigium reliquit. Soli hujus palmæ, quarum natura arenis gaudet, tanta prædicantur fœcunditate, & excellentia, ut ante alias fructum ferant, nec ferre desinant subnascente novo, eumque magnitudine alia genera superantem.

تنيس *Tanis.*] *Tinnis* proferunt Arabes: uti & incolas θέννιζας æque ac τάνιζας vocat Syncellus. In belli sacri commentariis Tampnis dicitur, antiquissima Willermo Tyrio civitas. Est autem Tanis infimæ Ægypti urbs, & insula in medio cognominis lacus, qui بحيرة تنيس appellatur, & ortum inter atque occasum cursus unius spatio

in longum protenditur, dimidii in latum. Sed quoniam cum duobus Nili brachiis ſive oſtiis, (altero quidem Peluſiaco, ut puto, quod قرباج, belli ſacri hiſtoricis *Carabrix* & *Carabes* dicitur; altero autem Tanitico, ſupra quod magnum eſſe lacum & Strabo refert lib. 17.) conjungitur mari ſalſo, aquæ dulcedinem amittit. Niſi forte auſtraliores venti aut intumeſcens fluvius prohibeat miſceri. Urbem conditricis reginæ nomine ita vocatam Jacutus ex annalibus Taniticis prodit, & ab ejuſdem filiis communiendo regno lacum hunc arte excitatum fuiſſe. Cum inſulam anno Higſræ 20 invaſiſſent Saraceni, arundinoſam potius vallem, quam urbem ruinæ Tanis ſuperſtites referebant: unde ذات الاحضاض *Depreſſa* nuncupata fuit uſque Califarum Ommiadum tempus: quando reſtauratis antiquis ædificiis, ſtructiſque novis priſtinum recepit nomen. Tempore autem Abbaſidum, anno nempe 230, Ægypti præfecturam gerente Iſa Ibn Manſor, muro circumdata fuit. Sed annis vix trecentis inde elapſis, paulatim in priorem recidit deſolationis formam. Alia tamen tum oppida, tum pagi in eadem inſula, aliæque in eodem lacu inſulæ extant; de quibus Geogr. Nub. part. 3. Clim. 3. Qui quidem tractus univerſus rarioribus avium piſciumque generibus abundat: illarum plura quam triginta, horum ſupra ſeptuaginta ſuis nominibus recenſet chronici Tanitici autor.

دمياط *Damiâta.*] Arabes *Dimjât* pronunciant. Urbis antiquæ nomen: quæ videtur eſſe ταμίαθις Stephani; nec non θμοῦς Ptolemæi, & ipſa, cujus jam ante memini, תחפנחס. *Tampnis* Ezechielis, nomina ſimili quodam modo pronunciari apta, apud diverſas imprimis gentes & ſeculis diverſis, licet Scriptura varient; nec abludentia

tia à θαμφθὶς, nomine regis Ægyptii ex quarta juxta Syncellum dynastia. Cumque hujus & vicinæ Tanis regio pascuis, in Ægypto aliàs raris, læta vireat, merito pro terra Gosen aut ejus saltem parte censeri potest. Etsi ea ad Bilbeis, Mari rubro propinquiorem, de qua ante dictum, referat Macrizius, diligens rerum Ægyptiarum scriptor: attamen opinioni eidem hoc magnopere obest, quod arenosa hæc terra est, non nisi exundante Nilo, aut ex piscinis irrigua; ac proinde rei pecuariæ minus idonea. Urbs vero hæc Damiata sesqui diei itinere occasum æstivum versus à Tani dissidet in orientali ripa Niliaci rami: qui sesqui leuca inferius commiscetur mari. Locum illum peculiari nomine اسطوم vocant: hoc est, uti arbitror, στόμα, & quidem Μενδήσιον Ptolemæi, vel Παθμητικὸν forte: nam pro septem Nili ostiis, quondam adeo celebratis, tantum quatuor diligenti se investigatione deprehendere potuisse supra dictus Tyrius testatur lib. XIX. Toto quidem Oriente clara fuit Damiata, uti quoque vicina Tanis, singulari arte & mercatu byssinæ telæ, quam القصب vocant. Anno Muhammedicæ æræ 238, urbem à Græcis direptam novo & validiori muro, ad amnem duplici, ad continentem triplici, communiri jussit Chalifa Abbasides Mutevackil. Atque ab eo tempore Damiata evasit primarium Ægypti præsidium. Quare ut hac potiri possent, illam inprimis impetiverunt Franci. Anno Christi 1169 obsedit Almericus, rex Hierosolymitanus: sed per imbres & commeatus penuriam coactus referre pedem. Decennio fere post totos sedecim menses obsessam, anno Higfræ 616, die Xabâni 25, ut Almacinus scribit posteriori Hist. Sar. parte nondum edita, vi expugnarunt ejusdem militiæ Christianæ duces. Nam licet oppidani

peſte & inedia confecti ad paucos rediiſſent, quia tamen prope aderat rex Muhammed, Saladini ex fratre nepos, liberandæ urbis gratia nullam non fortunam tentans, & ipſis viſum fuit extremam experiri. Multum illis præſidii in turri erat, ante urbem valide munita, quæ tranſverſa catena Nilum claudens, unde & برج السلسلة dicta, aditum ad urbem prohibebat. Quem obicem poſt irritos aliorum conatus, navali opere & magno animo perrupiſſe Batavos tradit inter alios Torſellus: quos quidem ſeculi illius more Friſones & Teutonicos vocat Oliverius Colonienſis, qui ipſe ſpectator fuit. Atque inde Harlemenſes, vicinæ urbis noſtræ cives, ſua ſibi vindicant inſignia, quæ habent: ſcilicet argenteum in rubro cãpo enſem, cum impoſita mucroni cruce, & binis utrinque appoſitis ſtellis; ſacræ illius victoriæ fuſione ſanguinis reportatæ, & æternæ laudis, vel (prout Harlemenſium doctiſſimus & accuratus Batavicarum antiquitatum ſcrutator, Petrus Scriverius exponit) quater petiti Orientis, geſtique belli ſacri, ſymbola. Tum reliquæ metuens Ægypto idem Saracenorum rex, ad fluvii Damiatici & Tanitici diverticulum novam contra Francos extruxit ac munivit urbem; quam propterea المنصورة *Manſoram* dixit. Et imploratis recuperandæ Damiatæ fratrum auxiliis terra marique omnia molitus fuit: donec anno Higſræ 618, exundante ſupra modum conſuetum Nilo, per urbis المحلة *Mehalla* (*Maheleth* Tyrio lib. XIX.) alveum, navigationi alias minime idoneum, prope Damiatam perducta claſſe neceſſariarum rerum ſubvectionem impediret. Cum autem Franci è vicinis caſtris, quo præcipuas vires eduxerant, ſe in urbem recipere pararent, nocte, quæ beato Joanni Baptiſtæ ſacra, immiſſis per aggerum inciſuras Nili aquis ſublatiſque pon-

pontibus intercepti, vitam urbe redimere necesse habuerunt. Eandem postea iterum subjugavit Gallorum rex Ludovicus IX. qui in Arabum annalibus ريدافرنس indigitatur, depravato, ut puto, Latino nomine *Signatus cruce.* Parta hæc victoria fuit anno Higíræ 647. tertio die post vicesimum mensis Sepher, eoque Dominico, ut Almacinus refert. Sed cum biennio fere post mortuo Ægypti rege, Ajobo Muhammedis filio, anno Ajobitarum octavo, ulterius proferre arma institueret Ludovicus rex, & Almansoræ, de qua diximus, jam quasi victor immineret, ex Syria in Ægyptum venit Ajobi illius filius, Torinxà, qui patri in regnum successerat. Cujus præsentia confirmati Saraceni, junctis viribus irruerunt in Christianos, eosque, cum Damiatam redire vellent, aquosis locis impeditos gravissima affecerunt clade. Supra decem millia cæsos, multoque plures captos narrat Almacinus. Inter quos Rex ipse cum fratre erat. Hi quidem Mansoræ in Fachro'ddîni fil. Locmanni ædibus custodia asservati; cæteri autem trecentenis quavis nocte in Nilum conjectis, aliisque modis potiorem partem interempti fuerunt. Quamobrem pro lutro Regis inter alia etiam Damiatam hostes receperunt. Et ne Franci, quorum animos valido huic præsidio intentos norant, denuo occuparent, eo vastato aliud in propinquo oppidum condiderunt, quod à novitate المنشية *Manxîam* vocarunt; ipso quoq; Damiatæ nomine, uti & hodie, insignitum ac celebratum: quod Abulfeda diserte docet.

Lin. 9. فسطاط مصر *Fustâta Ægypti.*] litera ف damma habet vel Kesra; & prioris ط loco scribitur quoque ت, quin nonnunquam prior illa omittitur, in ejus vicem س duplicata per Tesdid. Valet autem hæc vox *tabernaculum, vicum, urbem.* A tabernaculo Amri f. Aláſi hanc Ægypti

gypti metropolim ita nominatam tradunt plerique omnes, & causam exponit Geogr. Nub. Clim. 3. cap. 3. & Almacinus Hist. Sar. lib. 1. cap. 3. Secundum quosdam tamen فسطاط مصر idem est quod مدينة مصر: sic in Tabulis Ibn Xatir occurrit فسطاط اسنا, quod apud alios est اسنا, de qua pag. 103. Et hinc الفسطاط subinde ἁπλῶς dicitur; ut المدينة pro مدينة النبي, de qua pag. 98. Arabibus autem مصر idem est quod Ebræis מצרים: & tum regionem Ægypti universam, tum regiam ejus & metropolim notat. Et quæ Ptolemæo Ægyptus inferior, & quibusdam absolutè Ægyptus vocatur, illis peculiariter ديار مصر dicitur; licet & contrà hoc nomen subinde notet Ægyptum totam. Ægyptus autem superior ab ascensu seu altitudine الصعيد appellatur. Quod vero ad Fustatam urbem attinet, Abulfeda de منف Memphi agens ita scribit: وهي مصر القديمة وهي من غربي النيل ولما فتحها عمرو بن العاصي وخربها وبني الفسطاط من البر الاخر بامر عمر بن الخطاب *Ipsa antiqua est Misra* (seu *Ægypti metropolis*) *in occidentali ripa Nili: quam cum Amrus Aláſi filius subactam vastasset, in opposita continente extruxit Fustatam, Omaris f. Chattâbi jussu.* Nempe quod ulterior hæc Ægypti regio, sinum Arabicum & Nilum interjacens, Arabibus longe opportunior esset ad Arabiam, Ægyptum, Syriam, ipsamque Ægyptum mutuis ipsarum viribus continendas. Extabat ibidem in clivo قصر من بناء الاوايل *antiqui operis arx* seu *castellum*, uti Abulfeda, Jacutus, aliique scribunt, quam peculiari nomine قصر الشمع *Arcem cereorum* dixerunt: ex eo, ut conjicio, quod ibi بيت النار πυρεῖον esset, magicæ seu Babylonicæ religionis fanum; cujus meminit Jacutus. Qui hoc addit, suo tempore vocatum fuisse قبة الدخان *delubrum fumi* vel *fumosum*: & alibi ipsum illud

lud caſtellum nomine بابيلبون Babylonis adhuc fuiſſe celebratum; pro quo Oſjotus, Chronici Ægyptiaci autor, aliique باب البون ſcribunt. Patricides, qui Fuſtatæ natus & Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarcha fuit, in Eccleſiaſtica hiſtoria, ubi agit de Ægypto à Muhammedanis capta, non niſi abſolute الحصن *Caſtellum* ſeu *munimentum* vocat: quaſi hoc præcipuum fuerit. & Φρȣ́ριον Strabo appellat lib. 17. ubi quæ ille de caſtello Babylone refert; quod ex Heliopolitana regione ſurſum naviganti proximum, quod à Babyloniis conditum & incultum; quod de potioribus Ægypti præſidiis unum; quod ab eo ad Nilum deſcendat jugum quoddam, ex quo manifeſte appareant Memphiticæ pyramides: ea omnia quam optime quadrant in arcem, de qua agimus. Præterea eandem Babyloni latitudinem tribuit Ptolemæus, quam Fuſtatæ Ægyptii poſteriores. Unde & horum temporum ſcriptoribus Græcis, velut Nicephoro Gregoræ ſimilibuſque Cáhira (quod tunc Fuſtatæ nomen erat) Ægyptia Babylon paſſim vocata fuit. Tum etiam amnis Trajanus, qui per Babylona fluebat, ut expreſſis verbis ſcribit Ptolemæus, idem eſt cum eo, qui خليج امير المومنين *amnis Imperatoris Fidelium* dictus, & percurrit latus Fuſtatæ. Hunc quippe Imperator Omar duci, ſeu potius arenis oppletum, ut inquit عبد الحاكم in فتوح مصر *Ægypti expugnatæ hiſtoria*, expediri juſſit, quo inedia afflictis Meccæ & Medinæ commeatus ſubveheretur. de eo المقريزي في خطط مصر *Macrizius in commentariis Ægypti* inter cætera ſcribit: وكان اسم الذي حفره ثانيا اوريان قيصر *Nomenque ejus, qui* amnem *illum ſecundò fodit, erat Adrianus Cæſar.* Sive Trajani auſpiciis cœptum opus Adrianus perfecerit, ſive ſolus ejus extiterit autor vel inſtaurator. Quorum poſterius veriſimile videtur;

detur; ſiquidem Adrianus & plura in illis partibus geſſit & condidit, quam Trajanus, & hujus ille nomen ut adoptivus filius aſſumſit: quod & inſcriptiones variæ & numiſmata demonſtrant. Ideoque nihil prohibet, quin revera Adriani amnis eſſe poſſit, qui Trajani dicitur. Addit vero autor amnem tunc ſecundò foſſum; quoniam paulo ante ſcripſerat, primo ductum fuiſſe à primis Ægypti regibus tempore Abrahami. Cæterum ad Babylonem illam veterum, poſtquam in Arabum poteſtatem veniſſet, nova juxta Nili inprimis ripam urbs acceſſit, ſuperbo Amri templo condecorata, quod poſterioribus etiam temporibus جامع الراية *Templum bexilli* dictum fuit; quoniam ibi in obſidione erectum fuiſſet Imperatoris ſignum. Deinde à ſeptentrione adjectum fuit oppidum بولاق *Bulac*, بلق *Belac* nunc dictum, Nili quoque ripam occupans potiore ſui parte. Et demum alia ab Oriente accrevit civitas ampla: conſpicuo tamen à Miſra ſeu Fuſtata intervallo diviſa. Hanc cum دار الخلافة *Domo imperiali* ſive *baſilica*, & جامع الازهر *Templo illuſtri*, ut vocatum fuit, anno Hezjræ 360 inchoavit Gjeuhar, gente Græcus, libertus & ſtrategus معز لدين الله *Moïzzi*, cujus proavus عبيد الله *Obeidalla* aſſumpto titulo المهدي *Almahdi*, i. e. *Ducti* ſeu *Ductoris* illius, quem injuſtitiæ & Antichriſti vindicem Muhammedani expectant, occupaverat Cyrenaïcam regionem univerſam. Gjeuhar enim ille cum centum millibus ex Africa miſſus in Ægyptum, poſtquam annonæ caritate preſſam & rege ſuo كافور الاخشيدي orbatam ſubegiſſet, domini ſui juſſu in novo regno novam urbem & arcem condidit imperii Fatimidum ſedem. Nam qui aliàs proavi nomine العبيديون *Obeiditæ* dicebantur, Fatimidæ appellari cupiebant: ut qui à Fátima, Muhammedis Prophetæ

phetæ filia & unica prole, ſibi genus vindicarent. Urbem illam fauſti ominis nomine القاهرة *Alcáhira, Victricem* vocavit: unde poſtea Italis, deinde Europæis aliis Alcairo appellata fuit. Quod nomen ab illo tempore deſignavit totum veteris & novæ urbis complexum, ita ut etiam hodie ſpecialiter Miſram القاهرة العتيقة *Cáhiram antiquam* vocent. Neque fefellit nominis illius omen: nam creſcente novo imperio, & allubeſcente, uti fit, novitate, populis undique convenis frequentata nova urbs excrevit in immenſum, evaſitque paulatim Ægypti velut totius ſedes, & Orientis atque Occidentis forum. Et quamvis Miſra opportuniore loco ſita eſſet, Cáhiræ tamen incremento ipſa decrevit, & variis inſuper terræmotus, peſtilentiæ, direptionis, ac incendii caſibus paulatim ſuccubuit & deſolata fuit. Inter ea memorabile incendium, quod anno Higſræ 564. excitatum à شاور *Xavor*; patruo Saladini, & duce militiæ ultimi Fatimidum Califæ, العاضد لدين الله *Adidi*, 54 dies duraſſe ſcribitur, ne Franci invaderent, utque incolæ omnes & vires Miſræ contraherentur ad Cáhiram propugnandum, quam ad باب الشرقية *Portam orientalem* jam obſederat المري, ut Arabum annales habent, id eſt, Almericus, Francorum rex. Sed eo etiam graviori pretio pacem redimere Xavor coactus fuit, promiſſa 1000000 aureorum ſumma; cujus partem decimam præſtitit ſine mora, ſoluturus reliquam ad terminum ex pacto & interpoſito juramento condictum. At ubi 70000 equitum auxilia ex Syria adventare intellexit, datam fefellit fidem. Poſtea Saladinus, qui Alexandriam & Damiatam ab eodem Almerico obſeſſam liberaverat, & mortuo Chalifa Adido obtinuerat regnum Ægypti, Cáhiram firmiore muro cingere decrevit, inventa muniendi

tractus mensura 20300 cubitorum. Sed inchoatum opus, quod hodieque spectatur, præveniente morte absolvere nequivit, nec post eum alius tentavit. Fustatæ in ulteriore ripa directe opponitur oppidum جيزة *Giza*, magis ad austrum declinante Memphi. Hoc tamen nomen جيزة, quasi *Trajectum* dicas, oppidis quoque aliis tribuitur, quæ urbibus in altera fluminis ripa opponuntur: ita & جيزة دمياط in historiis occurrit. Præsidia istic loci primum collocaverat Amrus Alasi filius, condideratque munimentum, veritus ne hostes illo Nili tractu & trajectu occupato invaderent Misram. Deinde aliis pluribus ædificiis accedentibus formam oppidi & nomen accepit. Inter Gizam hanc & Fustatam insula jacet: quæ situ & variorum fructuum arboribus amœna الروضة *Hortus* appellari meruit. Alias المقياس *Mecjâs* i. e. *Mensuræ locus* dicitur: propterea quod Nilometrium ibi, & quidem inter cætera alibi extructa maximum & elegantissimum. Hoc primus ibidem erexerat vel instauraverat Vsáma filius Zeidi, Ægypti quæstor, tempore Validis Chalifæ XIII. Sed eo ob vitium diruto Chalifa Almamon aliud substitui jussit, quod demum à Chalifa Mutevackil plene absolutum fuit. In insulam hanc, cum appositis scalis expugnaretur Babylon, confugerat Macaucus, Ægyptiorum pro Heraclio præfectus; atque ibi ex munito receptu conditiones pacis, de quibus Historia Saracenica, cum Amro pactus fuit. Hæc in Cáhiræ & Ægypti Chronico docet Osjotus. Tribus infra Fustatam parasangis finditur Nilus in duos majores ramos. in eoque diverticulo est oppidum seu pagus شطنوف, respondens veterum Deltæ, quam tribus infra Memphim schœnis locat Strabo lib. 17. Ab eadem Fustata dimidii diei itinere aquilonem versus abest عين الشمس, Jeremiæ

miæ & Chaldæis בית שמש, Esaiæ עיר החרס; quam Arabes مدينة فرعون *Vrbem Pharaonis* vocant: nam ejus hic fuisse regiam credunt. Et Septuaginta locum On, cujus sacerdotis filiam Pharo uxorem dedit Josepho Gen. XLI, 45, vertunt ἡλιουπόλεως nomine. Ipsam vero Ain Xems esse Heliopolin, & nomen, & rudera, nec non consentientes Geographorum descriptiones evincunt. Quod autem in Ptolemæo Heliopolis decem minutis australior ponitur Babylone, existimo librariorum esse mendum. Siquidem paulo ante & ἡλίου occurrit, totidem minutis Babylone borealior: quæ haud alia videtur esse quam ipsa illa ἡλιούπολις: & aliorum autorum narrationes eundem illum, quem dixi, situm Heliopoli adscribunt. Adjacet ei ad austrum pagus المطرية *Matharía*, puteo quem beata virgo Maria cum Jesu puero frequenter adiisse creditur, & Balsami paradiso, ut vocant, seu horto celeberrimus. Si quis de Misra & Cáhira cognosse plura atque alia velit, consulat Leonem Africanum lib. 8. & Principem Radzivilum Hierosolymitanæ peregrinationis Epist. 3. Sed infinita sunt, quæ præter ea habent autores Arabici.

الفيوم *Pheijûm*]. Antiquissimam esse hanc Ægypti urbem, & primum الحوبة dictam, atque à Josepho Patriarcha conditam tradunt Arabici scriptores. Nec multum hinc abludunt quæ Leo Africanus refert lib. 8: ex Arabum quoque, uti verisimile est, monumentis. Benjamino est Pithom, Ex. 1, 11. At juxta hanc sententiam non potuit Pheijum autorem habuisse Josephum, quod ex eo loco apparet. A Fustata Libanotum versus distat quatuor fere dierum itinere, per majorem partem solitudinis & sitibunda loca. Urbem circumdat & secat Nilus: ejusque fora, balnea, gymnasia, & circum-

jacentes horti memorantur Abulfedæ. Territorium autem universum, cujus Pheijuma caput, humili adeo & depresso esse solo tradit Jacutus, ut quemadmodum sitiente reliqua Ægypto Nilum haurit ad fœcunditatem, ita & ab eodem facile obrui possit & submergi ad exitium, cum partes aliæ ad lætitiam rigantur. Cui quidem commodo servando, incommodo autem prohibendo, tres à Josepho alveos fuisse ductos scribunt; eos scilicet, quibus hodieque Pheijumæ regio inclusa cernitur. Australis apud Jacutum خليج منهي *Menhà* dicitur; Occidentalis à pago quodam تيهمرت *Teihamert*, cujus pars effunditur in ejusdem nominis desertũ; Orientalis, præcedenti vicinior, خليج فيوم *Amnis Pheijúma*. Complures interjacent pagi: multæ etiam adaquandis agris paratæ sunt fossæ, per quas emissariis ad amnium illorum ostia adpositis aqua distribui solet pro agrorum mensura & necessitate. Cui imprimis occasioni, tempori, & loco scriptores iidem, qui Josephum operis illius & urbis perhibent autorem, artis Geometricæ inventum acceptum ferunt. Situm Pheijúmæ, aditumque ad eam Arabibus, cum Misra potiti essent anno demum post innotuisse scribit Ibn Abdo'lhakim in Ægypti expugnatæ historia: idque eam ob causam, quod humilitate soli & alveorum implexu urbs velut abscondita lateret. Deprehensam nullo negotio occuparunt. Anno Higsræ 600 etiam cepisse Francos & diripuisse الذهبي في العبر testis est. Pheijúmam pro incunabilis habuit R. Saadias Gaon, qui propterea in Arabica sua Geneseos metaphrasi الفيومي inscribitur. Dictam vero regionem eandem puto, quam Heracleoticæ præfecturæ nomine indigitarunt Græci; & Pheijúmam esse Herculis, aut, si quis malit, Nili urbem: & بحيرة فيوم *Pheijúmæ lacum*, qui

juxta

juxta Abulfedam dimidii diei itinere ad occidentem ab urbe distat, haud aliam quam lacum Mœridis, quem cum Heracleotica regione describit Strabo lib. XVII.

الاسكندرية *Alexandria*] Ante tempora Alexandri dictam fuisse رقودة, ex monumentis antiquis Coptorum ita efferri tradit التيفاشي Teifáxis in libro سرور النفس بمدارك الحواس الخمس Hoc autem est ῥακῶτις, & proprie nomen antiqui vici, cui successit Alexandria, ipso illo nomine deinde appellata: uti Strabo lib. 17. & glossarium Ægyptiacum docent. Idem valet ῥακόςη apud Cedrenum. De Alexandria vero scribit Ibn Abdo-lhakim, supra laudatus autor: كانت الاسكندرية ثلاثة مدن بعضها الى جنب بعض منة وهي موضع المنارة وما والاها والاسكندرية وهي موضع قصبة الاسكندرية اليوم ونقيطة وكان على كل واحدة منهن سور وسور من خلف ذلك الثلاث *Fuit Alexandria civitas triplex, alia ad alterius latus posita: nimirum Menna* i. e. portus, *qui Phari & vicinarum partium locus est; Alexandria proprie dicta, ubi Alexandriæ oppidum visitur hodie; & Nekita,* seu, ut puto, Necropolis, Josephi & Strabonis. *Earum vero quamlibet peculiaris cingebat murus, post quem alius ambiebat simul omnes.* Vias per quadras sive cancellatim ordinatas fuisse, quod vix alibi in Oriente spectare licet, ipsa rudera & quæ nunc superest forma demonstrant. Ideoque de ea Abulfeda: وهي موضوعة على صورة رقعة الشطرنج وازقتها كالصلبان لا يضيع فيها الغريب *Dispósita est ad formam abaci latrunculorum, ejusque plateæ crucibus similes; in quibus aberrare non possit peregrinus.* Proxime ante Muhammedicum bellum floruit adhuc Alexandria antiquo fere suo cultu, Ægypti totius etiam tunc metropolis habita: quo cum accederet situs loci ad continendum Orientis commercium,

&

& imperii partem opportunus, omnes vires intenderunt Græci, ut obsidionem solverent, qua Amrus jam Misra potitus & auxiliis Ægyptiorum auctus urbem premebat. In hunc finem multas copias paraverat Heraclius, quas duxisset ipse, uti Arabum annales habent, nisi occupasset mors. Obsidionem tamen Alexandrini ab eodem tempore fortiter sustinuerunt totos novem menses, cum jam ante pertulissent menses quinque. Deditam urbem quadriennio post recuperarunt Græci, à conspirantibus Alexandrinis cum classe recepti. Tunc Ægypti præfecturæ restitutus fuit Amrus, quem deposuerat novus Chalifa Osman. Quod Ægyptii obnixe rogaverant, quoniam militarium & simul Ægyptiarum rerum usu præstaret, ipsique defectionis suæ conscii à Græcis metuerent vindictam. Amrus cum pertinaces intelligeret Græcos, jurejurando edixit, teste Ibn Abdo'lhakim: لئن اظفرنا الله عليهم لاهدمن سورها حتى تكون مثل بيت الزانية يوتى من كل مكان, *Quod si victoriam in eos concesserit mihi Deus, diruam ego urbis muros, ut referat meretricis domum, quæ undique aditur.* Urbem itaque vi expugnatam mœnium ornatu & munimine nudavit. Incolarum tamen vitæ maximam partem pepercit. Eo autem loco, ubi militum obvios quosque truncantium vim cohibuerat stiteratque, templum postea exstrui jussit, quod propterea جامع الرحمة *Synagoga misericordiæ* dictum fuit. Ab eo tempore urbs florentissima paulatim diminui & collabi cœpit; adeo quidem ut nunc solo fere portu & mercium exagogis constet. Alexandriam obsederunt Franci anno Higsræ 562. at Saladinus, qui unà cum patruo اسد الدين شيركوه Ægypti præfecto, suppetias venerat, obsessorem hostem 4 menses sustinuit, repulitque. Quo facto primum inclaruit

claruit Saladini nomen, invaluitque autoritas. Postmodum tamen Alexandriam Franci invaserunt anno 767, & incolas partim occiderunt, partim captivos in prædam servarunt: sed ut contra eos exercitum eduxit Ægypti rex, relicta urbe ceperunt fugam. Alia de postremo urbis hujus statu vide, si lubet, apud Leonem Africanum lib.8. & apud Principem Radzivilum Epist.3.

7.lin.10. افريقية *Africa*] proprie dicta, seu provincia: quam Arabes plerique à Tuneto seu Carthagine, vel ut pag.105 dixi, à Bona, id est Hippone ad Barcen, quidam usque Alexandriam producunt. Neque latiore significatu nomen hoc usurpant. Nam quæ Latinis absolute Africa dicitur, Arabibus ارض المغرب *Terra* vel *regio Occidentis* vocatur. Atque verisimile Africæ nomen primitus illi provinciæ, postea toti Orbis parti inditum fuisse. Etymon Leo Africanus petit juxta المسعودي & هشام بن محمد, nec non aliorum traditiones, ab افريقيش *Ifrico*, Arabiæ felicis rege; nimirum, uti Notæ hæ pag.106 habent, *filio Caisi, fil. Seifis, fil. Sabæ minoris*. Quem Ibn Abdûn aliique quintum faciunt à Saba majore. Illo autem post Africam regionem devictam in regnum Arabiæ reverso, duas tribus صنهاجة & كتامة ibi permansisse scribunt; ac proinde quosdam Mauros Arabibus, cæteros vero Philistæis oriundos. Sunt tamen, qui ipsos illos Ketamæos Sanhagiosque accensent Philistæis; quorum copias istuc Ifricus secum duxerat. Pro Ifrico hoc Josephus Ant. Jud. lib.1. ubi de Kethuræ filiis agit, tractus ejusdem victorem ἐπώνυμον facit Ophres, filium Midian. Potest etiam Africæ nomen ab עפר sive אפר, quæ vox Pœnis non insolita *pulverem* notat, commode deduci: siquidem tota fere illa regio arenosa est & pulverulenta; vel ab

X idio-

idiomatis Africani, de quo pag. 92, peculiari voce آفروخ Afroch, qua designatur *palma*; ut unica pene in illo tractu, ita frequentissima arbor. Porro Siculis, Græcis, Italisque nomine Africæ indigetata fuit maritima hujus provinciæ urbs Mahdîa, Siciliæ opposita & præcipuum hujus tractus præsidium; cujus sequenti scholio mentionem faciemus. Sed non intelligi ab Alfragano urbem, satis indicare videntur ipsa ejus verba, cum scribat ببلاد افريقية *per Africæ regionem* procedere & hujus & præcedentis Climatis tractum. Nec Arabum quisquã, quod sciam, oppido Mahdîæ tribuit Africæ nomen.

القيروان *Kairevân*] Africæ proprie dictæ metropolis, 33 parasangis à Carthagine distans ortum brumalem versus, & 12 à mari; condita (seu instaurata, uti puto) primum ab عقبة بن نافع *Ocba Nafaïde*, qui post expugnatam Barcen ibidem ab Amro relictus scribitur, ut Barbaros seu Afros Muhammetismo nomen dantes apud se congregaret. Anno autem 40 Higsræ decem millibus à Chalifa Muavia suppetias missis, provinciam Africam subjugavit, & arma longe lateque protulit in Nigritas usque. Sed cum diffideret Afris, ut qui in accepta religione vacillarent, & sibi & copiis suis collectisque thesauris præsidium struxit: quod, longius à mari dissitum ac deserto proximum, & securitati contra Siculorum & Romanorum classes, & compescendis Afris conferret. Ab eo tempore ædificiis publicis privatisque, opibus, artibus, literis urbs florere cœpit: & præcæteris caput extulit sub dominio ال الاغلب *Aglabitarum*. Nisi quod mœnia diruit زيادة بن الاغلب *Ziâdes Aglabita*, metuens ne præsidio esset ut hosti suo عمر بن مخالد *Omaro fil. Mochâlid*, si urbe potiretur. Decrescere & ipsa cœpit, cum Ibrahimus, Ziâdis illius ex fratre Ahmede

mede nepos, quatuor miliaribus à Kairewân, amœno & saluberrimo loco, novum ædificasset oppidum, رقادة nomine, plus quam decies mille cubitorum ambitu; quo redundantes Kairevanæ incolas, & advenas exciperet. Unde illa, prout novitate capi homines solent, veteri huic præhabita, & imperii sedes constituta fuit. Iterum tamen florere Kairevana cœpit sub Obeiditis, qui se Fatimidas dicebant, multosque annos tenuerunt regnum Ægypti: prout ante diximus. Eorum primus Obeid-alla, cognomine Mahdi, habitus à suis quidem fuit filius الحسن القداح *Háseni Caddáhi*, quem ex Ali & Fatima revera oriundum communis erat consensus; ab aliis vero privignus tantum & adoptivus, natus ex Judæo. Hic Obeid-alla circa annum Higsræ 300 ex urbe Syriæ Salemia, seu Salami juxta Josephum de bello Jud. lib. 2. (quam à Salome Herodis sorore ita dictam potius arbitror, quam etymo quod ex Arabum sententia adductum fuit pag. 127.) in Africam profectus, fixo Kairevanæ domicilio novi principatus sectam erexit, & magno undique confluxu auctam firmavit. Per quam causam contigit paulatim deseri Raccádam. Sed cum ibidem haud satis tutum se putaret, in prominentiori littoris extremitate, & veluti peninsula quadam, quam & Siciliam interjacet insula قوصرة *Cosyra* Ptolemæi Pliniique, munitissimum extruxit præsidium, & de cognomine sibi assumpto المهدية *Mahdíam* vocavit. Pulsis autem & subactis Aglabitis, Kairevân iterum, & magis quam ante, Fatimidarum asseclis frequentata & culta fuit, collabente interim Raccáda; cujus deinde reliquias معد *Moïddus*, Ismaëlis filius, Obeidallæ nepos, solo æquavit. Tandem labascente Fatimidarum imperio, etiam Kairevan defecit, & splendorem omnem ac glo-

riam amisit: inprimis postquam sub Tunetani regis dominium redacta fuit. Nomen quod attinet, origine esse Persicum volunt Arabum Philologi, & pro كاروان usurpari, quod Persis *agmen viatorum* notat, idem quod قافلة Arabibus. Ita ad designandum exercitum utitur illa voce امرو القيس *Amr-alkais*, antiquus Arabum poëta. Nec præter rationem nomen hoc inditum urbi fuerit, quæ Arabum copiis, munimento & castris extructa esset. Forte antiqui oppidi nomen Kararos, quod eodem aut saltem proximo situ apud Ptolemæum extat, arreptum ab Arabibus, vel à propinqua & celebri Cyrene in illam familiariorem ipsis vocem detortum fuit: nam & Coptis sive Ægyptiis *κερινε* dicitur.

Lin. 12. بلاد التبت *regnum Tebet* vel *Tebetarum.*] etiam Tibet, Tebbet, & Tebbut pronunciari solitum. De eo Geogr. Nub. clim. 3. parte 3. ارض التبت تجاور الصين وبعض بلاد الهند *terra Tibet vicina est Sinis Indorumque regioni.* Etenim Sinensis provincia Xensi dicta ab oriente adjacet regno Tibet, intercedente cum Croceo flumine, ut Sinis vocatur, tum continuo montium tractu, qui appositis arcibus & munimentis exteros irrumpere volentes arcet, haud secus ac Magnus ille murus, qui Tibetarum regno paulum borealior est, patentes ibi campos obsepiens aditum præcludit. Austrum versus, ubi dicti fluminis, borealem permeantis Sinam mare Eoum usque, fontes seu lacus existunt, regioni Mien occurrit, quæ notissimo Indorum regno Bengalæ ab oriente est contermina. Tibeti borealia lacus Sinis Cinghai dictus; id est, *Nigrum mare* attingit. Ab occasu autem exporrectum in boream ingens desertum jacet, quod Sinis Xamo vocatur. Quod vero Jacutus & alii tradunt Tebet esse بلدا بارض الترك *regionem in terra Tur-*

Turcarum, intelligendum eſt de Tartaris Scythiſve orientalibus, quos aliquando generatim nomine Turcarum Arabes notant. Atque ita addit idem Autor, regem Tibetarum, خاقان *Chakân* appellari (χαγάνος recentioribus Græcorum ſcriptoribus) proprio Turcicorum regum titulo. Cumque Alfraganus Climatum initia ab extremo repetat Oriente, utique hîc quidem nomine Tebet etiam proximam Sinici imperii ab Oriente partem comprehendere videtur. Minus enim tum Sinæ borealis nomen خطا Catayum Arabibus notum erat: poſtmodum devicta à Tartaris, duce جنكيز خان *Tgingiz Chân*, hoc nomine inter Perſas & Arabas celebrari cœpit. Geographis Arabum antiquioribus etiam regnum ختن *Choten* ſimul fere cum Tebet deſcribitur; nempe eo borealius uno gradu, occidentalius autem tribus. Ceterum Tibet ob fertilitatem ſoli, herbarum, fructuumque præſtantium, nec non manſuetiorem animum & artium cultum præ vicina Tartaria paſſim laudari ſolet. Tum & muſcum Tibeticum toto pene celebre eſt Oriente, odoratum illud capreæ excrementum quod ad umbilicum in tenui veſica congeri ſolet. Ea muſco impleta ſuo نافجة المسك dicitur; petita à Perſis voce, quibus نافه *umbilicus* eſt. Quin hoc Sinenſi à multis præfertur, tum propter pabuli, ut ajunt, virtutem magis odoriferam, tum quod recentius & minus adulteratum ad Perſas & vicinos populos exportatur. Quamvis ex vicina Sinarum provincia Xenſi & proximis aliis moſcum, rhabarbarum, atque alia ad Tibet deferri, atque hinc quoquoverſum diſtrahi ſoleant.

Lin. 13. خراسان *Choraſâna*] Latus terræ tractus eſt, quem ita definit Abulfeda: يحيط بها من جهة الغرب المفازة التي بينها وبلاد الجبل وجرجان ويحيط بها من جهة

جهة الجنوب المفازة فاصلة بينها وبين فارس وقومس
ويحيط بها من الشرق نواحي سجستان وبلاد الهند
ويحيط بها من الشمال بلاد ما ورا النهر وشيء من
تركستان, *Cingit eam ab occaſu deſertum, quod interjacet ipſam & montoſam regionem*, quæ juxta Ptolemæi deſcriptionem eſt Choromithrenæ & Parthiæ montana pars, *& Gorgiana*, nempe قاعدة طبرستان Hyrcaniæ metropolis, ac proinde Ptolemæi Hyrcania urbs. *Ab Auſtro eam terminat deſertum, quod inter Perſidem & Comis* ſeu Comiſenem Ptolemæi *exporrigitur*, & porro Carmaniæ & Dranganæ obtenditur, uti addit Ibn-Haukel. *Ab ortu autem limites illi ſunt partes Segiſtanæ*, de qua pag. 111, *atque India*, ſive pars ejus Mehrána. *Denique à ſeptentrione eam terminat Mavvarenahr*, id eſt, regio quæ ultra Flumen, i. e. Oxum, *& portio Turkeſtanæ*. Unde apparet, Parthiam, Ariam & Paropamiſum, nec non Margianam & Bactrianam, juxta Ptolemæi deſcriptionem acceptas, hoc nomine Choraſanæ contineri: quod aliàs apud Ptolemæum tribui videtur peculiari Parthiæ regioni, quam Choreanam vocat. Subinde autem Choraſanæ nomen latiori ſignificatu ulteriores quoq; plagas deſignat, quæ Mawavenahræ ſeu Tranſoxianæ regionis ſunt & Turkeſtanæ: uti, & hic & initio climatis ſequentis, ab Alfergano & ſæpe à Perſis ſumitur. Quin Choroana nunc Perſis aliiſque à magnæ partis, præcipue borealioris, domina gente Uzbec dicitur. Ceterum vox خر *Chor* Parthis *Solem* denotat, & اسان *locum*; quaſi *Solis regionem* dicas: vel quod Parthis protenderetur in ortum Solis, vel quod maxime ibi viguerit illis fere proprius Solis cultus. Nomen gentile hinc Arabes formant خراساني, & خراسي, خرسي; quorum poſtremum præ cæteris uſitatius: eoque hodie in Oriente maxime

xime celebre est semen sementinæ, propterea quod ex Chorasana copiose exportari solet.

خجنده *Chogenda*]Et sine He finali scribitur. Mawaranahræ seu Transoxianæ regionis inclyta urbs est, ad occasum adjacens Jaxarti, in cujus ripa integram occupare fertur parasangam. Unde Jaxartes, qui alias proprio nomine سيحون *Seihûn* appellatur, نهر خجند *Fluvius Chogendæ* denominari solet. Besse latior fere est quam Oxus, & ostium tribus quasi gradibus borealius habet; alibi tamen amplius sex gradibus ab Oxo distat. Urbs Chogenda in plano sita est feracibusque omnium pene fructuum hortis prædita intus & foris. Sub latitudine 41, 55, collocatur in Tabulis Olugbegi, qui ibidem imperavit: Samarcandâ, quæ Transoxianæ regia metropolis, orientalior 39 minutis. Territorium verò Chogendæ, licet à Ferganensi, quod ultra Jaxartem patet, revera divisum videatur & distinctum, à Geographis tamen plerisque eidem accensetur.

اشروسنة scribendum اسروشنة *Osrúxena.*] Et hæc de Transoxianæ primariis urbibus una est, ac provinciæ cognominis caput, sub 40 graduum parallelo, Samarcanda borealior 25 minut. orientalior vero 43 min. ut docet Olugbegus. Regio ipsa potiorem partem montosa, teste Ibn Haukel qui eam perlustravit, confine ab occasu habet regnum Samarcandicum; ab ortu partem Ferganensis; à septentrione partem hujus alteram, & agrum الشاش *Xâshi*, qui trans Jaxartem excurrit ultra Samarcandicum; ab austro denique collimitaneum habet territorium صغانيان *Saganianum*, atque eo occidentalius territorium oppidi كش *Kesh*, quod Tamerlanis natalibus clarum. Continet autem hîc Osrúxenæ tractus quamplurimos pagos, amplitudine

ne urbium multos; quos propterea urbes plerique autores vocant. Et arces in eo vel quadringentas enumerari teſtatur Abulfeda.

فرغانة *Fergâna.*] Hæc autoris noſtri Muhammedis patria eſt; at quam pro regione potius quam urbe autores celebrant: Ibn Haukel فرغانة اسم للاقليم, *Fergâna ipſi climati impoſitum nomen:* Abulfeda اسم ناحية عظيمة *nomen provinciæ magnæ* dicit. At regionis nomine ſæpe indigitatur primaria ejus urbs. Ita اندكان ſeu اندجان (nam ج Arabice uſurpari pro ڭ Perſarum oſtendimus pag. 42.) quæ à Chogenda Cæciam verſus itineris bidui diſſidet, nomine Ferganæ appellari ſolet. Anonymus Perſa in accurata ſatis Latitudinum Longitudinumque tabula, فرغانة وهي اندجان قب امب اكه *Fergâna, quæ Andugân dicitur*, long. 102. lat. 42. 20. Et cum Abulfeda eoſdem plane numeros tribuat Ferganæ ex aliorum fide, videntur hi ipſi nomine Ferganæ deſignaſſe Andugân: cumque hujus Andâgun meminerit idem Abulfeda alienis etiam verbis in lacinia, quam ubique attexuit Operi ſuo ad recenſenda celebriora quædam loca, quorum longitudines latitudineſque ipſi incognitæ eſſent, non videtur ſatis animadvertiſſe, ab iiſdem autoribus nomine Ferganæ & Andugân eandem denotari urbem. Sed in Perſæ alterius, & Olugbegi tabulis nec Andugan, nec ſimplex Ferganæ nomen ullibi exhibetur: ſed tantum اخسكت قصبة فرغانة قا كي مب كه *Achſiket oppidum Ferganæ*, long. 101. 20, lat. 42, 25. Qui quidem autores cum nullam aliam provinciæ Ferganenſis urbem, quas tamen plures recenſent, nomine Ferganæ exornent, videntur ſane urbem Achſiket pro ea habuiſſe, quæ per Ferganæ nomen intelligenda eſſet, ſi peculiarem aliquam indicaret urbem. Et videtur vox اخسيكت

facta

facta ex اخشيد quod peculiare regum Ferganæ nomen est, teste Almacino lib. 3. cap. 4. & كت, quod & Mogolis, Transoxiana gente oriundis *thronum, sedem regiam* sonat, ut Lexica Turco-Persica Ibn Hagib & Logat Nama docent; & aliis nominibus adjectum multa format Transoxianarum urbium nomina; qualia sunt اسباذكت, شاوكت, تنكت, بنكت; ita Persica multa additum habent جرد & كرد quasi à Chald. כַּרְכָּא quod, *urbem & munimentum* notat. Porrò Achsiket, Chogendæ etiam propinqua, agrum in plano habet: cui proxime succedit montosus & potior Ferganæ tractus, Turkestanæ sive Scythiæ conterminus, vel portio quædam. Ibi naphtæ fontes, auri & argenti, boreæque lapidis, qui vulgo Turcois dicitur, à Turcica forte illa regione, venæ celebrantur; nec non, quæ sponte ibi proveniunt, insigniorum fructuum arbores, & nobiliores plantæ. Est quoque Persidis pagus, qui Fergana dicitur: unde distinctionis ergo nomina gentilia subinde efferuntur cum Adjuncto, ut الفرغاني الفارسي & ,الفرغاني التركماني Nonnulli hinc, quam plurimi inde, celebres doctrina Viri prodierunt. Quinimo Oxiana regio universa illustrium ingeniorum mater & quidem fœcunda fuit: quæ tractandis scientiis & exquisiti judicii studiis magnum sibi nomen pepererunt, ubicunque linguæ Arabicæ vel Persicæ, quibus plerosque libros conscripserunt, notitia & cultura viguit. De Fergana vide sis Hist. Sarac. pag. 219. Super ea merito quæstionem movit Wilhelmus Schikardus, eximiæ eruditionis & industriæ Vir, cum quibus gratus in illo modestiæ simul atque humanitatis emicuit candor; magno amicorum dolore & resp. literariæ damno immature extinctum seculi nostri lumen. Is in Tarich suo, sive de regibus Persicis commentario

pag. 189. quærit, quomodo Fergana referri ab Abulfeda potuerit ad clima quintum, latitudinem, ut dixi, 42, 20: cum ab ipſo Alfergano hîc ſubjiciatur climati quarto, quod. terminatur triceſimo nono latitudinis gradu. Quapropter Abulfedæ numerum in exemplari Tengnagliano librarii culpa corruptum credit, ut Aſtronomi Ferganenſis autoritatem tueatur. At nullum ſubeſſe mendum oblata mihi poſt teſtimonia facile perſuadent; nimirum exemplaris noſtri conſenſus, & allegatus modo anonymus Perſa: qui urbem Ferganam ea quam dixi latitudine deſcribit: itemque Perſa alter, & Olugbegus; qui *Achſikèt* urbis, ad سيحون *Iaxartem* ſitæ, quam pro Fergana habent, latitudinem quinque etiam minutis augent. Cum autem Olugbegus climatis Tranſoxiani rex, accurate omnia, quæ potuerit, obſervaſſe prædicetur, ad firmandam Tabularum fidem, & cum iis auguſti nominis ſui perennitatem, non illum auſim tam craſſi arguere erroris in patrocinium Alfergani, quem minus conſtat propria demenſione nixum: eoque minus hoc facere debeam, quo facilius excuſari idem Alferganus poteſt. Nam cum certum aliquem Ferganæ, quam proprie ditionem eſſe dixi, locum expreſſo nomine ipſe non deſignet, primam ejus partem intellexiſſe potuit ac debuit, quæ Oſruxenæ, ut modo retuli, ab oriente confinis, non minus quam ipſa pertinet ad clima quartũ. Et quid mirum, Autorem noſtrum patriæ ſuæ meminiſſe, quamprimum ejus memorandæ locus daretur? Supra autem monitum fuit, eum quoque in Geographica hac recenſione extra Aſtronomicos, accuratoſque, climatum terminos ſubinde exſpaciari: quod & in proximis Chogenda atque Oſtuxena facit, item in Samarcanda & Buchara, & Geographus Nubienſis, aliiq;, pluribus lo-

cis.

cis. Ignoſcet autem benevolus lector, ſi ego quoque hic & alibi longius digreſſus videar.

سمرقند *Samarcanda.*] De ea ex Ibn Haukel Abulfeda, سمرقند مدينة على جنوبي وادي صغد وهي قصبة الصغد وهي مرتفعة على الوادي وحول سور سمرقند خندق عظيم لها نهر يدخل الى المدينة على حملات في الخندق ومعمول بالرصاص, *Samarcanda urbs eſt ad auſtralem partem fluminis Sogdi*, hujus ex Sogdiis montibus effuſi meminit Geogr.lib.VI.Ptolemæus; *eſtq; regionis Sogdianæ primaria ſupra Fluvium vallemve aſſurgens. Mœnia autem Samarcandæ ingens circumdat foſſa, & ſuperſtructis in ea fulcimẽtis in urbem fluvius immittitur per plumbeum ductum.* Hoc generali ſenſu poſtrema verba reddere mihi dubia res ipſa ſuaſit. Eandem urbẽ من قواعد ما وراء النهر de μητρoπόλιοι vel *præcipuis Tranſoxianæ totius civitatibus* unam facit Abulfeda: quin omnibus facile præcellit. Quare & in ea regni ſedem fixit Tamerlanes. Vix dubitandum, quin hæc veterum Maracanda, quæ Sogdianorum regiam vocat Arrianus ſub finem lib. III. de Alexandri expeditione. Perperam, mendoſè puto, in Ptolemæo Maracanda relata ſunt inter urbes Bactrianæ: cum hanc à Sogdiis Oxus diſtinguat. Nec obſtat, quod Jacutus Hamatæus ſcribit, قيل ان سمرقند من بناء الاسكندر *Samarcandam perhiberi opus eſſe Alexandri:* cum Maracanda ab eo expugnata, & quod lib. XI. refert Strabo, inter alias Sogdianorum urbes diruta fuerint. Nam quam ſæpe contingit, urbem imperii conſequendi ergo ſubverſam, imperio firmato reſtitui & velut de novo condi? Vel ſi hæc de iis, quas Alexandrum ſtruxiſſe in Sogdiana allegato loco Strabo inquit, una eſt, antiquum dirutæ regiæ nomen ab indigenis forte poſtea inditum fuit. Elegans & memorabilis videatur Samar-

candæ deſcriptio, quam ſpectator dedit Jacutus; cujus verba, quæ lectori forte gratiora erunt, hic adſcribam:

حايطها اثني عشر فرسخا وفيه بساتين ومزارع وارحاء
ولها اثنا عشرة بابا من الباب الي الباب فرسخ وعلي
اعلا السور آزاج وابرجة للحرب والابواب الاثني عشر من
حديد وبين كل بابين منزل للنواب واذا جزت المزارع
صرت الي الربض وفيه ابنية واسواق وفي ربضها من المزارع
الف وستماية جريب ولهذه المدينة اعني الداخلة اربعة
ابواب وساحتها تكون نحو مياة جريب وفيها المسجد
الجامع والقهندز وفيه مسكن السلطان وفي هذه المدينة
الداخلة نهر يجري من رصاص وهو نهر قد بني علي مسناة
عالية من حجر يجري عليه الماء الي ان يدخل المدينة من باب
كش ووجه هذا النهر رصاص كله وقد عمل في خندق
المدينة مسناة ولجري عليه وهو نهر يجري في وسط السوق
بموضع يعرف بباب الطاق كان اعمر موضع بسمرقند
وعلي حافات هذا النهر غلات موقوفة علي من بات
في هذا النهر وحفظه من الماجوس عليهم حفظ هذا النهر
شتا وصيفا مستقرض ذلك عليهم وفي المدينة مياه من
هذا النهر عليه بساتين وليس من سكة ولا دار الا بها
ماء جار الا قليل وقل ما يخلو دار من بستان حتي
انك اذا صعدت قهندزها لا تري ابنية المدينة لاستتارها
عنك بالبساتين والاشجار فاما داخل سوق
المدينة الكبيرة ففيه اودية وانهار وعيون وجبال ،

Ambitus ejus duodecim paraſangarum eſt: quo quidem continentur horti, arva & prata. Duodecim portas habet; quarum una ab altera diſtat intervallo paraſangæ. In ſummo autem muro xyſti & turres extant ad belli uſum. Portæ illæ duodecim ferreæ ſunt, & inter binas quaſ-

quasque sua excubitoribus statio. Arva transgresso occurrit suburbium, ubi ædificia & fora: atque in suburbicaria hac regione agrorum sunt plus quã sexcenta jugera, جريب est jugerum seu agri modus cubitis quadratis 576 constans, id est quatuor قفيز, quorum quivis dimidius actus est, cubitorum 144, teste Camusio. *Vrbi huic, nimirum interiori, quatuor sunt portæ, & centum circiter jugerum spatio fundus patet. In ea Templum synagogicũ sive cathedrale, & arx:* vox قهندز *Kohunduz* pro Persico seu Parthico كهندز *Cuhundiz*; quod *vetus arx est*, & de Chorasanæ atq; Transoxianæ arcibus peculiariter usurpatur, de iis imprimis quæ in media sunt urbe; & hoc nominis illis datum videtur, quod pleræque omnes *antiquitate* spectabiles. *Eandem arcem inhabitat Rex. In urbe hac interiore rivus est per plumbum fluens; qui super alto deducitur lapideo fulcimento sive aquæductu, donec ingrediatur urbem ad portam Keshensem.* Kesh autem vicinum Samarcandæ oppidum est, cujus supra pag. 167. facta mentio. *Rivi inquam hujus tota facies* seu *fundus plumbo constat. Est & in urbis*, exterioris puto, *fossa aquæductus super quo fluvius defertur: idemq; medium forum secat eo loco, qui porta Taki sive Munimenti dicitur, & maxime habitata Samarcandæ pars est. Provenientium autem ad fluvii hujus ripas frugum pars jure piæ donationis pertinet ad Magos: qui ad fluvium pernoctare solent, eundemque custodire debent hyeme & æstate. Ex fluvio hoc, ad quem siti sunt horti, derivantur per civitatem aquæ: neque platea ulla est aut domus, nisi forte paucæ, in qua non perennis aquæ fluxus. Et raro accidit, domum aliquam carere horto: adeo quidem ut conscensa arce cernere nequeas ædificia Vrbis, ut quæ intermediis hortis & arboribus tecta latent. Intra urbis autem majoris forum existunt rivi, fluenta, fontes, & montes.* Ibidem etiam, me-

 dio

dio nempe inter ſuburbium & externa urbis mœnia ſpatio, inſignes multæ domus & palatia extant. Quamobrem حصين بن المنذر الرقاشي illuſtri celebrare urbem comparatione volens, inquit: كانها السماء للخضرة وقصورها الكواكب للاشراق ونهرها المجرة للاعراض وسورها الشمس للاطباق, *Ac ſi ipſa Cælum ob virorem*, nam & cœlum اخضر eſſe dicitur, *ejuſque palatia ob ſplendorem Stellæ; fluvius ejus Galaxias propter obliquum curſum; murúſque ejus*, interior ut puto, *Sol ob congruentem rotundamque formam.* Quam ſimilitudinem, carmini potius convenientem, carmine imitatus videtur احمد بن واضح in ejuſdem urbis deſcriptione:

علت سمرقند ان يقال لها زين خراسان جنة الكور
اليس ابراجها معلقة بحيث لا تستبين للنظر
ودون ابراجها خنادقها عميقة ماء تقام من ثغر
كانها وهي وسط حايطها محفوفة بالظلال والشجر
بدر وانهارها المجرة والاطام مثل الكواكب الزهر

Excelſa meruit Samarcanda dici decus Choraſanæ, paradiſus regionum.
An non ſunt turres ejus in altum ſuſpenſæ ubi non apparent viſui,
Et ſubter illis foſſæ ſteriles aqua, ſuis conſtantes præſidiis;
Ac ſi ipſa, puta interior urbs, *intra murum obſita umbris & arboribus*, lunares referentibus maculas.
Luna quædam, & rivi ejus Via lactea, arceſque velut Stellæ micantes?

Laudatur namq; urbs hæc & ipſa regio non inter Tranſoxianas tantum, ſed etiam reliquas Aſiæ univerſas, amœnitate & elegantiore proſpectu nulli ſecunda. Quamobrem سغد سمرقند, nam & per س ſcribitur, *Sogdiana Samarcandæ*, id eſt, vel Sogdianæ circa Samarcandam pars, aut Sogdiana tota, cujus Samarcanda caput, inter qua-

quatuor Aſiæ Tempe numerata fuit. Vide pag. 120 & 121; at Bractiana ibidem pro Tranſoxiana minus rectè poſitum. Sed quæ de urbis muro aliiſque operibus dicta fuerunt, incurſione Tatarici imperatoris, Tgingiz-chân, multum de veteris formæ præſtantia amiſerunt; quod etiam à ſe viſum ſcribit Arabſiades in Hiſtoria Tamerlanis. Dividitur autem Sogdiana in XII رساتيق, *agros* ſive *ſuburbicarios vicos* diverſi nominis; quorum ſex ad borealem Sogdii fluminis partem, ſex alia ad auſtralem pertinent.

بلخ *Balchum.*] Choraſanæ metropolis Abulfedæ, & in ejus medio collocatur; non comprehenſi ſpatii, ſed longitudinis reſpectu. Conditam à لراسف *Loraſpe*, patre Hydaſpis, Perſico rege, tunc cum à Nebucadnezar Hieroſolymæ diriperentur, tradit Jacutus: qui & ex aliis refert olim Alexandriam fuiſſe dictam, utpote ab Alexandro ſtructam. Sed Alexandria illa, ut videre eſt apud Ptolemæum, Tranſoxiana eſt ad Sogdianos pertinens. Cum veterum Bactris potius convenire Balchum, & nominis conſonantia quædam & ſitus comparatio oſtendunt. Neque antiqui illius nominis veſtigium alibi in illo tractu reperitur: aliquod tamen de tam celebri urbe ſupereſſe ſit veriſimile. Quæ autem mox in Alfergano ſequitur Buchâra, ultra Oxum exiſtit, & nimis in occaſum vergit; cum cis Oxum eſſe Bactra veteres teſtentur Geographi omnes. Tum quoque iidem tradunt fluvium præterlabi, Zariaſpem vocat Strabo, Bactrum Curtius Pliniuſque, & ſuum ipſi urbi dediſſe nomen: quam ſub monte Paropamiſo, Tauri aut Caucaſi parte, collocant. Similia de Balch refert teſtis oculatus Ibn Haukel: eam nempe urbem in planicie ſitam eſſe quatuor à monte paraſangis, & per ſuburbium ejus

meare fluvium دهاش *Dehâsh*, qui post rigatos hortos & arva duodecim ab urbe parasangis se effundit in Oxum. Summa etiam, qualis Bactriano tributa fuit, prædicatur soli Balchici ubertas: ita ut sub 37 grad. latitudine, ubi à montium vicinia subinde ningit, sacchariferam producat concoquatque cannam. Notandum quoque, quod Ptolemæus in descriptione Bactrianæ ait, sub Zariaspis, qui Bactriani, esse Tocharos, idem quoque dicere Geographum Nubiensem, ut vulgo vocant, Abulfedam, aliosque: nimirum طخارستان *Tocharorum regionem* proxime ad ortum sive eurum fere adjacere Balcho seu Balchianæ. In Tocharorum finibus, ut hoc quoque addam, 13 dierum itinere à Balcho oppidum est cognomine ipsi provinciæ بذخشان *Badachxân*, quæ & بلخشان *Balachxân* dicitur. Hæc tota montosa est, ad Indiæ terminos pertingens, partim Comedorum nomine celebrata Ptolemæo; in qua fontes suos primosque exortus habent Oxus & Jaxartes. Ibi copiose nascitur eruiturque hyacinthi sive rubini genus, quod gemmariis hodie Balausium vocatur, non alia appellationis origine, quam ab ipsis venis, hisce nempe Balachxiis montibus, petita; uti & Arabes بلخشي *Balachxium* dixerunt, à quibus illa vox primum accepta fuit. Neque sententiæ isti, qua maxime mihi probabile videtur Balchum idem esse cum Bractro, hoc obstare potest, quod Balchiana regio longe arctioribus terminis continetur quam Bactriana, quæ à Strabone aliisque ad ipsos Komedorum montes protenditur. Nam regionum limites pro temporum ac populorum mutatione haud minus quam ipsa nomina diversimode mutari constat. Etiam objecerit quis forte, Balchum ex Orientalium traditione modo dictũ fuisse opus Loraspis, qui pater Hydaspis; cum tamen

tamen ſexcentis annis ante à Semiramide expugnata fuerint Bactra, Diodoro Siculo teſte, libro 2. Sed licet utrumque eſſe verum ſtatuamus, res tam facile componi poteſt atque ſervari conſenſus; ſi dicatur Loraſpes collapſam aut dirutam inſtauraſſe urbem & tanquam de novo ſtruxiſſe, ac revera novam condidiſſe, quæ veteri nomine inſignita fuerit: ita uti & alibi factum fuit.

بخارا *Buchâra* ſive *Bochâra.*] Ma-wara-lnahræ ſeu Tranſoxianæ urbs antiqua & celeberrima, Balcho & Samarcanda pro Climatis ſerie occidentalior, & Samarcanda etiam paulum auſtralior. Saïd Ibn Ali Georgianenſis in ſua Climatum deſcriptione, quam Perſice dedit, longitudinem illi tribuit, ab Inſulis Fortunatis nempe, 96,50′, Scriptores alii etiam minorem: latitudinem vero 39,50′; nullus, quod ſciam, non ultra 39 gradus. Quare ab Abulfeda & aliis Bochara & Samarcanda ſubjiciuntur Climati quinto. De primariis Tranſoxianæ urbibus hæc, de qua agimus, una eſt, vix ulli cedens alteri; ſive elegantiam ſtructuræ, ſive incolarum frequentiam, ſive ubertatem ſoli, & amœnitatem doctorum ſpectare quis velit; aut etiam ingeniorum cultum & famam. Ex iis cognitus nobis medicus & philoſophus Ibn Sina, vulgo Avicenna dictus; cujus plura numerantur opera quam vitæ totius anni, cum tamen eam varii interpellarint fortunæ caſus. Illas ob cauſas peculiari nomine الفاخرة *Glorioſa* appellari meruit; à quo gentile الفاخوري eſt. Neque diſſiderem à Viro docto & exacto, dumque viveret mihi amiciſſimo, Wilh. Schikardo, qui in Tarich ſuo, pag. 179. Bocharam cum regiis Bactris eandem facit, niſi hæc citra Oxum quærenda eſſent: uti Annotatione proxima diximus. Bochara vero ultra eundem ſita eſt plus quam diurni itineris intervallo.

 Eam

Eam circumjacent amœnissimi horti, arces, villæ, pagive: رساتيق, *vicos agrosve suburbanos* xv. memorat Abulfeda. quæ omnia continuo xii. parasangarum muro cinguntur: qualis & in Samarcanda & aliis Transoxianæ urbibus forma visitur. contra Scythicarum gentium, quæ prope habitant, incursiones eam esse usurpatam puto. Sed partem eorum, quæ diximus, urbi magis propriam, murus alius ambit, una in longum & latum parasanga, intra quem & tertius est ipsius civitatis murus, bene munitus. Qui ab oriente sibi appositum habet castellum, quale in illis tractibus قهندز *Kohundiz* vocari monui; & suburbium, per quod fluvius labitur صغد *Sogdus* nomine, hortos & agros rigans, multasque incolis præbens commoditates. Sogdum vero cognominem provinciæ Sogdianæ fluvium, una cum cæteris aquis, ex montosa ac frigida Ferganæ parte, البتم *Butum* nominata, ix dierum itinere à Bochara, promanare tradunt. Is Samarcandam præterlapsus, quæque hinc 37 parasangas abest Bocharam, & diversimode ab accolis carptus, infra eam, ad sextam fere parasangam, reliquias suas effundit in locum سام خاس *Sâm-châs* dictum, in finibus oppidi بيكند *Bikend* prope aliud فربر *Ferebr*, ubi ex Transoxiana in Chorasanam transiri solet. Utrinque à Sogdi latere cultissimi horti extant, ultra eos fertilissima arva, & ulterius virentia prata: quo toto tractu nihil in Oriente amœnius spectari testantur Geographi; atque ex quatuor Tempe, de quibus pag. 120 & 121 mentionem fecimus, hæc ceteris præhabenda. Uti Balchum tempore Osmanis Chalifæ expugnatum fuit; ita ejusdem filio سعيد Saîdo duce, imperante Muavia, cum Arabes trajecissent Oxum, & profugassent quos Bocharæ regina, خاتون *Chatûn* dicta, vicinos Scythas ad auxilium convoca-

vocaverat, potiti sunt Bochâra: quod 55 anno Higiræ factum esse refert Jacutus.

81 هراة *Herà* (non *Hira*) sive *Herât.*] Persæ etiam هري *Heri* dicunt; de primariis Chorasanæ urbibus una, occidentalior Balcho australiorque, sub longit. nempe ab Inf. Fortunatis, 94, 20′, & latit. 34, 30′. Testis est Abulfeda æquali XI dierum itinere distare & à Segistân, & à Nisabor, & à Chovarizma, locis tribus celeberrimis: quorum primus antea memoratus fuit, duo alii post exponendi venient. Plures etiam ille urbi Herât ditiones tribuit sive præfecturas: qualia sunt oppida كروخ *Keroch*, مالين *Malîn*, خرجرد *Chargerd*, atque ei præsidens بوشنك *Bouxengh*, Arabibus بوشنج *Bouxach* & فوشنج *Fouxach.* Quod quidem oppidum alluit fluvius, XVII inde ad aquilonem parasangis delapsus juxta metropolin Herât. Ab hac duabus pararasangis mons abest, è quo molares aliique lapides excidi solent; in ejusque jugo celebre est آتشخانه *Pyræum*, fanum Magorum, سرشك vocatum. Urbem à quodam بهلوان *Athleta* (sic antiquos heroas suos Persæ vocant) نريمان *Nerimân* dicto, conditam esse, & ab Alexandro instauratam ac velut de novo exstructam tradit Hamd-alla Cazbinensis in Historia Naturali, quam Persice conscripsit Arabica inscriptione نزهة القلوب *Oblectamentum animorum.* Prædicatur etiam validum ejus castellum, proprio شميرم *Xemîrem* nomine. Armis, artibus, opificiis, literis excellere incolæ solent; & Sunniticam profiteri sectam, à qua Persæ abhorrent. Tota vero provincia, ربع هري alias Hamdallæ laudato supra autori dicta, fervidiore licet illustretur sole, saluberrima tamen & facili aëris temperie gaudet. Rei causam pandit vulgare hoc dictum:
لو جمع تراب اصفهان وشمال هراة وماء خوارزم

في

خوارزم في بقعة لا يقبل ان يموت الناس ابدا
Vna si regione jungerentur terra Isphahanæ, borealis Heratæ ventus, & aqua Chovarizmæ; non contingeret homines, ejus incolas, *unquam mori*. Minime autem dubitari poteſt, quin hæc veterum ſit Aria, quam Bactrianæ & ſuccingenti eam monti conterminam optime deſcripſit Strabo libr. XI. Utrinque ipſa conveniunt provinciæ nomina; & ſicuti Ariam perſecat Arius amnis, ſic & هراة ſive هري noſtram هري روذ *Heri fluvius*, ipſi Provinciæ cognomines: quam & à borea perflari, tanquam ſingulare quid, notat libr. XXII. Marcellinus. Ariam urbem ab Alexandria in Ariis conſtructa, ne quis fallatur, Ptolemæus aperte diſtinguit. Nullam ornamentis & hominum frequentia illuſtriorem in tota Choraſana ſpectatam ſibi fuiſſe ſcribit Jacutus, qui anno Higſræ 614 hanc civitatem perluſtravit. Ita ut tunc optime in eam quadrare videretur Perſicum hoc diſtichon:

گر کسي برسد ترا از شهرها خوشتر کدام
در جواب ار راست خواهي گفتن گو هري
اين جهانرا همچو دريا ملك خراسان صدفست
در ميان آن صدف شهر هري چون گوهري

Si quis te interroget quænam urbium pulcherrima,
reſponſurus ſi verum dicere cupias, dicito: Aria.
Huic mundo, velut mari, regnum Choraſanæ concha eſt,
in medio ejus conchæ urbs Aria eſt unio.

Elegantiam paranomaſiæ ſpecta in گو هري Gou Heri & گوهري Geuheri: quæ tres voces ſonant; *dicito, Aria unio*. Sed quadriennio poſt, anno 618, eandem urbem Tatari fœdiſſime vaſtarunt. Tantum priſtini decoris tamen ſub Perſarum regibus poſtea recuperavit illa, ut integro volumine deſcripta ſit à cive ſuo غياث الدين, *Gajato-din*, cognominato خواند امير, vulgo *Mir-chon-*

chondum dicimus. Qui Historiæ Orientalis opus suum, x. voluminibus Persica lingua disertissime conscriptum, appendice illa, ceu pietatis quodam in patriam symbolo insignitum posteritati consecravit. Potentissimum nunc ibi exercitum alere solet Persarum rex contra Uzbekiorum irruptiones. Est quoque aliud hujus nominis oppidum in Perside, prope اصطخر *Persipolim*; sed quod obscurum est & minus cognitum; nec etiam ad hoc Clima pertinet. Ab utroque هراة fit nomen gentilitium هروي Heravîjon *Ariensis* vel *Arius*.

امویة. *Ommavia*, lege *Amouvía.*] Hæsi aliquandiu, fateor, quid hoc loci esset, donec ex Abulfeda cognoverim urbi populosæ آمل *Amol* prope à mari Caspio sitæ, quam Taberistanæ seu Mazendaranæ adscribit, cognominem esse aliam; quæ adjacens Oxo discriminis ergo etiam vocetur آمو *Amòu* & آمويه *Amovía*. Nimirum prioris urbis, quam in طبرستان provincia *Taberistân* exhibet, descriptioni subjungit hæc verba: وآمل ايضا مدينة في غربي جيحون في سمت بخارا من نهر جيحون نحو ميل وبعضهم يسميها آمو اختصارا ويضاف فيقال آمل زم وآمل الشط وآمل جيحون وكلها واحدة, *Est Amol quoque urbs in occidentali parte amnis Gieihoun* sive *Oxi*, *in eodem tractu cum Bochara*, *ab fluvio Gieihoun uno circiter milliari distans. Quam quidam eorum contracta voce Amou vocant: atque etiam cum Adjecto dicitur Amol Zemmi*, quod vicinum ab oriente est oppidulum Chorosanæ, *& Amol ad Fluvium*, nempe *Amol ad Oxum. Et* hæc *quidem omnia* unum idemque sunt *oppidum*. Tum quoque in prima Geographiæ suæ parte, ubi de Fluminibus agit, ex Ibn Haukel tradit, Oxum, qui ex montibus Badachxân originem capit, aliis fluviis rivisque auctum uno alveo

occaſum inter & ſeptentrionem procurrere per fines Balchi, ſive Bactri; & hinc ad celebre Tranſoxianæ emporium Termid ſeu Tirmid, quod in orientali extat ripa: tum inflexo in occaſum auſtrumque curſu, tendere ad oppidulum Zem ſeu Zemmum, atque hinc repetito priori tractu fluere الي آمل الشط *ad Amol qua ad Fluviũ* dicitur. Additq; Abulfeda وفي رسم المعمور اسمها اموية *Et in deſcriptione Orbis,* hic libri Geographici titulus eſt, quem ſæpiſſime allegat, *nomen Amovia habet.* Ac inde porro idem amnis pergit ad خوارزم *Chovarizmam*; de qua dicendum erit in Climate quinto. Atque ita fit, ut quemadmodum Arabibus Gicihoun ſeu Oxus ab urbe, quam præterfluit, نهر بلخ *Flumen Balchi* dicitur; ſic ab Amou urbe, per cujus proxima labitur, Perſis آب اموية *Aqua Amoviæ* indigitari ſoleat: id Hamdalla docet, & ipſo uſu comprobat Mirchondus, ſupra memorati Scriptores. Et quoniam etiam prior illa urbs Amol quarto ſubeſt Climati, quod nunc explicamus; de ea notare ex Abulfeda libet, eandem Taberiſtanæ ſeu Hyrcaniæ *urbem primariam* haberi: قصبة inquit, quam vocem Camuſius per مدينة او معظم المدن interpretatur; atque ita vetuſtiores uſurpant, quãvis recentiori ac vulgari uſu nunc minorem fere urbem & oppidulum deſignet. Hæc vero tanta proventus copia intra ſe abundare dicitur, ut obſidionis tempore ſuſtentare ſe poſſit, inquit Hamdalla. Aër tamen pro ratione ſitus ferventior incommodum parit. A طهمورث *Tahmorts*, antiquiſſimæ & primæ ſtirpis rege, conditam eſſe urbem Perſæ ſcribunt. Ab oppido شالوش *Xalûx*, ad littus maris Caſpii ſito, novem abeſt paraſangis. Ei natalia ſua debet clarus ille in Oriente Hiſtoricus ابو جعفر ابن جرير الطبري, *Abu Giaphar Attáberi*, ab ipſa provincia Taberiſtân ita cognominatus,

cujus

cujus initio Historiæ Sarac. mentio fit, quique eadem testante diem obiit anno 310 Higsræ.

مروروذ *Mervaruda*, seu *Mervvaroud*, & Arabico more مرو الروذ cum Articulo.] Celebre Chorasanæ oppidum, in longit. 97 grad. & latit. 37 ½ situm, juxta præcipuos auctores; & quidem in plano, ad fluvium satis magnum, uberi solo salubrique aëre fruens. Tribus inde ad occasum parasangis mons est, unâ arx nomine احنف ad viam, quæ Balchum ducit. Vox autem Merw Arabice *silices igniarios* notat, & *albos* tantum, teste Jacuto: qui monet, ejusmodi tamen nullos reperiri in toto isthoc tractu. Vernaculum hoc & proprium est nomen; روذ autem Persis (cum ذ scribunt Arabes, quia ipsis peregrina vox est,) *fluvium* signat: ita ut proprium huic urbi nomen sit *Merva ad Fluvium*; quamvis generale nomen ceu proprium hic censeri videatur ab Abulfeda. Fluvii adjecto urbs hæc distinguitur ab alia Merwa, quæ parasangis quinque à priori abest septentrionem versus, absolute dicta مرو *Mervva*, vel etiam cum epitheto مرو شاهجان, vel Arabice, uti ante, مرو الشاهجان *Merva Xahigiân*, composito ex duabus vocibus Persicis شاه & جان, ac si *regis animam* dicas: quia regum esse delicium solebat; utpote alteri magnitudine structuræ, elegantia & ordine longe præcellens, quin vix alteri in Chorasana cedens. Exquisita etiam fructuum genera ferebant horti, circumjacentibus expetita locis. Multum à montibus remota est & aprica. Duo fluvii زريق & ماجان, uti Jacutus habet, at alterius Merwæ fluvio minores, proxime labuntur, magno agri totius & urbis commodo, quam plures eorum rivi ductibus diversis secant. A prioris Merwæ, de qua hic Autor noster, nomine gentile fit مروروذي *Mervvaroudìjon*, & مروذي *Meroudìjon*

roudijon; à poſterioris voce مروي *Mervarijon*. & irregulariter مروزي *Mervazijon*, prout & alias in ſimili derivatione litera ز aſſumitur. Merwarenſes utrinq; multi doctrinæ fama clari extiterunt. In longitudinum & latitudinum tabula Perſica, additur *Mervvarudam* vulgo مرغاب *Margâb* vocari, quod Perſis *amœnum aqua locum* denotat; una parte مرغ cum مرو, altera آب ſignificatu ſuo cum رود, conſentiente.

مر *Mera* ſeu *Mer*.] Tale Geographicum nomen nec auditum mihi unquam fuit, nec lectum. Occurrit quidem in Jacuto مراة *Merâ* ſive *Merât*, ſed quod nomen pagi eſt pertinentis ad مارب *Marab* ſive *Mariabam*, Arabiæ felicis: de qua in hiſce Notis pag. 86, cujuſque incolas profligatos ſcribit per سيل العرم, de quo pag. 86 & 87. Itaq; planiſſima res eſt, pro مر *Mer* hic legendum eſſe مرو *Merva*, unica litera و repoſita, quæ toties repetita ante, cum & eadem ſequi deberet, in hac voce à librario facile omiſſa fuit. Diximus autem pag. proxime præcedente, abſoluto Merwa nomine intelligi illam, quæ etiam vocis Xahigiân additamento inſignitur, atque ibi deſcripta fuit. Eam, vel ſaltem arcem, regis طهمورث *Tahmorts* opus eſſe Perſæ tradunt: quidam vero, id ipſum ab حماماي .Giamâmi, filia Ardexîri fil. Iſſendiâri muro cinctum. De hiſce regibus conſulere licet, cui integrum, Petrum Teixeiram, qui hiſtoriæ Perſicæ ſummarium ex Mirchondo Hiſpanice in lucem emiſit. Poſterioribus temporibus rex سنجر ملكشاه السلجوقي *Sengiar Melicxâh Salgucides* ex ampliſſimo multiſque oppidis florenti, quo potiebatur, regno hanc præ ceteris Mervam pro ſede regia delegit vitæ & morti: ubi & fornicato celſoque opere magnifica illi conſtructa eſt ſepultura. Noti veteribus, Græcis & Latinis, atque memorati in Margiana Marucæi, & Maruca urbs,

urbs, quam esse eandē cum Merva præter nominum affinitatem arguit ipsa locorum ratio. Præclaras in urbe hac tres bibliothecas publicas sibi visas & lustratas fuisse refert Jacutus; quarum una duodecim millia voluminum contineret.

سرخس *Sirchas*, secundum plerosque *Serchas* seu *Sarchas.*] Chorasanæ quoque oppidum, in plano situm, inter dictam proxime Merwam & dicendam mox Nisabour: uti ex Ibn Haukel testatur Abulfeda. Quinque dierum itinere ortum inter & meridiem ab Herât sive Aria abesse inquit Geographus Nubiensis; à نسا *Nesa* ad austrum 27 parasangis alii. Urbem esse magnam & vetustam, à conditore Serchas fil. Chodrer, cui Persarum rex كيكاوس *Caicavûs*, hanc donaverat regionem, id nominis accepisse tradunt. Tum etiam salubrem illi aërem esse; solum natura quidem fœcundum, sed vix ullam adesse fluentis aquæ copiam: nam aliquo tantum anni tempore reliquias quasdam Arii amnis, de quo supra, affundi; aliam, qua porro opus sit, aquam à pluvia esse vel ex puteis peti, tam extra quam intra urbem. Ideoque circumjacentem agrum cumprimis constare pascuis camelorum, in quibus incolæ magnum opum suarum partem positam habent. Ex iis quidam eruditione clari, quorum nomina & scripta recenset Jacutus.

طوس *Thusa*, proprie *Thûs* seu *Thoûs.*] Urbs Chorasanæ inclyta, quæ tamen ad satrapiam urbis Nisabour sequentis refertur: quippe quo ab urbe Thûs regni Chorasanici sedes translata fuit. A Nisabour parasangis duodecim distat; juxta alios itinere trium dierum: sub longit. 92 grad. latit. 37, communi fere omnium Astronomorum & Geographorum consensu. Hæc vero urbs gemina est; major طابران *Thaberân*, minor نوقان *Noukân*

dicitur. Et quia utraque videtur esse bifida; factum fuit, ut Thusam ex quatuor oppidis constare nonnulli scripserint. Gentilitium cujusque nomen طوسي *Thusius* sive *Thusanus* est: quamvis à majori solo oppido etiam peculiare طبراني *Thaberanijon* fiat. Quod alioquin recentiores fere usurpant pro gentili à طبرية *Tiberias* Galileæ. Altos validosque Thusa muros habet, ædificia magnifica, & templum operosum, quod cum annexis & area integrum complecti milliare tradidit Jacutus. Ille & ingenti celsitudine & soliditate arcem describit, quæ media fere inter Thusam & Nisabour via extans, porticus, cubicula, horrea, aliasque structuras contineat prorsus admirandas. Et Thusensium opinione conditam esse ait ab حميري *Himjarao* quodam sive Omerita Arabiæ felicis rege, qui peculiari nomine تبابعة appellati sunt, tunc cum per illas Orientis partes feliciter bellum gessisset. Cum nobilitata sit Thusa multorum civium suorum ingenio atque doctrina, inter quos quidem nobis cogniti duo sunt, Algazâlis & Nasiroddinus, editis quadam apud nos parte scriptis suis: tum etiam sepulturis gloriatur duorum principum; nempe Chaliphæ, Abbasidarum quinti, Haronis Raxîdi, fil. Mahdis, de quo Hist. Sarac. lib. 2. cap. 6. & Antistitis sive Imam Alis, fil. Mousæ, fil. Giafar, de quo lib. ejusdem cap. 8. Ibn Haukel & alii asserunt, hæc monumenta existere revera extra urbem. Erat ille Alis, fil. Mousæ ex duodecim unus, quos hodie Persæ summos venerantur Antistites, ut vocant; ex Ali, Muhammedis genero & patrueli, quiq; propterea à magna Muhammedanorum parte pro legitimo habitus fuerit Muhammedis successore, continuata fermè serie prognatos. Hujus rei causa Abbasidæ Imperatores Alis nepotibus infesti erant: attamen

tamen Almamon, Haronis Raxidi filius, erga eos benevolentiam præ ſe ferens, eundem Alim Mouſæ fil. Medina evocatum inauguravit imperii conſortem, cognomento الرضي *Arradium*, quaſi *Gratioſum & placentem:* Riza enunciant Perſæ. Quem tamen poſtea in urbe Thûs clandeſtino veneno ſuſtuliſſe creditur, & prope à ſepulchro patris ſui ſepeliri juſſit; ut allegato poſtremum loco videre licet. Id quidem in pago سناباد *Senabâd* vocato, qui uno ab urbe milliari diſtat, factum fuit. Quem locum poſtea سوري بن المعتز *Sauris fil. Almotezzi*, qui Regis محمود الغزنوي *Mahmoud Gaznavæi* tempore urbis Niſabouri atque vicinæ Thuſæ præfecturam gerebat, eximia multiplicique ſtructura exornavit. Ex quo autem, hodie imperantes Perſarum reges dominari cœperunt, quod ſub Xah Iſmaël contigit circa annum Higſræ 893, tanta amplitudinis & ſplendoris acceſſio facta fuit, ut idem ille locus cum urbe Thuſa coaleſcens caput extulerit inter omnes Choraſanæ urbes, evaſeritque metropolis totius regni: & obliterato velut antiquo & Pagi & Urbis nomine, مشهد *Mexhed* (hoc eſt *Μαρτύριον*, prout hæc vox locum quoque denotat & مشهد مقدس) *Martyrium ſanctum* abſolute appellata fuit. Namque reges illi à ſupra memorati Arradii ſive Rizæ patre موسى كاظم *Mouſa Cazim*, Antiſtite ſeptimo, genus ſibi vendicantes, eundem locum pro familiæ ſuæ & religionis ſacrario habent; atque ab omnibus veneratione quadam coli ad augendam imperii majeſtatem facere arbitrantur. Ideoque etiam ſecundum ab hac Urbe dignitatis & excellentiæ gradum in Choraſana obtinet Aria, quæ illi contra infeſtam Scytharum ſive Tartarorum gentem Uzbekios præſidio eſſe & munimento debeat: ita uti

ſupra quoque, cum de Aria verba faceremus, diximus. Cæterum, ut Thuſæ regionem quoque olim bene cultam fuiſſe & populoſam conſtet, pagos vicoſque circiter mille attribuit illi Jacutus, qui ante annos 400 ſcripſit: at ubi ſequentis etiam Neiſabouri agrum ſimul ab ipſo comprehenſum eſſe quis forte opinetur.

نيسابور *Niſabor*, vel juxta alios *Neiſabour.*] Perſæ fere per ش ſcribunt: recentiores quidam نشاور *Neshavvor* dixere. Inter illuſtres celebrata Choraſanæ urbes, ſita eſt in planicie, tribus ſtationibus ab urbe Thus, 30 minutis magis ad occaſum, 41 minutis magis ad auſtrum vergens; prout Naſiro-ddinus Thuſanus, aliique iſtorum tractuum Aſtronomi teſtantur. A Sapore fil. Ardexîr Babecân, Perſarum rege, conditam memorat Jacutus; cum placuiſſet ipſi locus, quem meræ arundines occuparent. Inde & Nei Sapour, id eſt *Arundinetum Saporis* appellata fuit. Etiam alias Saporis nomine inſignes urbes cognoſcere licet ex Notis pag. 115. Attamen Hamdalla longe eam antiquiorem facit, à primis ſtructam regibus; quæ cum collapſa eſſet, à Sapore illo tantum reſtaurata fuerit. In quadras, qua latrunculorum alveus forma ſpectatur, diviſam eſſe, & XV M. cubitorum muro circumdatam addit idem Auctor. Ab alio Sapore cognomento ذو الاكتاف, id eſt *Potens ſcapularum* (de eo conſule eruditiſſimas notas V. Cl. Eduardi Pocockii in Specimen Hiſtoriæ Arabum, pag. 68.) qui validum adjecerat caſtellum, Choraſanæ totius regia conſtituta fuit. Neque id ſine cauſa factum, quoniam omni proventus & commodi genere per ſe abundans, à confluenti undique mercatorum atque peregrinantium multitudine frequentaretur; velut دهليز المشرق, ut inquit Jacutus, *Veſtibulum Orientis.*

Alias

Alias tamen Balcho & Mervæ ab aliis regibus idem honos habitus fuit. In Muhammetici imperii potestatem venit anno Higfræ 31, Chalifatum tenente Osman Ibn Affân, duce عبد الله بن عامر, qui ibidem Templum exstruxit. Anno ejusdem Epochæ 548 cum الغز *Gorritæ*, Turcarum sive Scytharum genus, trajecto Oxo ad bellum provocassent Orientis regem سنجر معز الدين بن ملكشاه *Séngiarum fil. Melicxah*, atque captivum abduxissent, Chorasanam populantes hanc quoque urbem direptis opibus necatisque civibus vastarunt. In libertatem vindicato sive reducto rege, priori etiam illa decori restituta fuit. Sed anno 605 terræ motu percussa & magnam partem collapsa, atque reædificata, 13 annis pòst majus quam ante excidium passa fuit à remotioribus Orientis Scythis, qui Tartari dicebantur, duce imperatore suo جنكيز خان *Tgingîz Chân* in reliquum effusis Orientem. Eam nihilominus postea prioris formæ suæ Imaginem recuperavit, ut ام خراسان *mater* sive *metropolis Chorasanæ* appellari meruerit. Per subterraneos ductus tubulosque ex montibus vicinis derivata in urbem aqua fontes, lacusque & castella implet, atque privatorum ædibus inservit. Mons alter duabus ab ortu parasangis sublimis extat, alter longius abest ad septentrionem: rapidum inde fluentum exit; amplus hinc fons promanat lacus forma, circa quem ædificia habitantur multa, plurima coluntur arva laudatissima. In iisdem montibus venæ sunt lapidis فيروزج dicti, nempe *Boreæ* sive *Turkini*. Ibidem & planta celeberrima, at Europæis desiderata quidem & incognita, ريباس *Ribesia* lætius nascitur, quam in Libano monte, aut alio quocunq; loco. Utique genus utrumque, tum gemmæ illius, tum plantæ, نيسابوري *Neisaboricum* ceteris longe præfertur omnibus.

جرجان

جرجان *Georgiana*, vel *Giurgiana.*] Cognominis provinciæ & ſeparatæ oppidum primarium, vel, ut Hamdalla inquit, ex VII. Mazenderanæ تومانات *Nomis* ſive *ditionibus* unius, quæ Giurgiana dicitur, regia ſedes. Alii ad Taberiſtanam, quidam ad Chovarizmiam referunt, nonnulli ad Choraſanam. Itaque omnibus collimitaneam, & ab iiſdem diſtinctam cum Abulfeda ſtatuunt Geographi complures. Eſt autem montoſa regio, at commodas quoque planicies complexa: adeo quidem ut generis utriuſque, & quod umbroſa & quod aprica terra, aut ſubfrigido & calidiori cœlo gaudeat, fructus copioſe ferat: Arabibus illi فواكه النجد والغور item فواكه الصرود والجروم vocantur. Præſtans quoque ſericum, acceptæ tincturæ tenaciſſimum abunde largitur, & ad alias regiones mittit; ſicut & ipſa bombycum ſuorum ova. Giurgianæ ad ortum adjacet deſertum, quod uſq; Chovarizmiam excurrit: atque ab orientali hac ſua extremitate littus Hyrcani maris, cui propinqua eſt Giurgiana, inflectitur ad ſeptentrionem. Quare uti ab aliis vicinis locis mare hoc nomina quoque habet alia, ita & hinc بحر جرجان *Mare Giurgianum* dicitur. Urbs vero ipſa, quam à rege Melicxâh ſtructam eſſe, & VII mille cubitorum muro circumdatam refert Hamdalla, à Saïd Ibn Alis, Giurgianenſi, ſubjicitur long. 90, 10′, & latit. 38 grad. minutis aliquot orientalior & ſeptentrionalior ipſo maris portu آبسكون *Abuſcoun* dicto. Inde ab Iraca (id eſt Aſſyria aut Parthia) nullam occurrere urbem ait Jacutus, quæ Giurgianam elegantia, aut, ſi amplitudo ſpectetur, hominum frequentia ſuperet. Indigenæ etiam ipſi ob fortitudinem, plurimi quoq; ob eruditionem à Scriptoribus laudantur; quorum memoriã celebravit حمزة بن يوسف السهمي in ſuo Giurgianæ Chronico. Eſt quoq; ibi مزار *Sacer tumulus* ut

ut ajunt, sexti ex Alina familia, de qua supra p.168 & 167, Antistitis, nempe الامام جعفر الصادق, Imâm Giafar Assâdic, fil. Muhammedis, fil. Zeino-l,abidîn: qui locus multa religione coli solet. Quapropter & plerique incolæ شيعة *Xeiita* sunt, id est *Sectatores Alis*, illi unice addicti & devoti. Porro gemina est urbs ipsa, duabus partibus constans; quarum una communi nomine مدينة *Civitas* appellatur, altera nomine proprio بكراباذ *Becrabâd.* Dividit ambas rigatque cognominis etiam fluvius Giurgianus, uti Hamdallæ dicitur: ab extremis Mazenderanæ montibus origine sumpta per valles & campos ad hanc urbem pertingit, & non longe post in mare se effundit. Sarneum esse Strabonis, qui solitudinem ab Hyrcania dividit, qua iter est ad ortum Solis & Ochum, uti libr. XI prodidit, mihi quidem non improbabile videtur. Neque hoc etiam, duas urbes Margianæ Bactrianam ab occasu terminantis, Gurianam & Nisæam, sive Nesæam, ut Strabo habet; quas Ptolemæus lib. 6. cap. 10. describit, easdem esse cum نسا *Nesa*, urbe Chorasanæ solitudini proxima, & quæ hinc in occasum vergit nostra Giurgiana. Validum in eadem provincia murum duxisse legitur فيروز ساساني rex Persarum *Feirûz* sive *Firûz Sasanides*, contra اهل توران *gentes Transoxianas*, nempe Scythas. Non tamen evadere illa aut urbs ipsa potuit Scythicæ illius Tataricæve tempestatem vastationis; quæ circa annum Higsræ 620 Asiæ incumbens, tali eandem ruina oppressit, ut postea vix ad aliquam resurrexerit prioris fortunæ sortem.

قومس *Comus*, potius *Comes* vel *Comis.*] Persæ كومش dicunt, provincia in Taberistanæ montiumve ejus laciniæ, ut Jacutus loquitur; simulque juxta Abulfedam media inter Chorasanam & الجبل *Regionem montanam*

id

id est *Parthiam,* utpote monte Tauro ex parte cinctam. *Parthiæ* vero, *quæ à Media ad Ariam protenditur, pars una est,* inquit Ptolemæus lib. 6. c. 5, *Cominsine* (*Camisene* Straboni, aliisque rectius *Comisene,*) *pars altera vero Choroane.* Quibus quidem vocibus hanc nostram Comis & Chorasanam, ejusve primam saltem portionem, designari circumstantiæ ostendunt. Continetur autem regio Comis sive Comisene, Abulfeda teste, inter duo extrema oppida, quorum unum ab occasu Solis extat, سمنان *Simnân* vocatum; alterum, quod eo majus est, ab ortu Solis, nomine بسطام *Bistâm*, sive secundum alios *Bestâm.* In medio maxima, & velut metropolis sita est دامغان *Damegân:* quam longitudini 89, 30′, & latitudini 36, 30′, subjicit Saïd Ibn Alis Giurgianensis; & à modo explicata Giurgiana quinque stationum intervallo removent Ibn Haukel & Geographus Nubiensis. Eadem urbe Damegân australior triente gradus ponitur Simnân, occidentalior semisse: & tam prope ad ditionem ري *Rey* accedit, ut sub eadem censeatur à multis. E contrario Bestâm perhibetur septentrionalior quam Damegân 20 minutis, & 5 orientalior, atque ab ea bidui itinere abesse, proxima à limine Chorasanæ. Quod ad metropolin Damegân attinet, eam quidem in planicie sitam circumstant montes, atque ex illis manantes aquæ rigant: licet ex quorundam fide ipsam urbem paucæ. Ex monte uno rivos fere æquales plus minus centum in totidem agros emitti scribit Jacutus, quam الماء الكسروي *Aquam Chosroïcam* vocant. Alibi diversa salis, chalcanthi, & sulphuris genera nascuntur: quin etiam aurum. Illic & pagum esse inquit قرية الحدادين, alioque nomine عجان dictum; prope quem rubicundæ aquæ & sanguini simillimæ fons est, quæ argentum vivum

vum in duram brevi tempore petram convertat. Nec mirum, bene aquatam hanc Comisenæ provinciam fœcundis abundare arvis & fructiferis hortis: quorum in primis mala, tum ab ipsa Comisene, tum à Damegân & Bestân denominata, &, velut singulare quid, in Parthiam deportari solita, Geographis memorantur.

طبرستان *Taberistâna.*] Montosa regio, & mera fere sylva, aquis ex editiore parte per planiorem effusis irrigua. Ab urbe Parthiæ Cazbîn in Orientem, at declinando ad Septentrionem exporrigitur: ab Occidente conterminam sibi habens planam كيلان *Gilani ditionem*, & montosum ديلم *Deilemi* tractum, ab Oriente Comis sive Comisenam; in cujus limitibus oppidum est Taberistanæ fere cognomine طبران *Toberân*; ita uti testis est Jacutus. Est etiam, quo ex Taberistân in Gurgiân unica ducit via, extremum ab ortu Solis oppidum طميس *Thamîs*, sive طميسة *Thamîsa*: cui in occiduo provinciæ limite maritimum oppidũ Xaloux, (seu juxta Abulfedam Salous) opponitur; cujus pag. 182 facta est mentio. Intervallum inter utrumque terminum Abulfeda definit parasangis XL. Taberistanæ respondet Veterum Hyrcania, montibus quoque ac sylvis constans. Et sicuti Hyrcaniæ nomine totam à Media usq; ad Oxi ostia plagam signant Ptolemæus & Strabo: ita etiam Taberistanæ notio sæpe Comisenam quoque & Gurgianam comprehendit. Dicta autem Taberistana Persis, quod Arabibus sonaret ناحية الفاس, ait Abulfeda, *Regio bipennaria:* nam طبر *Taber* illis bipennis est, qua arbores cæduntur, & استان *Istân* locus, regio: sive quod transituræ per eam turbæ bipennibus opus sit ad pandendam viam; sive quod instrumenti genus hoc incolæ fere omnes, divites æque ac pauperes, inquit Jacutus, etiam pro armis gestare,

ſoleant. Eſt tamen Taberiſtanæ pars quædam interior, infra montes in planum exporrecta uſque mare: quod etiam à tota hac provincia Arabibus Taberiſtanicum, uti Græcis & Romanis Hyrcanum ab Hyrcania appellatum fuit. In planicie quidem præter duo dicta modo extrema oppida, Xalous & Thamîxa, occurrunt ab Occaſu procedenti in Ortum hæc fere antiquiora alia; in extremitate quoque ناتل *Natil* ſive ناتله *Nátila*, 5 à Xalous paraſangis, & 4 ab آمل *Amol* Taberiſtanæ hujus planæ metropoli diſtans. Amol autem in longit. 87, 26, & latit 36,15, locant melioris notæ Geographi, eique proximum magnitudine oppidum ساري *Sari* ſive *Saru*, vel ساريه *Saria*, plus ſemiſſe gradus auſtralius, minus ſemiſſe gradus orientalius, quam Amol; nonnunquam pro regia ſede habitum. Utriuſque ad mare navale eſt عين الهم *Ain Alhummi*, ſive ſimpliciter الهم *Alhummo*, prope quod fluvius Amol exitum capit. Oppidum & aliud eſt, non minus Saria, eidem vero metropoli Amol vicinius, منطير *Menthîr* vel مناطير *Menathîr*. Deniq; Giurgianæ confine eſt استراباد *Iſtirabâd*, ſive, uti nunc fere efferunt, *Eſterabâd*. Altera Taberiſtanæ pars, quā montoſam diximus, ad Occaſum incipit à montibus arduis شروين *Xervîn*, aliiſque شرز *Xirriz* nomine, ambobus regioni Deilem & Gilân conterminis. Urbes montanæ antiqui nominis ſunt كلار *Kelâr*, quæ bidui itinere à ري *Rey*, tridui ab Amol remota , quæque huic parva ſubjacet سعيد اباد *Saïdabâd*, ceu *Saïdopolis*. deinde ſuccedit montani tractus maxima & metropolis رويان *Rouyan*, qualis Taberiſtaæ inferioris erat Amol, 12 à Gilan paraſangis diſſita: & poſt hanc Choraſanæ appropinquans urbs تمار *Tîmâr*. Denique Taberiſtanam eandem ab Ortu terminat دهستان *Dihiſtan*, quaſi *pagorum ditio*. Quando

vero

vero Taberistanæ nomen, simpliciter usurpatum, designat urbem, non alia intelligenda fuerit, quam dicta sæpius Amol: quod ex Geogr. Nub. Clim. 4. parte 7, perspicue patet. Contra, ut eadem Amol à cognomini alia secernatur, quæ ad Oxum locata, sæpe illi adjicitur nomen Taberistanæ. Plura de Amol habes pag. 181, & 182; quæ si lubet, Lector benigne, vide. Notandum porro, quod Jacutus diserte asserit, Taberistan alio etiam nomine مازندران *Mazenderân* dici, nec ullam esse differentiam, nisi quod posterius indigenæ vicinisque gentibus familiare sit & vulgo usurpetur; alioquin nullibi in libris sibi lectum esse. Geographus Nubiensis, sive, qui totius egregii Operis auctor est, الشريف الادريسي ex illustri Idrisitarum familia natus Afer, Jacuto vetustior, nuspiam, quod norim, nomen Mazenderân expressit. Abulfeda, posterior Jacuto, ubi de Amol, Saria, Isterabâd agit, quamlibet earum à quibusdam referri ait ad Taberistân, ab aliis ad Mazenderân: sic etiam Abisgoun juxta hosce ad Giurgianam pertinere, secundum illos ad Mazenderan; cum antiquiores omnes accenseant Taberistanæ. Ita ut plana hujus ante exposita regio, quæ inde ab Amol in Ortum protenditur, eo Mazenderân nomine, si quid peculiare denotet, insigniri videatur. E contrario recentiores, præsertim Persæ, nomine Taberistân vix unquam, & solo ferme Mazenderân utuntur, ad signandam, ut videtur, eandem Taberistanæ veteris planiorem partem; alteram, quæ montosa, communi montium nomine كهستان *Kuhistân* appellant, & per suas ditiones distinguunt. Universum vero tractum illum cum Gilanæo, qui sequitur, montibus & mari simul interjectum, nomine دارالمرز nunc indigetant Persæ. Montis Taberistanici terminos Abulfeda

 figit,

figit, orientalem quidem in longit. 88, latit. 35. occidentalem vero in longit. 76, latit. 36. Gentile autem à طبرستان nomen est طبري *Taberita.* Fluvii in tota regione duo fere tantum celebres exiſtunt, at navium impatientes. Quorum unus juxta urbem Amol decurrens, etiam ab ea nomen habet; alter vero per extremos ad Occaſum fines labitur, اصفرود *Iſſeroud* vocatus, in Mirchondi Epitome رود ديلم *Fluvius Deilemitarum* Perſice. Magna per Taberiſtân ſerici copia colligitur; magnus & orizæ proventus, quo ſe incolæ fere ſuſtentant: domos ex arundine & ligno, quibus abundant, conſtruere ſolebant, teſte Jacuto. Et ſicuti olim cum Taberiſtanæ ditionibus complures præeſſent, ſuo quiſque jure, reges regulive, vel Amol vel Saru præcipua regia fuit; ita iis ſubjugatis ævo noſtro Xah Abbâs, Perſarum rex, (nunc imperantis Abbaſi ſecundi proavus) in maris Caſpii littore, ad eandem Fluvii orientalem ripam, ad quam & duæ ſupra dictæ regiæ extant, arcem cum vico طاهان *Thahân*, ſive, ut Perſæ efferunt, *Thahôn*, aëris ſibi gratioris cauſa pro delicii in illo regno ſede regia delegit, & ædium millibus palatiiſque ornatam فرح آباد *Ferhabâd*, i. e. *Lætitiæ ſeu hilaritatis locum* nuncupavit: at ubi non ſemel, quos charos habuerat, regni vel aulæ miniſtros, necari juſſit necatoſque doluit. Etiam trium quaſi inde dierum itinere Auſtrum verſus, ſimile aliud اشرف *Eſhref*, quaſi *maxime nobile & Xeriſium*, nomine oppidum in montis latere exſtruxit: ubi, poſtquam 53 annos Perſis imperaſſet, anno Chriſti 1629 extremum clauſit vitæ diem. Et paulo minori ab eadem Ferhabâd intervallo, Eurum fere inter & Vulturnum, ex minoribus oppidis ſitum eſt فيروزكوه *Firuſcou*, à *Boreæ lapidis*, quem Turcoidem vulgo dicimus *monte,*

te, quod ibi ejuſdem gemmæ fodina ſit, appellatum. at genus præſtantius eſt Niſaboricum, de quo pag. 189.

ديناوند *Dinavenda*] & دنباوند *Dunbavend*, item دباوند *Dubavend*, *Debavend*, & دماوند *Dumavend*: tot enim modis ſcribitur vox & enunciatur ab auctoribus. Regio montoſa eſt inter Taberiſtân & Rey; de qua poſtea: quanquam Geographorum multi ad ipſam Rey pertinere velint. Unius enim diei tantum itinere ab ipſa urbe Rey diſſidet. Vicos populoſos, hortoſque multos & fontes comprehendit: atque in medio excelſum montem, quem cæteris tantum præeminere ſcribunt, quantum illi ſupra planiciem ſe extollunt. De eo ex مسعر بن مهلهل Poëta, qui quæ ipſe viderit deſcripſit, hæc prodidit Jacutus:

دنباوند جبل عال مشرف شاهق شامخ ويعرف بجبل البيوراسف لا يفارق اعلاه الثلج شتاء ولا صيفا لا يقدر احد من الناس يعلو ذروته ولا يقاربها وصعدت في الجبل حتي وصلت اذا الي نصفه بمشقة شديدة ومخاطرة بالنفس وما اظن ان احدا تجاوز الموضع الذي بلغت اليه يراه الناس من مرج القلعة والناظر اليه من الري يظن انه مشرف عليه وان المسافة بينهما ثلاثة فراسخ وزعم العامة ان سليمان بن داود حبس فيه ماردا من مردة الشياطين يقال له صخر المارد وزعم آخرون ان افريدون الملك حبس فيه البيوراسف وان دخانا يخرج من كهف في الجبل يقول العامة انه نفسه وكذلك ايضا يرون نارا في دلك الكهف يقولون انها عيناه وان همهمته تسمع من دلك الكهف واعترف دلك وتصدق وتاملت الحال فرايت عينا كبريتية وحولها كبريت مستحجر واذا طلعت عليه الشمس والتهبت

والعهبت ظهرت فيه دسار والي مجري تمر تحت الجبل
بحرفه رياح مختلفة فتحدث بها اصوات متضلدة
يظهر للمصغي اليها انه لغة انسي وذلك الدخان الذي
يزعمون انه نفسه بخار تلك العين الكبريتية ووجدت في
بعض شعاب هذا الجبل آثار بناء قديم وحولها
مشاهد تدل على انها مصانف بعض الاكاسرة وبالقرب
من هذا الجبل معدن الكحل الرازي والمرتك والاسرب والزاج

Dubavend ſublimis atque eminens quam maxime mons eſt, qui & Bojuraſphi mons dicitur, ob cauſam mox dicendam: hic Bujoraſph alias ضحاك Dohâc ſive Zohâc vocatur; cujus hiſtoria apud Teixeiram extat l.1.c.11. *Superiorem ejus partem non deſerunt nives hyeme nec æſtate*: quod ſi quando contigerit aliqua parte, in eodem regionis tractu ſemper ærumnoſi quid ſecutum fuiſſe, ex accolarum fide proditum. *Verticem conſcendere vel accedere haud quiſquam poteſt. Adſcendendo perveni ego ad medium ejus vehementi cum labore & periculo vitæ. neque ulterius quempiam eſſe progreſſum puto:* ſunt tamen, qui teſtantur, Jacuto referẽte, ſe longè altius enixos eſſe. *Montem hunc conſpiciunt homines ex Mergi-kala*, hoc eſt Prato Arcis, qui locus una duntaxat ſtatione abeſt ab extremo ad Boream Aſſyriæ limite, urbe Hulvân, poſt deſcribenda. Ex 50. paraſangarum ſpatio cerni montem narrat Ibn Haukel. *At qui ad illum ex Rey*, memorãdo poſt loco, *proſpectat, exiſtimat ſibi eundem deſuper imminere, cum tamen intercedant tres paraſangæ.* Et qui proxime ad jugum aſcenderunt, vicinos montes ajunt ſibi viſos fuiſſe collium inſtar, & mare Caſpium, quod 20. quaſi paraſangis inde diſtat, fluvii lacuſve exigui forma. *Opinatur vulgus Salomonem, Davidis filium, in monte hoc vinctum detinuiſſe*

nuisse contumacissimum diabolorum, Sachra Elmarid dictum, qui Talmudicis est אשמדאי Ashmedai: *alii verò à Pheridûn*, Metasthenis Pyrithidone, qui septimus imperavit Persis, *incarceratum hic fuisse*, sive catenis constrictum, *& suspensum tortumque Bujoraspum*, nempe Dohâc, Persarum tyrannum. Quam historiam, quod Dohâc quidem ingenii perspicacia, & naturalium rerum cognitione, Pheridûn justitia & benignitate excellens celebratur Persis, referre videtur Græcorum fabula de Prometheo, quem ad torturam in Caucaso monte Jupiter compedibus revinxit. Vide Strabonem l. xv. *Fumum è montis ejusdem specu quodam exeuntem* idem Persarum *vulgus ait esse halitum spiritumve Dohâki, & oculos ejus quē ibi conspicantur ignem; atque gravem illius ex hoc loco audiri murmurationem. Atque id pro confesso & vero habetur:* nam etiamnum vivere plebs stulta credit. *Sed ad rem ipsam adhibita attentione vidi sulphureum quendam fontem, & circum eum petræ simile sulphur, ubi orto supra eum & accenso Sole, appareret ignis:* veram esse ardentis sulphuris flammam ex aliorum testimonio tradit Jacutus; & foveas ejusmodi sive crateres, fumum exhalantes, in hoc monte complures esse. *Sub monte autem ad canalem quendam per latus ejus* (aut si legatur حرّة *propter incendium ejus*) *transeunt differentes venti; unde contrarii oriuntur soni; qui videantur auscultanti referre vocem humanam. Ad hæc fumus ille, quem Dohâki* fœtidum *esse halitum putant, nihil aliud existere quam montis sulphureas exhalationes.* Ita & ex Ali Ibn Zein Taberita refert Jacutus, lutei coloris rivum quendam, qui subter montē fluit, à Persarum vulgo putari Bujoraspi urinam esse. *Etiam in montis ejusdem tractibus vestigia reperi antiquæ structuræ, & circa eum monumenta quædam, quæ demon-*

strant

ſtrant illa eſſe opera Perſicorum regum. Ubi Bahmen, fil. Iſphendiâr, de quo Teixeira lib. 1, cap. XVIII, frequenter vixiſſe ex Perſarum ſcriptis tradit Hamdalla. *Prope ipſum hunc montem fodina extat ſtibii Reyani*, ſc. præſtantis generis, à Rey denominati, ad quam eundem referri montem diximus, *nec non lithargyri, plumbi, & chalcanthi.* Apud ſcriptores alios etiam thermæ memorantur. Adjicere de nive quædam ex Hamdalla lubet, qui de Dunawend ſive Dimawend monte agens, inter cætera ita inquit: ودرينجا برف بمرور زمان بر هم نشينى ناكاه مى كسلد ومردم را درزير مى كيرد وهلاك ميكند عوام درآن جاي نيامده كفتن ولا بهمن فرود ايد وغرض ازين معني انكه بسخن مشغول نبايد شد بزود ببايد كذشتن, *Et in hoc loco* (de ſuperiori montis clivo agit) *nix temporis tractu congeſta ſubito lubrica delabitur, & homines inferne prehenſos obrutoſque interimit. Populus in eum locum non venit, inquiens: utique Bahmen deſcendit. Cujus dicti ſententia hæc eſt, non oportere hic ſermone occupari quemquam, ſed propere eſſe tranſeundum.* Hiſce ſimilia prorſus (Sabaudi Eualanches, Itali Lavine vocant) in Alpibus & alibi contingere, quo tempore nives fundi ac lubricari incipiunt montium clivi, norunt omnes, qui ea adierunt loca. Utique mons hic Dunawend, & excelſus alter Armeniæ Maſius ſive Ararat, Tauri, ob vaſtitatem & amplitudinem ita dicti montoſi tractus, duo quaſi cornua cenſeri poſſunt.

قزوين *Cazvyn*] ſive قزبين *Cazbîn*, ut alii ſcribunt pronunciantque, Caſpio conſonum nomen, هو بلد من بلاد الجبل ثغر الديلم, *oppidum eſt Parthiæ, collimitaneum præſidium* montis ſive montoſæ regionis *Deilem*, ait Camuſii auctor & Abulfeda. Scilicet in plano ſitum eſt & arenoſo ſolo, dimidii quaſi diei itinere

nere prima acclivitate, qua boream versus pergitur ad illos montes, Tauri propaginem, seu Caucasi cum eo juncti; qui inde à Mengrîl i.e. Colchide, Gurgistân i.e. Iberia, & Media, per borealem Parthiæ & Chorasanæ tractum, ad Indiam, Imaum montem, & extremum protenditur Orientem. Urbis hujus Cazbîn longitudinem inde ab Insulis fortunatis esse graduum 85. statuunt Geographi & Astronomi plerique omnes, uti & latitudinem grad. 37. quam tamen diligens harum rerum scriptor Adamus Olearius, cum uno aut altero ex Orientalibus mihi cognitis, dodrante minuit, propria nixus experientia & observatione. Cæterum quæ fuerint ejusdem initia & incrementa, cognoscere operæ pretium erit, & num quid inde argumenti peti queat adstruendæ quorundam sententiæ, qui volunt Cazbîn esse memoratam Veteribus Arsaciam, ita Parthis dictam (Græcis Rageia vocabatur, juxta Strab. lib. XI.) ab Arsace, sive Scytha, sive Bactriano, qui Parthici imperii conditor fuit. Refert Hamdalla, laudatus nobis antehac auctor, patria ipse Cazbinensis, conditum istic loci à Persarum sive Parthorum rege اردشير بابكان شابور بن *Sapore Ardexîr Babecani filio*, qui ذو الاكتاف *Scapularius* cognominatur, castellum fuisse contra excursiones & latrocinia sævæ & indomitæ gentis Deilemitarum, in vicinis montibus degentium: de quibus paulo post pluribus dicendum erit. Fuit quondam castellum illud, ubi nunc medius est urbis vicus, quod tempore Osmân fil. Affani, III. post Muhammedem Chalifæ, expugnatum à Saracenis, militum & novorum incolarum multitudine increvit in oppidi formam. Imperante deinde Moûsa Alhâdi, de quo Hist. Sarac. lib. 2. cap. 5.

alterum illi oppidum accessit, quod Chalifæ nomine موسي مدينة *Mousæpolis* vocatum fuit: & aliud quoque adjectum à liberto illius Mubârec, natione Turca, quod inde المباركية *Mubarekiâ* & Persice مبارك اباد *Mubârec-abâd* nomen accepit. Tandem Haron Raxid, Chalifa, à quo ibidem eximium مسجد جامع *Congregationis templum* erat erectum, tria illa militibus & armis instructa cum vicis suis oppida, tum adversus hostes, tum ad ulteriores in Orientem expeditiones, uno complecti muro instituerat. Sed Imperatoris obitu interceptum opus atque imperfectum mansit: ac tale fere tempore nostri Alfragani fuit. Quod quidem postea, regnante Chalifa معتز بالله *Motezzo Billa*, موسي بن نوفا *Mousa Ibn Nousa* perfecit & absolvit. Sequentium vero temporum bellis, imprimis autem, cum per omnes Asiæ partes Mogolorum seu Tatarorum grassaretur vastatio, cum magna urbis parte murus ille dirutus fuit. Postea ab exitialibus iisdem fatis Cazbînum respirans de novo profecit, non restaurata tantum, sed etiam plurium gentium confluxu, publicis mercatorum diversoriis, foris, templis, balneis, aliisque commoditatibus amplificata, mercaturæ undique & quoquoversus exercendæ ipso favente urbis situ. Propinqui agri ubertate & commeatus abundantia gaudet; at flumine ac rivis caret, nisi quod parvus quidam ad ædis sacræ & potantium usum eandem transit. Reliqua autem aquæ copia, minus laudatæ tamen, ex vicinis montibus per subterraneos ductus in puteos complures defertur, ad quos fere per gradus eandem petituri descendũt. Illud structuræ genus Arabes & Persæ صهاريج

Saba-

Sahariẑg appellant. In eoſdem vicinos montes ad declinanda æſtivi æſtus incommoda fixis migrare tentoriis magnates & opulentiores conſueverunt. Poſtquam propinquæ Mediæ urbs تبريز *Tibrizium*, ubi Sophiani Perſarum reges, ex patria urbe Ardebîl tranſlatam, habebant ſedem, à Solimano, Turcarum rege, anno Higſræ 955, occupata fuiſſet, شاه طهماسب *Xâh Tahmâſp* Perſarum Rex, Cazbinum conceſſit. Ubi baſilicam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſtabilivit, quam tamen à Xâh Iſmaël, ipſius patre, jam ante fuiſſe conditam volunt, ſuperbam & elegantem. Turcarum more & idiomate ejuſmodi palatium, ubicunque loci ſitum ſit, اعلي قپو *Aalâ capou, ſumma & excelſa Porta*, dicitur. Eidem magnum prope forum exſtructus adjacet ات ميدان *at meidân*, *Hippodromus*, longitudine ſpacioque inſignis, at qui tamen Iſſehanico cedit; ubi clavæludio Perſæ equites, ſcilicet clava, ipſis چوكان *Tgiaugân* dicta, (Arabes محجن *mihgien* dicentes, hinc صولجان *ſaulegiân* formarunt proprio idiomate) pilam ligneam ultro citroque impellentes, ſeſe equoſque ſuos ad agilitatem exercent. Prope & fructifer conſpicitur Regis hortus, per quem ambulationes in quincuncem directas faciunt umbriferæ platani & cupreſſi. Hanc à Majoribus traditam regiæ aulæ ſedem etiam Xâh Abbâs, Thamaſpi pronepos, incoluit primis regni ſui annis: ſed, poſtea ab ea factus alienior, ſive ob imminentis mali prædictionem, ut quidam putant, ſive aliunde, in Parthiæ alio & ſalubriori loco, videlicet urbe Iſphahân, de qua poſtea, ſimilem ſtructuram ſibi adornavit. Qua mutatione multum ſplendoris Cazbinum amiſit, mul-

 tum-

tumque collapsæ sunt ædes. Incolas tamen etiamnum plures quam centies mille suo sesqui circiter leucæ ambitu complectitur. Quibus duntaxat داروغه & قاضي *Darogâ* & *Kazi*, id est *Prætor* seu *Rector & Index*, præsunt. Populi idioma quod attinet, quemadmodum in extremo Persiæ vel potius Parthiæ ad boream tractu ille degit, Deilemitis & Gelis, fere barbaris, proximus; ita aliorum Persarum linguæ elegantia & pronunciatione cedit, rude satis & incultum. In extremitate regni altera, quæ ipsa proprie dicta Persis est, Xirazicum omnibus præcellit: medium medii loci est Isphahanicum. Celebrantur autem, quæ Cazbini conficiuntur chalybe & encausto opera, quique intexuntur auro serici panni. Eruditione etiam & scriptis non pauci inclaruerunt urbis cives, de quorum numero etiam duo sunt nobis in commentario hoc allegati non semel زكريا بن محمود &, عماد الدين ابن بكر بن حمد quorum ille libri عجايب المخلوقات *de admirandis creatarum rerum*; hic autem libri haud dissimilis argumenti, qui نزهة القلوب *Animorum recreatio* inscribitur; iisdem annumerandus حافظ خليل author libri ارشاد في ذكر قزوين, quo urbs ipsa descripta fuit.

الديلم *Deilem*] Regio ampla est & potiorem partem montosa, quam terminat ab ortu quidem Tabristana ante exposita, & initium exponendæ mox ditionis Rey, à meridie autem ejusdem Rey pars alia, tractus Cazwîni, & dicenda post Aderbigiâna; quæ & alia sui portione cingit ab occasu. Denique ejusdem Deilem à septentrione terminum Arabes quidam statuunt mare Hyrcanum; ita ut hac circumscriptione

ptione utramque regionis Deilemicæ partem comprehendant, & montosam, quæ proprie Deilem vocatur, & planam, quæ peculiari nomine Gilân dicitur. Ambæque provinciæ Deilem & Gilân apud Abulfedam aliosque Geographos pro una habentur, & simul permixtimque describuntur; unum velut اقليم عرفي *Iklîmon urfijon*, quod *clima notorium* reddi potest, ut quod ad urbium notitiam facit, opponiturque اقليم حقيقي *Climati vero & exacto*, quale definiri ab Astronomis atque usurpari solet. Et videtur hoc nomen Deilem primo impositum esse populo ipsi, montes illos incolenti, deinde & iisdem montibus tributum, ita uti alias quoque fieri solet: Dilimnitas vocat Cedrenus, ubi scribit Constantini Monomachi Imper. tempore Sultanum Togrulbeg, qui Tagrolipac Cedreno dicitur, circa Mediæ partes ex Turcis, Saberis, i. e. Hunnis & Dilimnitis exercitum conduxisse: nam pro Καβήρων καὶ Λιμνιτῶν, uti impressum est, ex Agathia est reponendum Σαβήρων καὶ Διλιμνιτῶν. Eosdem Deilemitas Procopius Hist. Goth. lib. IV. Dolomitas appellat; quos, magno Grotio interprete, describit in hunc modum: *Dolomitæ barbari sunt, qui cum Persarum imperio undique ambiantur, Persarum tamen Regi non parent, defensi locorum abruptis inviisque, libertatem per tot secula tutantur. Mercede tamen conducti Persis in hostem quemvis militant, pedites cuncti, gladio armati scutoq; & jacula manu gestantes terna: currere per confragosa, per montium vertebras non minus quam æquis locis norunt.* Sic & Orientales Geographi testantur, arduos esse, difficiles, & asperos hosce montes, simul & aquis perfusos & silvis vestitos, ea imprimis parte qua respi-

 ciunt

ciunt mare, inter Tabriſtân & Cazbin (ſed potius ultra hanc uſque موغان *Mogân*) extenſos, ut Hyrcaniæ partem ſive continuationem quis facile agnoſcat. In Gente vero ipſa notantur ab Abulfeda & aliis الشعر والطيش والعجلة النحافة والسمرة وكثافة *Macies corporis ſive tenuitas, color fuſcus ſive olivaſter, craſſities capilli, animi levitas ſeu mutabilitas, & agilitas celeritaſque.* Cum hiſce non male quadrant quæ Procopius dixit, quæque de eorundem ferocia Hiſtoriæ produnt. Et quia paſſim vulgatum fuit Deilemitas, tum vicinis, tum aliis populis hoſtes & infeſtos eſſe, excurſiones & latrocinia agitantes ubicunque poſſunt; hoc ipſo *Deilem* nomine Arabibus in genere *hoſtes & latrones* deſignantur; quin & *mors*, atque *infortunium.* Perperam nonnulli volunt eos origine Arabes eſſe, & quidem ex tribu بني ضبة *Benî dabba*, eo forte inducti argumento, quod iidem Arabes cognomine Deilem inſigniti eſſent, ſed ejus rei cauſam reddidit Camus, quod ſcilicet hi aliis Arabibus nigriores exiſtant; namque id ſignificat *Deilem* à verbo *délima, nigricavit.* Peculiariter vero ديلمستان *Deilemiſtân*, teſte Jacuto, pagus dicitur novem paraſangis à Xahrezour diſtans, de quo poſtea: quaſi *Deilemitarum vicus* potius quam *regio*, ad quem Deilemitæ prædatum populatumque excurſuri regum Perſarum tempore convenire ſolebant, & conjurare inter ſe, iterumque ab excurſione redituri domum. Cæterum in montibus Deilem oppida numerantur complura: ut ſunt in confinibus Tabriſtanæ ناتل *Natul*, & paulo magis ad ortum bidui fere itinere, diſtans كلار *Calâr:* pro quibus duobus in Geogr. Nub. Clim. 4. part. 7. vitioſe بناتل & كلان exiſtit:

existit: item شهر Xîz, ubi Persarum tempore maximum Ignicolis πυρεῖον fuit, respondens Romanorum Vestæ. Est autem كرسي ملك الديلم *sedes Deilemitarum regia* (aliis قاعدة الديلم & قصبة الديلم *metropolis Deilemitarum* dicitur) روذبار *Roudebâr:* ubi commorari eorundem Reges solebant, qui آل جستان *Giestanitæ* erant, prout apud Abulfedam testatur Ibn Haukel. Præter alia oppida, pagosque, multa ibidem exstiterunt castella, (opere opibusq; eminuerat quondam regi proprium سميران *Semirân*) quæ ipsi Deilemitarum proceres anno Higſræ 655. diruere coacti sunt, ut ab Hulacou, Tatarici Imperatore exercitus, qui in vicinas oras venerat, pacem obtinerent. Cum autem cum Geographis quibusdam sub Deilem etiam Ghilân comprehendisse Alfraganus videatur, etiam de plana regione hac peculiariter aliquid adjiciendum fuerit; prout de montosa altera diximus, par quippe est celebritas utriusque كيلان *Ghilân* Persæ, جيلان *Gilân* plerumque Arabes enunciant; illi populum كيل *Ghîl* & *Ghilêc*, hi جيل *Gîl* appellant, unde & suum regioni impositum est nomen. Sunt hi dubio procul Geli & Gelæ Ptolemæi ac Strabonis: Ibn Said aliique Arabum اخوة الديلم *Deilemitarum fratres* vocantur; corpore, indole, moribusque haud adeo diversi. & posterioribus Persarum regibus, ita uti de Xâh Abbâs constat, par fere labor fuit in hac subjuganda atque illa gente. Nomine autem Ghilân denotatur universa planities, quæ definitos jam montes Deilem & mare Caspium interjacet; & quidem propter differentes eorundem situs flexusque latitudine inæquali. Est ubi ipsos illos Deilem montes mare contingit:

tingit: unde etiam بحر الديلم *Mare Deilemicum*, æque ac بحر كيلان *Mare Gilanicum*, dicitur: eſt ubi paucis ſtadiis, vel milliaribus, ubi diei unius, vel plurium itinere diſtat. Duos totius regionis, prout ea antedicta quoque Mazenderàn continetur, سرحد *Serhad*, *extremos limites*, conſtituunt Perſæ, alterum in ortu, alterum in occaſu; ſcilicet à سالوس *Salous*, de qua pag. ad موغان *Mougân*, oppidum ditionis Ardebil maritimum; vel inde ab اشترابان *Exterabâd* ad قزل اغاج *Kezil agâtzg*, mari aſſidens oppidulum, ita dictum lingua Turcica à *rubente* agri gleba, & *arborum* copia. A Cazbîn (ita enim potius, quam Cazvîn ſcribunt pronuntiantque litterati) paulatim ſuccedunt montes, quorum initio facta mentio, quorumque ſuperanda pars eſt, minori quidem aſcenſus quam deſcenſus intervallo, ut in Gilân, de qua pagina 193. fere planam quoque, at multo inferiorem, Gilæorum, ſive Gelorum Ptolemæi, contiguam mari Caſpio ditionem, pertingi poſſet. Hujus ſolum infra illos montes depreſſum, lutoſum, molle & uvidum, multiſque locis tremulum exiſtit: ſive hoc à fontibus ſit & rivis ex montoſo tractu demiſſis, ſive à mari quod natura ſeptum undique & clauſum ſe diffundat, aut occultos terræ ſubeat meatus. Hinc gravior ibi aër, cum primis circa terram; ideoque ſuffultis in altum cubilibus, qualia تالار *Talâr* vocant, noctu decumbunt; inſalubris aqua, ita ut potum multi corrigant aceti miſtura. Arboretis, hortiſque olitoriis & fructiferis abundat; at frugum inopia laborat; neque enim ſeritur frumentum, præterquam in Mazenderân, & utraque extremitate, Exterabâd & Kezil Agâtzg

gâtzg ſupradictis. At inopiam illam ſupplet penſatque copioſa oryzæ meſſis, & quidem valetudini illic conducentis præ frumento alio quocunque. Æſtus licet hic vehemens, dactyli tamen prorſus deſunt, in vicina Perſia frequentes, ut qui ſolo arenoſo gaudent; at contra quæ alibi rara, meſpilorum hic plus ſatis eſt, quæ ſolum huic ſimile amant, & Perſis propterea خرماه كيلان *Chormâi Ghilân dactyli Gilanici* nominari ſolent. Tantus autem eſt eadem regione ſerici proventus, ut non dubitaverit inclytus ille Perſarum Rex Xâh Abbâs Indiæ Regis Legato dicere, & ſibi Indiam eſſe in infima regni ſui parte. Tota colitur regio & ubique habitatur per vicos, at ſingulos paucarum domorum; qui fere omnes, ut & oppida, fœtura bombycum & lanificio ſe exercent. Vermem hunc quaſi ſacrum habent, & S. Jobi nomine ſignantes بحق كرم ايوب *Behâk kirmi Ajoub, per S. Iobi vermem jurant.* Oppida autem & oppidula ſatis multa ſunt, arce & muro nuda. Celebriora nunc fere quatuor ſunt: ad Ortum فرح اباد *Ferah abâd*, in præced. pag. memorata; ad Occaſum لنكر كنان *Lenger cunân*, ubi navium Aſtracano, Ruſſiæ urbe, venientium portus eſt; inter utrumque media duo, رشت *Rext*, Reiſt pronunciant vulgo, & alterum triplo majus لاهجان *Lahigiân*; ubi præſtantis, nitidi & ſubtilis ſerici genus colligitur, petita hinc voce لاهجاني *Lahigianicum*, *Leginum* Europæis vocitatum: illud quidem oppidum à Cazbîn quatridui itinere abeſt; poſterius vero, recta fere ad boream, tridui duntaxat intervallo. Teſtis eſt Abulfeda ſuo tempore مدينة كيلان *urbem* Gilân, *metropolin* interpretor, dictam fuiſſe بومن *Poumun*; (ita Ara-

 bes

bes پ pro ب scribunt) diserte autem inquit primam litteram inter Be & Te sonare; quo nomine etiam hodie urbs satis magna exstat, sesqui dietæ intervallo à Rext Occidentem versus, & dimidiæ circiter ab ipso mari: item altera ad Ortum دولاب *doulâb* dicta, cui & olim fuit, uti quoque nunc est, nomen كسكر *Gesker*; quæ tamen à quibusdam ad Deilem refertur, uti & prædicta *Lâhigiân*; & ita quoque oppidulum ميان شهر *Mian Xahr*, quod inde evenire existimo, quia, prope pedem montis sita, videantur pertinere utrobique. Cum inter Deilemitas multi quidem armis, paucissimi vero, vel nulli quod sciam, litteris clari fuerint; inter Gilæos sive Gelas complures extitere celebres doctrina viri: de iis, quorum scripta habemus, nunc mihi duo occurrunt, alter operis Astronomici auctor, quod الزيج الجامع inscripsit كوشيار بن لبان بن Abulfedæ الجيلي الحكيم مشهوري *Philosophi Gilæi* nomine celebratus; alter vero auctor كنز اللغة *Thesauri Arabico-Persici* عبد الخالق بن معروف, quem *Marcufida* nomine sæpe adhibui in Lexico meo.

الري *Raa*] Nempe Keusiar sine Articulo scribit; ipsi efferunt Rey: sic Reya, Reia, seu prout D. D. Erpenius & Pocokius usurpant, Raia dici convenienter potest. Sed ab الرايه Raja Ægypti discernenda: quo nomine celebris in urbe Fustât vicus fuit, & prope Colzum regio quædam. Parthiæ hæc, de qua agimus, urbs est celebratissima, in plano & æquabili solo posita, montemq; Calvum, ut Iac. inquit, i.e omni germine nudum à latere sibi imminentem habens. Quidam ad Deilem, alii ad Chorasân, principium ejus scilicet, pertinere eam volunt. Unius diei itinere ad Occasum bru-

brumalem à Comis, quæ pag.   deſcripta eſt, collocat Ibn Haukel, quæ duo oppida deſertum Choraſanæ terminant ab Occaſu ſecundum Abulfedam. Ab Aſtronomis pleriſque Raiæ huic ſitus tribuitur ſeſqui gradu Orientalior, uno autem Auſtralior quam Cazbino: à quo eam removet paraſ. 30. Abulfeda, 27. Hamdalla. Neque vero Alferganus noſter, climata percurrens ab Ortu in Occaſum, in recenſendis ſingulis, quæ in mentem illi venere illuſtriora loca, ita exacte eundem hunc ordinem obſervat, ut non ſubinde quid ſubjiciat, quod eſſe in præcedentibus omiſſum videri potuerit. Putatur hæc ipſa eſſe Parthiæ urbs antiquiſſima, ut quam Magorum monumenta ab هوشنك پيشداد *Huxenc* primo Perſarum *Legislatore* conditam, quin, ac ſi jam ante exſtitiſſet, auctam tradunt, & poſt à منوجهر بن فريدون *Menugihr Firudonis filio* inſtauratam. Videri poſſet Stephani Ῥάια eſſe, quæ illi urbs Scythiam inter & Hyrcaniam; minus commode Ῥάγαια Ptol. ſeu Ῥάγεια Strab. ut quæ Mediæ eſt, & à Nicatore ſtructa, tantumque 500. ſtadia abeſt à Caſpiis portis, teſte eodem Strabone lib. XI. Muhammedico imperio Omaris Chalifæ II. juſſu & auſpiciis ſubdita fuit anno Hiſgræ. Deinde collapſam, ut videtur, reſtituit, cum iſtuc forte veniſſet, Muhammed Almahdi, Chalifa Abbaſides, de quo Hiſt. Sarac. libr. 2. cap. 4. aut potius nova parte, ductiſque mœniis, elato ingenti templo, arce & palatio ornavit & munivit. Ita ut Alfragani ævo ea fuerit urbs Parthiæ maxima, plus quam paraſangam in longum, & dimidiam in latum patens; adhæc eleganter ædificata, gemino intus rivo & a-

 quæ-

quæductibus gaudens, ita ut fide Ibn Haukel refert Abulfeda. Tum & incolis advenisque ita frequentata, ut nulla in Oriente alia præter Bagdadum habita fuerit populosior. Hinc scriptoribus dicta شيخ البلاد & ام البلاد *primaria urbium* عروس الدنيا *sponsa mundi* & باب من ابواب الارض اليها متجرة الخلق, *Porta de Portis Terræ, ad quam hominum celebretur mercatus.* Accedebat soli ubertas, & multigenûm abundantia fructuum, & circumjacentis amœnitas regionis, in qua incolebantur majores pagi, qui illis in locis رساتيق *Resatîk* dicuntur, uti erant, قوهد, مرجي, السند, *Sund*, *Mergia*, *Kouhad*, & alii permulti; ut etiam millia militum ex iis conscribi possent. Namque Raiæ ditio longe lateque distensa erat. Ad urbis encomium etiam spectat, quod in مجمع البكري *Syntagmate Geographico* Albicri legitur البلاد نجران من الحجاز وصنعا من اليمن ودمشق من الشام والري من خراسان اطيب, *Optima & gratissima urbium est Negsrân ex Higiâz, Sanaa de Iemen, Damascus ex Syria, & Rey de Chorasana.* Attamen in tanta laude hoc vitii agnoscit Hamdalla Parthus cum inquit: شهري كرمسير راست وشمالش پيوسته وهوايش نا كوارنده وبراو وبا بسيار بود, (ubi pro پيوسته legendum دوسته) *Vrbs est æstu fervens, parte ipsius boreali obsepta, & propterea aër ejus insalubris & pestilentia ibi frequens*; additque versum istic loci vulgo notissimum, ديدم سحر كهي ملك الموت را بخواب بي كفش ميكريخت زدست وباي ري *Vidi mane in somno angelum mortis sine calceis fugientem è manu (potestate) pestis Raiæ.* Neque propterea desiit florere, donec eam gravissime afficeret levior, uti videbatur causa; scilicet notissimæ

mæ illius, Muhammedico innatæ imperio, sectæ seu factionis geminæ, السنة & الشيعة *Sunna* & *Xeia*, in una eademque urbe contentio: hæc quippe in civile bellum exardescens, quo post extinctos Xejitas corripi quoque adversus invicem ipsi victores Sunnitæ, nimirum Xaphiæi & Hanifitæ, mirum in modum fœdavit urbem atque subvertit: per cujus factas inde ruinas se A. H. 617. transiisse scribit Jacutus. Quod autem de ea reliquum & superstes mansit, haud multis annis post à Mogolis sive Tataris, ut narrat Hamdalla, prorsus deletum fuit. Tempore quidem Tatari Gazân Chân, princeps regionis Fahroddin novæ structuræ aliquid congregandis populi reliquiis molitus fuit; sed quod postea etiam concidit corruitque, ut hodie vix rudera supersint.

Ab urbis nomine ري Rey, Rai, vel Raja, præter analogiam linguæ gentile nomen, نسب *Neseb* Arabibus dicitur, رازي *Raziîon* formatur; quemadmodum & à nomine oppidi Chorasanæ مرو in و desinente, nempe à مرو شاهجان *Merva regi expetita* (nam ab altera, tridui iter distante, مرو رود *Merva ad flumen* fit regulariter مروي *Merviîon* & مرو روذي *Merva roudiîon*) derivatur gentile مروزي *Mervaziîon*, etiam adscita ز littera. Atque isto gentili nomine passim celebratur Philosophus & Medicus ابو بكر محمد بن زكريا *Abubecr Muhammed fil. Zacharia*, nempe Rhasis vulgo dictus, potius Razis vel Razæus dicendus, quia in urbe Rey natus, uti & denatus fuit A. H. 311, librorum plurimorum, ut qui indicem satis magnum effecerint, auctor. Inter eos semper laudatum fuit de morbis particularibus opus, الطب المنصوري, *Medicina*

dd 3 *Man-*

Mansoriana dictum, velut Almansori dicatum: apud nos vulgo Rhasis ad Almansorem. Fuit autem hic, ne quis erret, المنصور بن اسحق بن احمد *Almansor fil. Ishaac, fil. Ahmed*; Muctafis, Chalifæ Abbasidæ XXXVIII, ex fratre nepos, Raiæ à patruo præfectus; non vero Almansor, Chalifarum eorundem Abbasidarum secundus, Imperialis urbis Bagdadi conditor; quippe qui A. H. 158. decessit. Razii etiam seu Raianitæ, si quis ita malit dicere, alii extitere in quovis eruditionis & scientiæ genere illustres; longa quorum series dari posset.

(اصفهان *Isfehân*] & *Asfehân*, & cum a loco E: Abulfeda per ب scribit, ut sit *Isbehân* & *Asbehân*; utraque autem litera hæc Arabibus usurpatur pro پ Persico, hoc est, P; atque ita Persis aliisque sonat *Ispahân*; & vulgato passim usu *Spahân* dicitur. Quod quidem nomen haud aliter, quam initio exhibitum sit, ab Arabibus notari potest: qui cum duas in principio vocis consonantes simul efferre nequeant, proposita Alif cum minima vocali Kesra eas dispungere solent, & dispescere in syllabas duas. Scribitur tamen, hodieque imprimis at صفهان, & pronunciatur *Suffihân*. Quin حمزة بن الحسن Spahanensis ipse, apud Albicri in libro مجمع البلدان inquit; nomen اصبهان derivatum esse ab اسپاه & اسپه *Ispâh* & *Ispæ*, quod Arabice notat جندية i. e. *militiam, cohortem*, & pluralis numeri forma *Ispahân*, Arabiceque *Isbehân*, *compositum ex pluribus cohortibus exercitum* designat: quod Parthorum tempore ex Perside, Carmania, Ihwâz & aliunde hunc in locum convenirent copiæ militares. Minus verisimile est, quod idem Albicri tradit, Isfehân, paulo

lo post occursuro nomine, duos ejusdem patris فلوج *Felougii*, ex nepotibus Japhetis, filios exstitisse, quorum nomine ipsis locis, ubi sedem illi fixissent, imposita fuerint. Neque enim ejusmodi quid facile admittendum absque demonstratione. Cedreno etiam Ἀσπαχᾶν vocatur locus ille prope quem scribit Muhammedem (nempe Mahmûdi, fil. Sebectegini filium, juxta alios fratrem) validissimo cum exercitu occurrisse Tragolipaci Moukalet fil. id est, ut recte concinnentur Cedreni verba طغرلبك ابوطالب بن ميكايل *Togrulbego Abouthâlib fil. Mikaelis*, qui, Muhammede cæso, ab exercitu utrinque declaratus Persiæ Rex fuit, atque ita novum imperium Salgiucicum erexit. Neque male convenit Aspahân cum Aspa Ptolemæi in Parthia ab ipso posita, quanquam latitudinem illi, ut quoque vicinis aliis, majorem tribuat, quam Astronomi & Geographi Orientis. Quorum præcipui Issehân communi quodam consensu subjiciunt longitudini quidem 86, 40. latitudini autem 32, 25. Ideoque non sine causa miratur Hamdalla urbem hanc in climate quarto reponi, quod etiam hic ab Alfragano fit, cum tamen eam climatis esse tertii dicta jam arguat situs ipsius mensura. Simile quid & notatum de Fergana fuit pag. 170. Et quidem hæc ipsa quoque Urbs Issehân, teste Hamdalla, ditiones sibi vendicat diversas octo, quæ pagos contineant circiter quadringentos. Situm in planitie perampla habet, montibus circumsepta: qui de eorum numero sunt, ob quos Parthia urbis hujus اقليم عرقي *clima notorium* بلاد الجبال *Regio montosa* nuncupata fuerit. In tabula Geographica quadam, & in quo-

quodam etiam Aſtrolabio ab ipſis Perſis Iſſehâni deſcripto obſervavi, eandem urbem, duaſque claras alias Baſram & Meccam in eodem eſſe circulo.

Ditio illa Spahanenſis Ortum verſus pertingit ad regionem خوزستان *Choziſtân*, quæ & cum loco Choziſtân dicitur, fere in plano ſitam habens antiquiſſimam urbem تستر *Tuſter*, quæ veterum *Suſa* eſt, inter hanc & Iſſehân, uti ex Abulfeda colligitur, jacet tractus لورستان *Loriſtân* vocatus. Ejuſdem ditionis Spahanenſis ad Meridiem terminus eſt oppidum سميرم *Sumeirom*, inter Spahanum & Xirazum, Perſidis metropolin, media fere via. de ipſa autem Spahano ſeu Iſſehân urbe ſciri convenit ex allegato ſæpius Hamdalla, initio quidem quatuor ibidem exſtitiſſe vicinos pagos ſive vicos كران *Kirân* كوشك *Koxec* جوباره *Gioubâra*, & دردشت *Derdext*, ſtructos à طهمورث ديوبند *Tahmoures damoniaco*, quod dæmonem ligaſſe ac viciſſe dictus ſit, & جمشيد *Gemxîd*. Cum vero eundem locum pro ſede regia delegiſſent كيانيان *Kianita*, ex confluentium undique hominum ſtructuris unam coaluiſſe urbem. Referunt alii, Judæos, cum ab Hieroſolymis extorres, perque Aſſyriam ac vicina diſperſi eſſent, hoc loco, & quidem ſalubrioribus loci aquis allectos, uti traditum, prope oppidum vetus جي *Gieyum* nomine, condidiſſe ſibi vicum, qui, illo præſertim collabente, ita accreviſſet, ut nova evaſerit urbs, اليهودية *Iudaica* & دار اليهود *Sedes Iudæorum* dicta. In quam ſententiam Jacutus ſcribit: اصفهان العظمي هي اليهودية مدينة *Vrbs Iſpahan major Iudæopolis eſt*: minor altera 2 paſſuum M. inde diſtans, جي, *Gieyum* vocata. Atque inde forte Armeni Perſæque dicunt antiqui-

tiquitus Spahano nomen جوش *Gieux* fuiſſe. Quicquid autem utroque conditum, & inſtauratum fuit, Isfehani nomine gaudens, crudi lapidis muro cinctum fuit ab Alhaſen Rucno-ddaula.

Ob hyemis ac æſtatis temperiem, ubertatem ſoli, commodumque ad diverſa regna aditum ita floruit ſemper, ut cum Xah Iſmael Haidar, primus Sophorum Rex, in eam veniſſet, دار السلطنه *ſedis regiæ* nomine appellari juſſerit. At poſtquam Xah Abbas pronepos illius, ibidem loci, Cazbîn relicto, ſuam revera ſedem fixit, tum caput illa ſuper omnes extulit Perſidis Parthiæque urbes. Quippe de novo acceſſit دولتخانه *deuletchana regium palatium*, quod & اعلي قپو *Aalâ capou*, *celſiſſima*, *auguſta*, (nolitò interpretari propter پناگاه *penagâh*, quod ad ejus limina *Azylum* eſt, *Dei porta*, quaſi الله *Allà* ſcribatur) ميدان *Hippodromus* ampliſſimus, مسجد جامع *Templum commune*, primarium, چهار باغ *Txârbâg* i. e. *Quadripartitus* vere regius *hortus*, & هزار جريب *mille jugerum* nomine vivarium. Quin additæ ſunt civitates tres aliæ, in quas totidem populorum, ut ſedibus propriis evocatos ſua præſentia certius contineret, colonias deduxit: nempe 1. عباس اباد تبارزه, ipſo Regis nomine *Abbaſiopolis* dicta *Tebriziorum*; & quoque hinc, velut nomine ſuo proprio, تبريز اباد *Tebriziorum manſio*: 2. جلفاي ارامنه *Giulfa nova Armenorum*; quo alias nomine urbs eſt, ſeu potius fuit, in Armenia ad Araxē ſita; 3. گبر اباد *Gebr-abâd* i.e. *Gentilium vicus* مجوسيه *Maguſæorum*. Atque ita urbis unius loco grandis & inſignis Tetrapolis facta, quæ & univerſa Spahanum nuncupatur. Talem hæ omnes ſitum habent, ut tertia illa oppoſita ſit ab occidente principi urbi Spahân,

ſecunda ſimiliter ab occaſu reſpiciat primam, utque زندەرود *Zendæroûd* i.e. *vivum flumen*, ex monte دماوند *Dimavend* ab auſtro delatum, duo Muhammedana oppida diſcernat à duobus aliis, Chriſtiano & Pagano: Adjectæ & platanorum publicæ ambulationes, ſtratæque lapidibus viæ, pontes, fonteſque & ciſternæ, كاروانسراي Carvânſarajæ, id eſt, mercatorum & peregrinorum hoſpitia publica, tum à Rege, tum à Magnatibus exſtructa viginti, ſupra 80. alia quæ in proprie dicta Iſfehan jam ante fuerant, prout Perſicus quidam ſcriptor teſtatum reliquit. Is & duos alios acceſſiſſe vicos ſcribit, يزد اباد واجد اباد كاشيان; adeo ut Spahan & Hexapolis dici poſſet, & juxta Perſarum vulgare dictum نيمه جهان اصفهان *dimidium mundi*. Quin ipſam ſuperare naturam Rex idem molitus fuit, ut, quam maxime poſſet, hanc urbem bearet; cum totas quatuordecim annos ingenti ſumptu aliquot millia hominum adhibuit, ut perrupto Dimawend monte اب كورن *Abi Kurèn* fluvius, qui per alterum ejus tractum fertur, cum Zendæroud conjunctus, ingentem agri Spahanenſis partem rigare poſſet, quæ nunc, Zendæroud fluvio per urbem & hortos diducto, ab agricolis carpto, & poſt quinque ab urbe milliaria fatiſcente & exſtincto, propter aquæ inopiam inculta manet. Sed de recentioribus hiſce rebus, à ſtudioſiſſimis viris, Petro de la Valle, Adamo Oleario & aliis, qui pleraſque coram perſpexere, particulatim & diligenter perſcriptum fuit.

Ibid. قم *Coma*, ſeu potius *Kom* & *Kommum*, nam م duplicatum eſt] Oppidum quoque بلاد الجبل *regionis montoſæ*, quæ عراق العجم *Iraca exterorum* ſive *Perſarum*

ſarum dicitur; in campo 10. paraſangas patente in longum latumque, inter Cazbîn & Iſſehân medio fere loco ſitum; inde nempe 33, hinc 39, Leucarum itinere (uti Oleario obſervatum) & 21. paraſ. à Rajâ ante dicta diſſitum. Inter hanc & Com مفازة deſertum ſeu campus interjacet, in quo ſtupendæ magnitudinis, fabricæ & munitionis caſtellum, كردشير *Gerdexîr*, vocatum deſcribit Jacutus. Cumque Iraca hæc Parthica montibus conſtet, unde & nomen habet, tum ab Hamedân ad Com & ad Rajam vix ulli ſunt, ut ex Ibn Haukel refert Hamdalla: qui de urbis ipſius ortu ex اللباب لابن الاثير tradit, hic loci olim ſeptem pagos exſtitiſſe, qui ſimul urbis quaſi vicem explerent.

Cum autem A.H. 83. Abdorrahman fil. Muhammed, fil. الاشعث *Alaſat* in fugam conjectus eſſet ab Alhagiâgi Ibn Jouſeph, cujus pag. fit mentio, ſocius ejus Abd-olla Saidân cum copiis huc delatus, pagos illos, cæſis dominis, in poteſtatem ſuam redegit; & in uno, qui كمدان *Kumdân* diceretur, ſeſe ſtabilivit, & conſtituit urbem, quæ contracte & ك in ق mutata, ut in formandis ex peregrino idiomate vocibus fieri ſolet, Com ſive Commum nominata fuit. Eidem Abdollæ filius erat Mouſa, qui ex Baſra in urbem Kom migravit, & in hiſce oris primus الشيع, id eſt, *Xejiticæ ſectæ* Alis partibus & cultui devotæ ſtudium profeſſus fuit. At Hamdalla, ex Perſarum traditione, Kom pro urbe antiquiſſima cenſet, quæ à Tahmourt 12000. cubitorum circuitu ſtructa ſit: & certe maximam hic olim ſtetiſſe urbem ipſa, quæ ſuperſunt, ruinæ veſtigia ſatis demonſtrant. Etiam quæ nunc exſtat, ut muro cincta ac munita apud Abulfedam deſcribitur, cui

temperatus quidem aër, at pauca (& salsa utcunque, addunt alii) fereque ex puteis sit aqua, unde & circumjacentes rigentur horti; suo pistaciorum proventu, alibi raro, celebres; uti quoque proximi montes. Hamdalla tamen hic quoque fluvium agnoscit rigationi inservientem, qui ab occasu solstitiali ex tractu oppidi جرباذقان *Giurbadikân*, Persæ كلبايكان *Gulbadigân* vocant, ad urbem pertingat.

Incolæ ab omni ævo fuere شيعة seu اثني عشري *Xeijita*, sive *duodenarii*, quippe qui 12. Antistites, id est, Alim & ex ipso natos successores colunt.

Lin. 17. همذان, & frequentius cum د, *Hamedân*] Urbs à præcedenti Kom ad occasum distans 5. dierum itinere, & quidem in medio بلاد الجبل *Parthia* sita: urbs, inquit Ibn Haukel, magna, aquis, hortis, arvis abundans; utique & fontes & vivos ex adjacente الوند *Alvvend* sublimi monte notissimo, complures habet. Quamobrem, ut quoque propter aëris salubritatem, cæteris omnibus Parthiæ locis eandem præfert Hamdalla: & همذان جاى شاهان *Hemedân locum regum* appellat, quo concedere æstivo tempore refrigerii causa solebant Reges. Unde cogitare subinde subiit, num Hamedân sit Veterum Ecbatana; prout Mediæ, cui hæc accensa fuit, diversimode usurpatum est nomen. Ditiones Hamedano, دوماذات Persica voce dictæ, quinque sunt; suarum urbium nominibus distinctæ, quarum singulas sequuntur complures pagi, unde magnus exstitit urbis proventus. Hamedanum ab antiquo Persarum Rege جمشيد پيشدادي *Giemxîd Justo*, conditum, & muro, qui Commensi non cesserit, circumdatum fuisse, ex Persarum monumentis

tis idem memorat Hamdalla: tum & in media urbe à داراب بن داراب *Daràb fil. Daràb* ſtructam eſſe arcem كلين *Kolin* dictam, quæ tunc diruta erat. Sed & muro prorſus nudam nunc eſſe urbem teſtantur Perſæ; attamen etiamnum magnam & amplam, rerum ubertate pollentem, & agendis commerciis frequentatam. Bidui inde itinere, intercedente monte Alwend, ex adverſo poſita eſt urbs درکزین *Dergezîn*, vix ulla re Hamedano impar; niſi quod hic quidem vigeat الشيعه *Xeija*, illic vero obtineat السنه *Suna*. ideoque incolæ Regi Perſarum pro exercendæ religionis ſuæ libertate pendere coguntur الخراج السنى *ſunicum*, ut vocant, *tributum*. Cæterum hac voce Hamedân denotatur quandoque celebris quædam & antiqua قحطان *Kahthanitarum* Arabum tribus. Atque hoc ſenſu ſcribunt Auctores: نجران مدينة اليمن من بلاد همدان *Negirân*, quæ Ptolemæi Negara, *urbs eſt Arabiæ felicis de regione* Arabum *Hamedân*.

Ibid. نهاوند *Nihavenda*, potius *Nuhavvend* Abulf. etiam *Nehavvend* & *Nihavvend* Jac.] Hoc de mediocribus Parthiæ oppidis eſt, ut præcedentia ex majorum numero fuere, juxta Abulfedæ aliorumque ſententiam. At magnum quoque eſſe aſſerit Jacutus. Ad auſtrum ab Hamedàn diſſidet 14 paraſangis, ſuper monte (altiori tractu puto) collocatum teſte Ibn Haukel; ubi tamen nec fluvii deſunt nec horti, & quidem tam præſtantium fructuum copioſe feraces, ut deportari in Aſſyriam ſolerent. Urbs totius Parthiæ antiquiſſima cenſetur, &, quaſi Noah habuerit conditorem, primo dictam fuiſſe ferunt نوح اوند *Nouh avvend*, id eſt, Noahi opus: atque inde commu-

tatis inter se similibus litteris ح & ه, lenitatis ergo factum esse نهاوند *Nuhavvend*: ubi recte addit Abulfeda, quod solent, ubi quid minus esse verisimile videtur والله اعلم At *Deus* veri est *scientissimus*. Tempore Omar Ibn Alchatthâb, A. H. 20. vel 21, vehemens commissa ibi pugna fuit, duce Noman Ibn Makran, uno de sociis Muhammedis, qui urbem, deditione facta, occupavit. Et quia copiæ pleræque ex Basra fuissent, tributumque Nuhawend isti assignatum urbi, quia propinquior, uti & Cufæ cessit tributum captæ urbis Deinevâr, de qua mox dicendum; contigit inde ut Nuhamend quidem ماه البصرة *Ma Basræ*, Deinevàr autem ماه الكوفة *Ma Cûfæ* nuncupata fuerit. De pluribus aliis, quæ ad Nuhawend pertinent, paucis adijciam hæc duo singularia; scil provenire hic, & vix alibi, قصب الذريرة *Calamum aromaticum* (qui inde قصبة العراقية *Culmi Parthici* nomen meruit) sed ita ut non ante percipiatur fragrantia, quam ultra vicinum montem عقبة الركاب nomine perlatus fuerit: tum & in propinqui fluvii ora nigerrimum optimumque reperiri luti signatorii genus, quod ex fundo à Cancris afferri constat.

دينور (& cum Articulo الدينور) *Dinor*, legito *Deinevvar*, aut juxta Camus & Ibn Chalicân *Dinevvâr*]. Hæc quoque de majoribus Parthiæ urbibus una est, similis Hamedano (quasi dodrantem ejus facit Jacutus) à qua in occasum vergit declinando ad septentrionem plusquam 20. parasangarum intervallo: fructuum frugumque copia, uti & aquis, ac amœnis prospectibus gaudens. A Cufa Assyriæ, & Merâga Aderbigianæ, æquali parasangarum 40. spacio distat.

Pro-

Propinqua admodum magnæ quoque urbi قرميسين *Kirmisîn*, quæ & كرماشاه, *Kirmânxâ* dicitur, & à Deinewar remotæ ad Occidentem. Eſt vero Kirmisîn tum croci proventu celebris, tum vicinia decantatæ paſſim قصر شيرين *Arcis Xirina*, à regis Coſrhoæ conjuge Xirin ita dictæ, ubi admiranda Perſicorum Regum veſtigia exſtant, inter Hamedân & memorandam nunc Hulvan. Dinewâro huic noſtræ, cujus incolas incolis Hamedani præcellere ingenio Jacutus inquit, natales ſuos debent clari doctrina complures viri: quibus annumerandus etiam ابو حنيفة اللغوى Grammaticus ſeu Philologus *Abu Hanifa*.

Ibid. حلوان *Hulvân*] Iracæ proprie dictæ, id eſt, Aſſyriæ urbs, juxta quoſdam Iracæ peregrinæ, nimirum Parthiæ. Revera autem Aſſyriæ eſt extrema Orientem verſus, qua parte illa montes Bagdado collimitaneos reſpicit & Parthiam attingit. Utique eſt Hulvàn, ut ex Abulfeda liquet, in medio tractus, qui per ortum cum declinatione ſua ad ſeptentrionem terminat Aſſyriam, & à Parthia ſecernit: quemadmodum urbs القادسية *Cadisîa* in medio ſita eſt illius tractus, qui per occaſum cum inclinatione ad auſtrum ejuſdem Aſſyriæ finis eſt. Cæterum Aſtronomi & Geographi plerique Hulvano pro latit. tribuunt grad. 34; pro differentia long. à Bagdâd in ortum grad. 2. Itineraria autem menſura ambæ inter ſe urbes diſſident diætis ſex vel quinque. Hulvani conditor fuit قباد فيروز ساساني *Kobâdes Firûz Saſanita*; prout Hamdalla docet. Urbs quondam ampla & populis frequens fuit: quæ A. H. 19. cum in illas partes Arabum dux Gierîz Ibn Abdo-lla exercitum duceret, & Perſiæ

Persiæ Rez Iezdagird fuga Spahanum elapsus esset, condicto tributo se Arabibus in clientelam dedit. Huc secedere solebant Bagdadi Chalifæ, contra æstus molestias solamen captantes à frigidiori aura: neque eximiorum fructuum copia deerat, inter quos mala Punica celebrantur nullis aliis secunda, & famosa ficus, ob excellentiam Persicè شاه انجير *regina ficuum* vocata. Sunt quoque ibi fontes medicati, qui ad varios morbos prosunt: & in urbe exstat مزار حمزة *visentium religione cultus tumulus Hamzæ*; qui sextus fuit de septem القراء *Lectoribus*, per quos variantes Corani lectiones suam auctoritatem habent. Narrat Hamdalla, qui post Kazân Chân, Tatarorum regem, vixit, suo tempore destructam deletamque fuisse, Tatarorum ut existimo ante facta invasione. At Alfragani nostri tempore, cum egregie floreret, inter illustres alias merito recensenda fuit. Est quoque Hulvân nomine pagus supra Fustât Ægypti, duobus inde ad Austrum parasangis ex alto imminens Nilo. Est &, ut hoc moneam, referente Jacuto, Hulvan oppidulum in montanis Nisabour circa extremas Chorasanæ partes versus Isfehân. Et quia apud Arabes نخلتا حلوان *duæ Hulvani, supra descripti, Palmæ* proverbium fecere, libet illustrare hic ex Historiæ Saracenicæ pag. 121. locum, ubi earundem fit mentio. Cum istac iter faceret Raxîdus Chalifa, sanguinis profluvio correptus, de consilio Medici expetivit cerebrum palmæ, جمار *Giummâr* Arabibus, ἐγκέφαλος & ἐγκάρδιον Græcis appellatum, ut quod refrigerandi & incrassandi sanguinis virtute polleat. Est autem hoc in arboris interiori vertice conspicua substantia alba, tenera

nera & compacta, è meditullio nata: quæ paulatim se dissolvit & in novos nervos frondesque expandit. Cum autem ad ferendas & alendas palmas non faceret loci illius natura, repertæ fuerunt in clivo quodam duntaxat duæ, quarum altera in Chalifæ usum suprema sui parte, ubi cerebrum sive cor est, quo ablato palma moritur, resecta fuit. Versuum, qui indicata pagina exstant, scriptorum plurium consensu, author statuitur fuisse مطيع بن ايار *Muthæus Ibn Ajâr*, qui cum à Chalifa Almansour, Raxidi avo, è Raja ante memorata urbe evocatus Bagdadum, de via in illo Hulvani clivo quiesceret, forte subiit animum, uti fit, recens amatæ conjugis jactura, & conspicatus ibidem duas palmas, quo etiam in genere mas & fœmina noti, ingenio solari cupiens dolorem, conscriptam ibi reliquit elegiam; cujus duo isti, de novem numero, versus sunt, legendi & vertendi in hunc modum:

اسعداني يانخلتي حلوان وابكياني من ريب هذا الزمان

اسعداني وايقنان نحسا سوف ياتيكما فتفترقان:

Subvenite mihi, ô duæ Palmæ Hulvani, & flete mei causa adversam hujus temporis sortem;

Subvenite mihi, & certo scite infortunium mox venturum vobis, quo separandæ sitis.

Non potuit Raxidus non nosse Muthæum, ut qui Parthiæ præfectus fuisset, & simul insignis Poëta; & non mirifice affici, cum videret in se quadrare, sibique scriptum esse hoc carmen, qui, ut suo succurri morbo posset, vaticinium implevisset Poëtæ. Hæc quidem interserere eo magis visum fuit, ut ex eo tanquam specimine constet, nec reliquos in Historia illa oc-

currentes verſus tam eſſe inficetos, quam quidem ex verſione apparet: ac ſi hic quidem nil ſuave nec odorati quid Arabia largiri poſſet. Quia in ipſo codice, qui exaratus admodum negligenter, præcipue omnes verſus eo vitio laborent, punctis diacriticis fere deſtituti, fieri non potuit, ut *ὁ μακαρίτης* Erpenius, vir doctus, ingenuus, & diligens, cujus memoriam & virtutes amico gratoque animo lubens colo, veram potuerit exprimere interpretando ſententiam. Utique auſpicatius feciſſet, ſi moleſto & fruſtraneo labore hic ſuperſediſſet: Namque hæc fere cauſa fuit, quare apud multos, præſertim faſtidioſos & delicatiores, litteræ hæ in prima ætate cœperint deſpectui haberi.

شهرزور *Xahrezór:* potius *Xahrozour* cum Abulf.] Una cum præcedente Hulvân eſſe Parthiæ oppidum docent, & quidem Hulvano eſſe Orientalius ad 15. minuta, auſtralius 1½ grad. ſtatuunt Nasîr Thuſæus, &, qui hunc per omnia pene ſequitur & exſcripſit Ulugbegus, aut qui illius nomine ſuas tabulas ornarunt. Duo illi oppidum utrumque Iracæ adſcribunt in M.S.S. noſtris; at Parthiæ in editis Gravianis. Abulfeda, qui ea paraſangis 22 disjungit, ſolum Iracæ tribuit Hulvanum: Contra Geographus Nubienſis Xahrezour rejicit ad Aderbigiân, id eſt, Mediam. Ita ut Orientalium, الاقاليم العرفية *climata notoria*, quæ Ptolemæus lib. I. cap. XIX. *ὑπαρχίας· provincias* ſeu *præfecturas* vocat non minus quam apud Græcos & Latinos, diverſimode ſtatuantur; præſertim circa limites, ab auctoribus diverſis. Situs oppidi, narrante Abulfeda, figitur inter Mauſil (Arbel, *Iac.*) & Hamedân; item medio loco inter Medâjin Iracæ, & Pyreum

reum (اشكاه) Aderbigiânæ, per quod designari arbitror urbem شيز *Xîz*, existentem inter Merâga, Zengiân, Xahrozour, & Deinewâr, nempe patriam زرادست *Zoroasti*, quem magorum prophetam vocant: Ubi præcipuam illi sacram religionis suæ ædem habebant, in qua Ignem plus quam 700. annos indesinenter arsisse memorat Iacutus. Xahrozouri locum utrinque, & à Medâjin, & à Merâga, removet Hamdalla itinere sex dierum. Zacaria Ibn Muhammed Cazbinensis, libro اثار البلاد واخبار العباد inscripto, cum Jacuto & aliis, nomine Xahrozour amplam denotari regionem docet, in qua pagi complures & vici. Primariam ipse urbem, ceu proprio nomine دزدان *Dizdân* vocat, Jacutus ميم از راي *Mîm Ez raja*, & huic non ita dissimili نيم راه *Nîm râh* Hamdalla: quæ uti ex eorundem descriptione auctorum constat, una & eadem urbs est. Nam alto muro, & superne octo cubita lato, cinctam fuisse suam quisque narrat, adeo ut facile ibi admitti potuerint equi ad cursum. Conditam à زور ابن الضحاك *Zour fil. Dohâc* urbem hanc plerique auctores antiquæ traditionis fide tradunt: uti & Xahrozour (Persicaque syntaxi Xahrizour, pro quo Keuxiâr & Nasîr Thusæus etiam distinctius شهري زور scribunt) Persice Zouropolin sonat: deinde nomen hoc regioni universæ, uti fieri solet, inditum fuit. In plano quidem sita est urbs; sed montana, salebrosa, & aspera sunt reliqua loca: à Curdis habitata omnia. quæ gens dura, valida & barbara, latrociniis & prædationi dedita, omniqueab ævo impatiens jugi alieni, raro admodum Chalifis aut regibus obsecuta: & si quod eorum respicere impe-

rium visi, ex sese tamen semper habuere hæreditarium ducem sive dynastam, quem میر *Mîr*, pro امیر *Amîr*, vocant; in tribus divisi, quarum quælibet ipsis قوم *Kaum*, quasi *Populus* dicitur. De Curdis dicta nobis quædam sunt pag. Etiam alia eorum urbs fuit, altera illa primaria inferior, nomine سیر *Sîr* vel *seir* insignis: quæ ubi A. H. 341, Muhammedismum, & quidem الشيعة *sectam Xeijiticam* suscepisset, ab alterius incolis sociisque tribubus oppressa, direpta, & combusta fuit, teste Jacuto. Cæterum, ut hoc quoque addam, Hamdalla ex libro Geographico صور الاقاليم inscripto, refert, Zahrezour, primariam eandem urbem, à زور *zour* i. e. *violentia* & *injustitia*, ob gentis indolem & mores, vocitatam: structam autem à Kobado Ibn Firûz, vicinæ etiam, ut dictum est, urbis Hulvan conditore. Atque ipsa hæc Xahrezour prorsus videtur Σιάζȣρ@ esse; ubi Heraclius, victi Chosrois exercitum haud ita procul Ctesiphonte persequens, divertisse scribitur, Theophani in Chronologia, paulo ultra medium totius libri: minus verisimile quod Ibn Patrìc sc. Eutychus Alexandrinus habet, Alexandrum magnum, Komisii morbo correptum, & Xahrezourum usque delatum, ibidem obiisse diem. Eidem urbi propinquus mons est, Jacuto quidem شعران *Xaarán*; Camusio autem الزلم Zelem appellatus, proventu حب الزلم baccarum zelem passim celebratus: ipsa Camusii verba hæc sunt: الزلم محركة جبل قرب شهرزور ونبات لا برز له ولا زهر وفي عروقه التي تحت الارض حب مفلطح حلو باهي: Zelem, vox phatatas habens duas primas litteras, mons est prope Xahrezour, & planta seminis ac floris

ris expers; in cujus radicibus ſub terra conditis baccæ ſunt expanſæ, dulces, *παρορμῶντες εἰς συνουσίαν.* Sunt autem hæc tubercula, Ibn Beithâr & Malajeſâ aliiſque teſtibus, eadem quæ حب العزيز *Baccæ exquiſitæ & ſuaves* dictæ: nempe dulcichinii vulgo, ſive cyperi eſculenti & dulcis, à Dodonæo deſcripti libro 11. cap. 15. ubi videre & corrigere operæ pretium eſt depravatas Arabicas appellationes pene omnes. Materiæ medicæ ſcriptores plerique omnes agentes de Zelemicis hiſce baccis, eas Xahrezouro acceptas ferunt, ſed quorundam oſcitantia eſt & error, putantium baccas illas provenire hoc tantum loco, cum in Syria, Ægypto, Mauritania notiſſimæ ſint & frequentes. Ita forte viſum fuit Parthis, Medis, & Aſſyriis Xahrezouro vicinis: niſi quis forte dixerit baccas zelemiticas ab alteris illis, quas dulcichini eſſe certo conſtat, omnino differre. Jam ante Abulfedæ tempora Xahrezour ut urbs parva, facto decremento forſan, deſcripta fuit, ubertate prædita, & filorum ſe mercatura exercens. Eandem, & egregiam ſatis, hodieque extare ultra Tigrim, à Bagdado diætas ſex vel quinque à Mauſil ad Ortum ſolſtitialem quatuor vel tres, prout diverſimode inſtituuntur diætæ, non ſemel narrantes Armenos audivi, qui ſæpius ultro citroque commearant. Oppidi hujus, vel potius ditionis Curdicæ nomen, ſed quod, emollita R littera, ſcribi pronunciarique ſolet شهرزول *Xahrezoul*, inter ſolennes uſurpatur titulos Turcici Imperatoris: ut quoque validæ illius & indomitæ gentis ſe dominum oſtendat glorieturque. Dictis etiam hoc accedit, à multis inter Corani interpretes

aliosque Orientis scriptores statui, طالوط *Thaluth*, quo nomine *Goliáth* indicatur, ex Curdis prognatum, sive potius ab iisdem Philistæos originem habere: quam ab Ægyptiis arcessunt nostri.

Ibid. سر من راي *Sermenraa*, potius *Serramenraa*, vel *Surro-men-râa*, aut *raj* pro *râa*.] Urbs Iracæ, (sc. Arabum, hoc est Assyriæ, ut alias monui) in Orientali ripa Tigris sita, sub 34. grad. latitudine, 35. circiter minutis occidentalior Bagdado: cui latitudo est 33. grad. & 20. vel 25. min. ut monstratum pag 121. Hoc antea loco vicus oppidumve antiquum extitit, referente Jacuto, سامیرا *Samîra* nomine; conditum, ut ait Hamdalla à شابور ذو الاكتاف *Xapour Scapulario*, cujus mentio fit pag. 188. Id cum Motasimus, Chalifa Abbasidarum octavus, inclyti Almamonis frater, instauratum palatio, templo, turri aliisque superbis structuris exornasset, simili quidem, at boni nominis grato nomine *Serra-men-râa* vel *Surro-men-râa* i.e. *lætatur, qui videt: lætitia videntis*, insigniri voluit: & quid aliud tres illæ voces distinctæ sibi velint? Pro quo vulgus & alii postea, lenitatis & compendii gratia, سامرا *Samerra* dixerunt: aut etiam quod antiquum illud *Samîra* nomen imitati fuerint, vel quod ob causam mox innuendam, ex similis sonis ساء من راي, at contrarii prorsus significatus atque سر من راي, & odiosa appellatione ita contraxerint: quemadmodum Albicri in sua معجم البلدان non obscure indicat. Istuc autem scribunt imperii sedem Bagdado transtulisse Chalifam, laudabili forte etiam soli cœlique temperie allectum, quod militiæ, quam maxime numerosam habebat, sola Bagdâd minus capax esse vi-

dere-

deretur: vel quod à fratris ſui Almamonis inſtitutis diverſa facere gauderet. In hunc, quem dixi, finem, locum illum Samira ab eodem Motaſimo coëmptum fuiſſe evidenter liquet ex iis, quæ Hiſtoria Saracenica habet ad A.H. 227. Ibidem quoque idem Chalifa extremum obiit diem. poſt quem ſucceſſor filius Haroun Vatzicus urbem auxit, appoſito oppido & palatio الهرونية *Harounia* appellatis: itemque alio frater ipſius, Chalifa Abbaſidarum decimus Giafer Mutevackilus opido palatioque, الجعفرية *Giaferia*, utroque nomine petito à proprio nomine conditoris utriuſque, ut ex Hiſt. Sarac. lib. 11. cap. 10. & 11. videre eſt. Motaſimus autem mortuus eſt quinque annis poſtquam Samerram muro auxiſſet: quod factum eſt anno imperii ejus ſeptimo. Si itaque Alfraganus ex Aſtronomorum, ſub Almamone florentium numero fuit, quod quidem in Abu'Ipharagii hiſtoria à præſtantiſſimo Pokockio emendate edita & accurrate verſa legitur, & ſi vera ſunt, quæ ſuperius attuli ex Iacuto; equidem oportuit Alfraganum Almamoni aliquot ſupervixiſſe annos, ut Serra-men-raam hoc ſuo nomine potuerit celebrare. Cæterum & ſequentes poſt Mutevackilum Chalifæ in Semarra inaugurati ſunt, دار الملك *Sedem regiam* habuere, ac plerique etiam obiere diem, uſque Motátidum, qui A.H. 280 ſedem ſuam denuo fixit Bagdadi; ſicut ex Hiſtor. Sarac. liquet. Sed referendum quoque de eadem Semarra, quod & ſuperius in me recepi, ante Motâſimi templum exſtitiſſe ſepulchrum امام علي التقي *Antiſtitis Alis Takæi, nepotis* علي بن موسي رضا *Alis fil. Mouſæ Ridzæ*, ſtructum ibi à filio ipſius امام حسين عسكري

An-

bubus suis ex Arabia istuc commigraverant, propriam sibi nuncupationem vindicant. Suntque دیار بکر *Diâr Becr* دیار مضر *Diâr Modzàr* دیار ربیعة *Diâr Rabæa* ; quarta دیار الجزیرة *Diâr Algiezîra*, insulæ nomine totius, sive absolute *Algiezîra* sc. proprie dicta. Pars Diâr Becr regio est à Tigris Occidentali latere protensa per montes Nisibis, terminos planiciei non excedens; Diâr Modzar fere in planicie est posita circa occiduas partes Euphratis; Diâr Rabæa, quæ medio loco inter urbem Mausil, de qua hic agetur, Chabour & Raso-'lain, de qua postea; Diâr Algiezira, quicquid Mesopotamiæ reliquum est extra trium dictarum limites. Initio quidem Arabes illi, mere campestres fuere & scenitæ; sed paulatim oppidis quoque & pagis consuevere: ita ut بادیة حاضرة, quasi *Campo-oppidani* appellentur apud Abulfedam. Fuit & provinciæ cujusque metropolis sua; sc. primæ Amîd, juxta alios, Mia Farekin, Cedreno & Zonaræ Martyropolis dicta; Secundæ Rakka, Aracta vulgo, post describenda; tertiæ Nisibîn i.e. Nisibis: denique Metropolis quartæ habetur ipsa hæc nostra Mausil; urbs magna & ampla, in occidentali ripa Tigris exstans; juxta meliores hac parte auctores sub latitudine 36. & 50. circiter minut. Bagdado Orientalior grad. 3. & minut. quasi 15. exstructa in plano, quo interrumpitur montosus oræ Tigritanæ tractus; cui haud procul adjacet desertum سنجار *Singiâr*, de qua pag. 72. Et quia ab aliis multis Mesopotamiæ, Assyriæ, Mediæ partibus commodum habet aditum atque ad eas accessum, inde nomen hoc Mausil illi esse inditum quidam volunt, ut quod *aditus* sive *conjun-*

ctionis locum sonat; ideoque ob excellentiam Articulo insignitur. Muro quondam gemino cincta fuit, quem Damasceno majorem suo etiam tempore superstitem, at partim dirutum cum ipsa arce, memorat Abulfeda. Quando A.H. 659. صاحب الموصل *Mauseli Dominus* erat Almelic Assâlich Ismaël, frater Alao-ddîni Loulou domini ditionis Singiâr, Christianorum præcipuos & magnates بلاد نينوى *oppidi Ninivæ*, novi scilicet, antiqui ruderibus superstructi, quod è regione Mausil in orientali Tigris ripa situm habet, eidem subjectum, interficere proposuisset, ut Abu'lpharagius narrat; anno sequenti Helacou, Tatarorum Rex, quasi Christianis favens, Mausilum vehementi facta obsidione expugnavit.

Principem Ismaëlem cum filio necari jussit, urbem diripi, incolas abduci captivos, præstantiora vastari ædificia, magnamque dejici partem murorum. Ita Chronicon Ibn Habîl. Neque tantum ad Mausili ditionem Ninive Transtigritana pertinet, uti dictum est, sed quoque inter ejusdem tractus montes situm الشوش Castellum *Xousj*: unde حب الرمان الشوش denominata mala punica laudantur. Quin & regio tota هكار *Heccâr*, circa insulam Omar & montes Mausilum à Borea spectantes, quæ cognominem urbem & complures pagos comprehendit, habitata Curdis. Est & الحديثة *Hadîtza*, i.e. *recens noviter structum* nomine oppidum Iracæ, quod & حديثة الموصل *Hadîtza Mausili* dicitur, ut ab altera distinguatur Euphrate circumflua. Ideoque Hadîtza ad Euphratem, una parasanga distans ab Anbâr. Haud longe à priori Hadîtza, apud oppidum antiquum dirutum-

tumque آثور *Atur* five *Affur*, influit in Tigrim fluvius الزاب *Zabus*, & quidem الاصغر او الاسفل *minor five inferior*, qui è montibus Xahrozour procedit, inter اربل *Irbil*, uti efferunt, id eft, Arbela Affyriæ, oppidum vetus & collapfum, & aliud nomine دقوقا *Dakouka*. Bidui inde itinere abeft alter Zabus (qui Lycus veterum eft, ut ex Strabone libr. XVI. fub initium conftat) fc. major five fuperior, qui ob præcipitem curfum المجنون *furens* nominatur, originem habens ex eo tractu, qui eft inter idem oppidum Irbil, & ipfum Maufilum. Sunt autem fluvii Zabi alii duo, inferior atque fuperior, qui inter Wafith & Bagdâd in Tigrim fe effundunt tefte Iac. de Aturia, Arbelis & Zabo multa egregie differit eruditiffimus Bochartus in præclaro illo opere, quod Phaleg infcripfit. Quod de Maufilo teftatur Abulfeda, partem ejus modo tertiam fuo ævo habitatam fuiffe, idem hodieque refertur, Maufilum quod nunc exftat, non majus effe tertia parte antiqui illius, quod olim & tempore Alfergani fuit; multo tamen Affyriæ & vicinarum regionum commercio frequentatum. Unde fit ut gallarum optimæ, quæ Xahrozouricæ funt, Maufilenfes vocentur.

بلد *Beleda, Beled* etiam بلط *Belath Iac.*] Mefopotamiæ quoque oppidulum parvum, ut apud Abulfedam defcribitur, in regione Diâr Rabœa, Tigris Occidentali etiam ripæ impofitum, feptem vel, fecundum alios, fex parafangis fupra Maufil, id eft, feptentrionem verfus, in ea Maufili peculiari regione feu campo, qui بقعاء *Bakâo* dicitur, Nifibin ducens, primario fuo notus oppido برقعيد *Berkaîd*; de cujus quatuor

 portis

portis una erat باب بلد *Porta Beledina*, ut ex qua Beledum iretur. Hoc ipſum autem Beledum multi celebrant Geographi, quod ibi fuerit propheta Jonas fil. Mattæ; & ob vicinam Niniven etiam addere quidam audent, eundem huc è piſcis ventre fuiſſe ejectum, atque inde nomen بلط *Belath* urbi eſſe datum, teſte Jacut: Verius hic vocatur مشهد, *locus martyrii*, ut appellant, Omaris fil. Hoſein, fil. Alis, fil. Abu-Thalib, &c, quæ hinc prodiit, virorum tradendis Muhammedis dictis factiſque apud ipſos celebrium multitudo; quorum plures octodecim enumerat Jacutus. Porro hoc ipſum بلد *Beled*, proprium loci nomen (nam ut appellativum plurima notat) deſignat quoque oppidulum in tractu fluvii دجيل *Dugjeil*, ac ſi *Tigrilum* dicas, qui ſupra Bagdadum circa Samerram influit in Tigrim. At cum articulo البلد *Albeled* urbs Mavaranahræ eſt, eadem quæ نسف *Neſef*, inter fluvium Oxum & Samarcandum: item i.q. كرج *Keregj*, oppidum inter Iſphahân & Hamedân: denique idem cum مروروذ *Mervaruda*, de qua actum eſt pag. 182. Hæc noſtra multis ſcriptoribus cum adjecta nominatur (diſcriminis ergo) بلد الحطب *Beledo-'lhatab* pro quo الخطب habet Abulfedæ codex alter.

نصيبين *Niſibyn*, ſcribe cum Abulf. *Neſibîn*] Urbs Meſopotamiæ olim præſtantiſſima, provinciæ Diâr Rabeæ caput; manſionibus tribus à Mauſil diſſita in occaſum, Græcis & Romanis Niſibis dicta: apud Stephanum quoque Naſibis & Neſibis; qui addit hoc nomen, auctore Philone Syris notare *columnas*, Uranio Phœnicibus *congeſtos acervos*. Utique נְצִיבִין eodem modo ac Arabice ſcriptum, plurale eſt: quapropter, teſte

teste Camousio, etiam نصيبون dicitur. Et sicuti nomen illud singulare Hebr. Chald. Arab. *Stationis firma & fixa* significationem habet, ita Nisibin per se stationes & *præsidia*, vel *stationarios* & *præsides* notare manifestum est; ut *talium* potius, quam *columnarum* urbs designari videatur. Namque Nisibis civitas in confinio quondam fuit regni Romanorum & Persarum; Romanis paruit & vectigalis fuit. *Nisibis inde à Mithridatici regni temporibus*, inquit Marcellinus lib. 25, *ne Oriens à Persis caperetur, viribus restitit maximis*. Aliquando tamen & in Persarum devenit potestatem, utrisque valida pro se, modo hisce modo illis, ibi collocantibus præsidia. Ita forte & ante illa tempora apud alios factum fuit. Et quæ Ptol. describitur Mesopotamiæ provincia Acabene, quæ ad Tigris partes vergat, haud improbabile est hanc eandem esse cum אכד *Accad* (b enim & d facilis est permutatio) Gen. x. 10. ad quam pertinuerit Nisibis. Estque borealior quam urbs Singiâr, Singara Ptol. quæ in medio deserti Diâr Rabeæ posita prope fertilem montem, etiam tribus mansionibus à Mausilo in occidentem. Adjacet autem Nisibi ad septentrionem mons magnus & excelsus, Tauri pars, qui ulterius ad sept. exporrectus dicitur Niphates, ubi fontes sunt Tigris. Qua parte Nisibi propinquus Masius vocatur Straboni lib. XVI. eodemque nomine, nempe Masis, vicini Armenii vocant montem Ararat, in quo, decrescente diluvio constitit arca Noachi. Idem ille & Gordiæus mons appellatur, sive Gordiæorum, qui vicini & eidem sunt cum Curdis, uti pag. notatum; quod nomen cum كردي *Curdi* sive *Giurdi* sit, & Arabibus جردي *Giurdi*

 sonare

ſonare debeat: inveterato tamen errore factum eſt, ut جوني *Gioudi* ſcribatur legaturque fere ubique. Ex eodem monte deſcendit fluvius هرماس Hirmâs urbem præterfluens, Straboni & aliis Mygdonius: quemadmodum ipſa Niſibis Antiochia Mygdonia nuncupata à Macedonibus, quod ſita eſſet in ea regione, quæ illis videretur ſimilis Mygdoniæ ſuæ. Niſibin à Romanis ſtructam narrat Jacutus (quod munitam interpretari malim) quippe antiquiorem fuiſſe Chaldaicum nomen ante explicatum arguere videtur, & Clariſſ. Pocockii Eutychius tradit conditam ab Habib, conjuge ſacerdotis Giebel, Synchroni Abrahamo Patriarchæ; auctam vero & ornatam ab Anuxirwano Perſarum Rege, poſtquam Romanis eripuiſſet. Addit Jacutus ſuo etiam tempore cum circum urbem, tum in circumjacentibus pagis quadraginta hortorum millia fuiſſe: & Hamdalla ambitum muri, quem tunc haberet, 6500. paſſubus definit. In deſcribenda Niſibîn urbe peculiaria duo & longe inter ſe diſſidentia notant Scriptores plerique: quorum unum eſt, ſuaviſſimum albæ roſæ genus, nullum tota ايران *Irân* ſimile habens, quod inde Niſibinicum vocant. Sed ita, licet minus veriſimile videatur, ut nulla ibi proveniat rubra: alterum eſt exoſum ſcorpionum genus, quo vix aliud magis lethale. Eos primum ab Anuxirwân, cum obſideret urbem, ex Xahrozuri vico طيرانشاه *Thairanxáh* petitos, ciſtiſque incluſos machinis in urbem injectos fuiſſe narrat Jacutus: Infeſtare quoque ſolitas culices & locuſtas teleſmate quodam velut faſcinatas fuiſſe, ut nocere non poſſent, adjicit Hamdalla: ſed cum Joſephi Saladini tempore inſtau-

ſtaurare murum vellent, repertas ibi ſerias quaſdam, perſuaſi theſauros eſſe, recluderent, inſectis illis plenas inveniſſe; atque exinde veterem noxam hactenus inhibitam, de novo invaluiſſe. Hoc noſtro tempore totam pene collapſam eſſe Niſibin, ab iis, qui reliquias ſpectarunt, accepi. Nomen gentile à نصيبين non tantum eſt نصيبيني *Neſibinus*; ſed etiam velut à نصيب *Nesîb* ſing. نصيبي *Nesibus* teſte Jacut. Cæterum eſt & aliud Neſibin oppidum ſatis magnum ad Euphratem, quod diſcriminis ergo نصيبين الروم *Neſibîn Romæorum* vocatur, ut quod ab Harân ad Romæas ditiones tranſeunti poſt tertiam ſtationem occurrit.

آمد *Amida*. Ita & Marcellino & Procopio, ac aliis ex Latinorum vel Græcorum numero vetuſtioribus dicta Meſopotamiæ urbs; Arabibus autem Amid ſive Amido; minus recte Curopalatæ Emet, prout apud eorundem temporum ſcriptores etiam major occurrit propriorum nominum detortio. Tribuitur illa quidem à Geographis pleriſque omnibus provinciæ Diarbecr; à Geographo tamen Nubienſi & Hamdalla refertur ad Rabæam. Sita eſt in Tigridis ripa, unde quoq; آمد على دجلة *Amid ad Tigridem* vocatur Abulfedæ, qui cum aliis Geographis eandem collocat in *occidentali* ripa; mendoſe *orientali* Arabum habent quædam exemplaria. Tigris ex Tauri montis, qui à ſeptentrione Meſopotamiam ab Armenia diſterminat, excelſa parte, Armeniis Hoquet ſwang i. e. *ſpirituum manſione* dicta; ubi ipſius quaſi principium ponunt vicinæ gentes, quamvis fontes ultra montem ſuperius ad boream ſiti primo juxta Abulfedam, in Fluminum deſcriptione, per montoſos utrinque tractus ad Amidam deducitur,

citur, quam anfractu facto subluit; hinc fertur ad حصن كيفا, vulgo *Hasn Keef* pronunciant, tum ad Insulam Ibn Omar, tum ad Beled supra dictum, & ad Ticrît, deinde ad Surro menrà sive Samerram expositam quoque ante. Urbs ipsa à plerisque prope à trigesimo octavo posita latitudinis gradu, occidentem versus Mesopotamiæ plana aspicit, æquabili & ipsa solo frugifero fructiferoque gaudens, ita tamen ut vicinos habeat tumulos quosdam, & exstructa sit elatiore ac petroso loco. Intra urbem fontes copiosi exstant, atque in meditullio ejus firmissimum Castellum. Cum descriptione hac ab Orientalibus tradita optime convenit illa, quam Marcellinus dedit libr. XVIII. circa finem. Nam quod ibi innuitur prope Amidam erumpere Tigrim, non de ipsis hoc intelligendum fontibus, qui in Armenia existunt, sed de illa, quam dixi ex monte Taurum obumbrante, quasi ex conspicuo, ipsius emersione. Ita etiam, quod Nymphæo amni esse vicinam scribit, cum eundem Martyropoli proximum 300. stadiis distare ab Amida tradat Procopius primo Persic. id accipiendum de Nymphæi principio. Docet vero Abulfeda, citato ante loco, propè ميافارقين *Meyafarekîn*, Tauro monti & Armeniæ viciniorem, quam Cedrenus aliique Martyropolin interpretantur, oriri fluvium باسلنفا *Basilinpha*; eumque in Tigrim labi duabus supra Ticrît parasangis: quapropter, cnm intermedio loco sita sit Amida, non potest ipsa à fluvii ipsius alveo adeo longe abesse. Quem vero fluvium Arabes vel Syri Basilinpham vocant, cum eo, qui Græcis & Latinis Nymphæus dicitur eundem esse, ex circumstantiis satis patet. Testatur quoque Mar-

Marcellinus, *Amidam civitatem olim perquam brevem, ut accolæ suffugium habere possent firmissimum, à Cæsare Constantio turribus circumdatam fuisse amplis & mœnibus &c. Suoque nomine voluisse appellari.* Unde factum videtur, quod ante obscura, ab eo inde tempore celebrari cœperit Amida. Et quemadmodum olim præsidio valido contra Persas sive Parthos à Romanis instructa fuit; ita etiam deinceps præstitit adversus Transtigritanos hostes similem usum. Sic & ipso in Camusio legitur امد بلدة بالثغور Amida oppidum est in collimitaneis contra hostem præsidiis. Et quidem anno Heraclii XXIX. cum illam possiderent Romani, captam fuisse scribit Cedrenus à Jado, Saracenorum sive Arabum duce (qui est عياض بن غنم pro ض elato δ) uti quoque memoratum Græcis & Romanis, celebre illud munitumque oppidum Daras, quod دارا est Abulfedæ. Porro referunt Geographi fere omnes, muros urbis lapide constare tantæ duritiei, ut nec ferro, nec igni cedat; colore eosdem esse nigricante. Atque hinc est quare قرا آمد *Karà Amid*, id est, Turcice *nigra Amida*, vocitata fuerit, postquam in regis Turcarum Selimi potestatem venit, Persarum regi Xâh-Ismaël erepta anno Higzræ 921. Et cum primariæ provinciæ Diarbecr nomine & ipsa & Mesopotamia universa celebrantur. Ibi, in ea, inquam, urbe, sedem habet Mesopotamiæ پاشا *Paxa*, *satrapa*, sive بكلربك *Begler beg*, dominorum dominus, seu præfectorum præfectus, provinciarum nempe prætor, ut cui subjecti sint duodecim صنجاق *Sangiàki*, suæ quisque *ditionis præses*, cum suis Timariotis, militibus nimirum, quibus تيمار τιμάρια, i. e. pro honorario stipendio agri

 assi-

aſſignantur. Muri etiam hodie integri viſuntur, firmi & magni, ſex vel ſeptem M. paſſ. circuitu: contentæ domus juxta Turcarum & populi illius morem maſſa terrea fabricatæ, ſeu crudo latere, quod opus tamen ſatis firmum eſt. Superſunt & lapideæ templorum ſtructuræ, quæ dicata quondam religioni Chriſtianæ, nunc Muhammedanæ ſerviunt: non tamen Chriſtiani deſunt, Armenii imprimis & Aſſyrii Jacobitæ. Falluntur vero, ut hoc quoque addam, qui exiſtimant Amidam eſſe eandem cum Ammœa Ptolemæi, utpote quam ille mediterraneis accenſet; comparari potius cum ipſius Doberta poſſet, quam urbium juxta Tigrim maxime borealem ponit, qualis etiam eſt Amidæ ſitus.

راس العين *Raſo-'laina*, Et pleriſque ſine Articulo راس عين *Râſain* ſeu *Raſeinum*. Ut celebris, & Geogr. Nub. aliiſque etiam tanquam magna, civitas recenſetur inter Meſopotamiæ alias; in plano ſita, in regione Diâr Rabæa, & ſimul in primo tractu Diâr Modzar Jacuto & Abulfedæ, apud quem tamen Geographus Semâni dictus eandem ad Diâr Becr refert, & alius, nempe Ibn Atzîr ad Algiezîram proprie dictam. Ex quibus colligere licet, à quatuor earundem regionum confiniis locum hunc non procul abeſſe. Æquali trium manſionum juxta Abulfedam, ſeu 15. paraſangarum juxta Jacutum, intervallo & à Niſibi & ab Harrân ſive Charris diſſita, & tertia fere parte propinquior celebri etiam oppido دنيسر *Duneiſir*. Mediterranea urbs eſt, Euphratem inter & Tigrim, quam eſſe eandem exiſtimo cum Riſina Ptol. ſeu Reſina Stephani. Nam præter nominis utriuſque, Arabici Raſein, & Græci Reſina, pro diverſo eloquendi modo, nec adeo diſſimi-

milem, quæ utrique à suis tribuitur, longitudo & latitudo, ipsa Steph. verba hoc ipsum arguere videntur, asserentis, Resinam esse urbem circa fluvium Aborram; quæ Chabora Ptolemæo est, uti الخابور Arabibus, & כבר Ezech. cap. 1. Hunc vero fluvium ex plurimorum fontium concursu prope Raseinum existere vicinarum gentium omnes testantur Geographi, Arabes, Syri, Persæ. Quapropter & hoc nomine urbs appellata videtur, quasi *caput fontis*, aut *caput* fluminis *ex fontibus constans*: sive Græcorum Resina ab Arabibus ita fuerit ipsi accommodata rei, sive contra vox Rasein Arabica vel Syra à Græcis pro more suo in lenius inflexa. De Fontibus illis, quorum multitudinem vel ad ter centum extendi scribunt, quatuot sunt præ cæteris insignes & suis nominibus distincti: nempe عين الصرار *Fons Sarrâr*, عين الاس *Fons Alâs* عين الهاشمية apud Jacutum *Fons Haximæus*, عين الزاهرية *Fons Zahiræus*, quasi floridus, qui esse præcipuus videtur, atque inde oppidum Raseinum quoque عين وردة dici, quo etiam nomine celebrari solet, teste Abulfeda & aliis. De eorundem fontium primo memorant Scriptores, tam claras ejus esse aquas, ut, quæ in fundo ejus, alto licet, posita sunt, cernantur distincta admodum & propinqua: & cum aliquando ibi versaretur Chalifa Mutawackil, animi recreandi ergo, in eundem fontem projicienda curasse decem millia dirhem, sive staterum, qui ad unum omnes ab incolis urbis urinando lecti fuerunt & exportati. Dubitavi alias an non hæc Rasein esset Callirhoe Mesopotamiæ, ut quam juxta Edessam & Charras recenset Plin. lib. 5. cap. 24. & à fonte nominatam inquit: sed postea magis

 pla-

placuit opinio præcedens; & Plinii verba ad ipſam referri Edeſſam poſſunt, ut quæ ob pulcherrimum fontem intra ſua mœnia ſcaturientem meruerit Callirhoe dici: unde per aphæreſin factum الرها *Roha* nomen, Arabibus uſitatum, quo duntaxat Edeſſam deſignant, eſſe derivatum videatur. Nam quod à conditore الرها بن البلندي بن مالك بن ذعر *Roha fil. Belendæ, fil. Mâlic, fil. Dzoar*, dictam ſcribit Jacutus, utique ſuſpecta eſſe debet tantæ antiquitatis traditio; ſicuti, quod alii volunt ab الرها بن الروم بن اليفز بن سم بن نوح appellatam, merum eſt figmentum. Porro cum Râſeini neque mœnia, neque portas, aut compita plateaſve, non templa aut arces, neque alia ad urbis formam ſpectantia memorent Geographi, quod ſciam, ſed tantum ex fontibus illius rigari hortos, eorundemque fluxu molendinas converti; equidem per idem Râſeinum magnus quidam videtur intelligendus eſſe pagus ſive vicus, disjuncta habens circa fontes habitacula. Neque vero magis inſolens eſt vicum ejuſmodi appellari مدينة *Civitatem*, quam è contrario urbem dici nomine قرية quod alias denotat pagum. Locum vero Râſ-ain dictum, ſive vici ſive urbis ditionem intelligere libeat, longe admodum protendi vel inde apparet, quod Raſitis, id eſt, incolis Râs eini (nam nomen gentile à راس عين eſſe راسي docet Jac.) ſua ad Chaboram fluvium eſſe oppida ſeu oppidula, quorum duo ſint عربان & طلبان *Arabân* & *Thalabân* dicta, Geographus Nub. tradit parte VI. clim. IV. Ex dictis ſupra fontibus, præſertim ex eo, quem الزاهرية vocari diximus, procedit fluvius Chaboras, & oppidum illud Arabân præterlapſus, 4 deinde

de stationum intervallo prope قرقيسية Kirkisium, mox dicendam urbem, influit in Euphratem, eodem Geogr. Nub. teste; intermedia via in se suscepto fluv. الهرماس hirmâs, cujus ante memini in notis ad Nisibin: postquam hic ipse de se emisit fl. الثرثار Tirtâr, qui, per desertum سنجار Singiâr delatus in Tigrim labitur prope تكريت Ticrît, prout in sua fluminum descriptione tradit Abulfeda. Sed de hisce satis.

Lin. ultima. قاليقلا *Calicala*] Hæc quoque Mesopotamiæ civitas accensetur ab Abulfeda, at Armeniæ, & quidem majori, sive, ut Geographus Nubiensis vocat, interiori, ab Ibn Haukel & aliis. Qui eam tanquam Armeniæ, etiam Aderbigianæ, præsidium sive propugnaculum describunt, quod respiciat ditionem Romæorum: quin & eidem huic, prout variantes sunt temporum fortunæ, quidam adjungunt. Inter eos Ulugbegus est, qui Calicalæ huic longitudinem quidem tribuit quadrante minorem quam Amidæ, at latitudinem gradu integro majorem. Atque ita juxta ipsum sita est in ipso Climatis quarti fine; seu initio climatis quinti, ad quod prorsus eandem refert Geogr. Nubiensis. Et licet Abulfeda, capite de Mesopotamia, latitudinis mensuram secundum alios auctores exhibeat haud paulo minorem; in prima tamen operis sui parte, ubi inter alia flumina الرس Arras, id est, Armeniæ Araxem describit, ex propria sententia, uti videtur, accuratius agens, latitudinem Calicalæ tribuit graduum unius & quadraginta. Nominis originem hanc afferunt Jacutus & Abulfeda: Anuxirvân regis Persarum tempore, hoc est circa Muhammedici regni primordia, turbatis in Oriente rebus, Arme-

niam vicinasque regiones divisas fuisse inter plures regulos, velut ملوك الطوايف, quo etiam nomine dicti fuere post Alexandrum ipsius duces, cuique parti imperantes. Inter eos & quendam Erminacum, de Armenorum gente, regno potitum fuisse; cui successerit uxor قالي Καλὴ dicta, (prout η consonat τῷ Jota, pro recepto illic more) eamque suo nomine urbem Calicalam struxisse, quasi احسان قالي, ut Arabes scribunt, id est, Καλῆς καλὰ vel καλὸν nempe *Calis pulchrum opus*, suamque super urbis porta effigiem collocasse. Addunt quoque insigne ab illa Christianæ religioni templum dicatum fuisse, atque ex ejus interiori crypta effodi candicantem bolum, sive terram quandam singulari pollentem virtute contra noxiorum animalium ictus ac morsus, quæ in festo palmarum à presbyteris populo gratis præberi soleat, in alias etiam gentes gratuito distribuenda. Hoc autem eo libentius adduco, ut si quidem id verum sit, observent Geographiæ studiosi, num idem illud etiam adscribatur illustri æque Christianorum templo, quod est urbis Armenicæ ارزالروم *Arzeroum* sive *Arzroum*: ut quæ eodem referente Jacuto & Abulfeda, à quibusdam haud parvæ auctoritatis scriptoribus eadem censeatur esse cum Calicala, de qua hic agimus. Equidem celebrium duorum fontes amnium Araxis & Euphratis, non amplius quam VI. M. passuum intervallo distantes, existere in eodem monte scribit Plinius lib. VI. cap. IX. eundem ad boreales Tauri partes referunt Ptolemæus & Strabo; eumque aliis Abam, aliis Capotem dici allegato cap. Plinius tradit. At vero Araxem & Euphratem oriri ex montibus Calicalæ vicinis

cinis inter alios Arabum Geographos, diserte testatur Nubiensis parte v. Clim. IV. Idem de Araxe quidem docet Abulfeda, de Euphrate autem Mesoudis in libro cui مروج الذهب. titulum fecit, ubi ita habet:

مبدا الفرات من ثغور ارمينية من جبال هناك تدعي
افردحس علي نحو يوم من قاليقلا:

Initium Euphrates capit ex confinibus Armeniæ, ex quibusdam illic montibus, qui Fredaches vocati à Calicala absunt diei circiter unius itinere. Eosdem montes in urbis Arzeroum, de qua ante dictum est, septentrionali parte collocat Abulfeda, Euphratem describens. Verum enimvero, cum peregrinantium, tum prope incolentium testimoniis constat, eodem illo dietæ spacio ab urbe Arzeroum, alias in planicie sita, existere amplum altumque montem, بيڭ كوّل *Byng geeul*, id est, *mille lacuum* Turcice dictum, propter quamplurimos, qui ibi sunt, lacus & fontes. Inde effusus occasum & austrum versus tendit Euphrates, ad ortum brumalem Araxes; & proximus ab Arzeroum illius quidem fluxus diæta dimidia, hujus autem integra abest. Ex dictis facile verisimile fit, civitatem Calicalam, prout ante allatum est, haud aliam esse, atque Arzeroum; & Geogr. Nub. Calicalam memorans, haud meminerit, quod sciam, nominis Arzeroum, & contra nomen Calicala vulgo ignoretur hodie, quando Arzeroum notissima est. Quo minus tamen opinioni eidem assentiri possim causæ hæ sunt. Quod alii, & quidem plerique omnes Geographi, & in tabulis urbium Astronomi Calicalam & Arzeroum distinctis locis & mensuris designant, hanc præ altera ad boream collocantes vix minus integro gradu. Tum

etiam

etiam nomen ارزن *Arzen* per quam Arzeroum intelligi ſolet, ab Alfragano recenſetur climate demum ſequenti, ubi hac ipſa de re amplius dicendum erit. Ego autem exiſtimo, oppidum cum arce Haſencala dictum, quod ab Arzeroum ad ortum fere brumalem itinere diei declinat, ipſam eſſe, de qua quæritur, Calicalam. Quippe Haſen idem ſonat quod καλή, & ibi magnam exſtitiſſe urbem reliquiæ oſtendunt. Cæterum Euphratis & Araxis fontes, hoc eſt, montem Byng geeul, ab Arzeroum non ad ſeptentrionem, ut inquit Abulfeda, ſed ad auſtrum eſſe, regionis illius indigenæ communi quodam conſenſu teſtantur. Quod attinet gentile nomen, ſicuti à Raſ-ain diximus eſſe راسي *Rhaſis* ſeu *Rhaſæus*, ſimili derivandi modo à Calicala fit قالي *Kalis* ſeu *Kalæus*.

Ibid. سمشاط *ſimxât*, Potius per geminum Xin, uti fere ſcribitur ubique. De الثغور الجزرية inquit Abulfeda, *præſidiariis Meſopotamiæ limitibus* oppidum eſt, (ſimulque كورة *χώρα regio*, ut Albicri in ſuo Mogiam habet) pertinens ad Dijâr Modzar; inter Amidam & Dijâr Becri caſtellum حصن زياد *Hiſn zyâd*, quod alias خرت برت *Charto birt*, & nunc *Char purt*, Charpote Cedreni, nomine notatur, altiori loco munitum. Tridui itinere remotum ab Amida, ut Abulfeda in additamentis Meſopotamiæ inquit, (at ubi codices quidam corrupti صمبساط pro شمشاط habent) bidui itinere à Malathia, de qua poſtea, diſtans in ortum, interlabente, ut Jacutus addit, Euphrate. De tribus partibus, in quas, ex ſententia quorundam apud Abulfedam Armenia dividitur, prima complectitur dictam modo Calicalam, tum & urbem,

de

de qua nunc dicitur, Ximxâth, & de qua post dicetur, Chalâth, atque hisce intermedia loca. Sita autem est hæc Ximxâtha ad fluvium, qui ab ea نهر شمشاط Abulfedæ dicitur, & deinde Charpoten præter lapsus in Euphraten exonerat, suprà Malathiam nempe Melitenem. Neque adeo ambiguum videtur quin eadem Alfragani Ximxâtha sit Σήμιζον Ptolemæi, & Ximxâthæ fluvius idem, qui appellatur ipsi Melas. De Ximxâtha Iacutus narrat, suo tempore jam dirutam fuisse & paucis habitatam, quæ tamen floruerat seculo Alfragani, cum eam eruditionis fama scriptisque suis decoraret Abu-'lhasen Alis Ibn Muhammed Ximxatheus, synchronus Seifodaulæ Hamedâni filio, decantato carminibus Mutenabbis. Cavendum vero ne dicta شمشاط *Ximxâth* urbs confundatur cum سميساط *Sumeisâth* per duplex sin, quod Syriæ Comagenæ est oppidum, in ripa Euphratis, duobus gradibus cum triente, ut proditum à Iacuto, propius accedens ad austrum. Sed quod idem auctor subjungit nomen Ximxâth accersi à conditore Ximxâth fil. Iefen, fil. Sem, fil. Noah, utique referendum, quod & de Amida dictum, ad γενεαλογούντων φρυαγίαν.

حران *Harrân*, Cum Tesdid, ut etiam Græci Χαῤῥὰν & Χάῤῥα & Latini Charræ seu Carræ scribunt, ut ita litteræ Heth sonus exprimatur. Hæc quoque Dyâr Modzàr civitas & regio celebris, Charracena antiquis: nonnulli tamen de Dyâr Becr esse volunt, Ab Edessa, quæ الرها *Roha* nunc vocatur, distans bidui itinere, per planiciem à Bîr sive Birsiria, Mesopotamiæ castello, & in Syriam trajecto, una duntaxat ad-

auſtrum fere verſus ſtatione recedit, & æquali fere ſpacio, juxta Geogr. Nubienſem, à ponte Menbegi poſt exponendo, & tribus ab expoſita modo Raſaina. Notiſſimum Romanis & Græcis ſcriptoribus oppidum: *Craſſorum, M. Patris, & P. Filii clade, & Romani exercitus ærumnis inſigne. Vnde duæ in Perſidem viæ regiæ ducunt, læva per Adjabenam & Tigridem, dextra per Aſſyriam & Euphratem*, inquit Marcellinus lib. XXIII. Terram ejus colore rubram eſſe apud Abulfedam legitur, urbem in plano exſtructam, nec arborum nec aquæ copia gaudere, ſed hanc puteis, externiſque per canales fontibus peti, duabus inde auſtrum inter & orientem paraſangis extante monte. Attamen mirari ſubiit, quare non derivata potius aqua fuerit ex vicino fluvio, quem جلاب *Ginlâb* nomine, ab ita dicto adjacente pago, indigitat Iacutus, ab alio pago, qui ضب *dubbo* nominatur, & à priori IV. m. paſſuum remotus eſt. Eundem Charrham videtur appellare Stephanus, & ſtatuere inde nomen eſſe impoſitum ipſi urbi. Quod tamen tum Orientales, tum alii Scriptores, Sacrarum non prorſus ignari litterarum, ab Abrahæ fratre Haran deducunt. At eidem rei minus quadrare videntur verba Geneſ. XI. ubi Abrahæ Frater vocatur הָרָן *Haran* per He, Græcis Ἀῤῥὰν urbs vero חָרָן per Heth, & Græcis Χαῤῥὰν: tum Haran dicitur mortuus fuiſſe in Ur Chaldæorum, antequam hinc Tarach cum Abraha filio in urbem Harrân habitatum conceſſit. Obſtat etiam, quod ex Orientalium quorundam opinione Iacutus affert, Harran primam eſſe urbem, quæ poſt diluvium ædificata fuerit, ſicuti non adeo procul diſſidet à monte Ararat, ubi con-

constitit Arca. Responderi tamen potest antiquius urbis nomen cum fratris Abrahæ nomine هاران à patre Tarach vel ipso Abrahamo forte permutatum fuisse; quod postea, uti Iacutus tradit; Arabica seu Chaldæa forma sit expressum, ipsique aptatum regioni *torridæ* & *æstuosæ*, quod vox حران notat. Atque hoc ipsum nomen à Mose adhibitum, quod jam ipsius tempore obtineret. Omaris II Chalifæ, circa A.H. 17, Ijâd Ibn Ganam cum aliis Mesopotamiæ locis deditione capta fuit: dicebatur autem مدينة الصابية *Vrbs secta Sabaica*, sive الصابة *Sabarum*; qui nempe exercitum Cœli & sidera colebant, tanquam Numina seu divinis animata mentibus; religionis suæ antiquitatem inde à Noacho repetentes. Nimirum ab eo inde tempore initium illa cepit, mater omnis alterius Idololatriæ. Lege tamen Muhammedis in clientelam pendendi tributi pacto, recepti sunt, uti & المجوس *Magusæi*, non minus quam Christiani & Judæi, quod اهل الكتاب essent, id est, *religionem sectarentur libro comprehensam*. In urbe Harrân primarium ipsis erat tribunal & delubrum, in editiore colle; ita ut gentile nomen حراني *Haranita* sæpe usurpari soleat pro صابي *Sabius* seu *Sabita*, qui est *stellarum cultor*. De eorum doctrina, sacrificiis, aliisq; ritibus, festis, & ad Septentrionem ipsorum قبلة *Kibla* i. e. tractu, quem inter precandum respiciunt, pluribus tractat Ibn Nedîm in postrema Bibliothecæ suæ parte; qui etiam, uti quoque Ibn Kafta complures recenset Harranitas, scientia imprimis Mathematica & Philosophica præstantes. Inter quos sunt, per scripta sua Europæ non incogniti ثابت بن قرة *Thabit ben Kora*, & محمد بن

 دي

جابربن سنان البتاني *Muhammed fil. Giabir fil. Sinân Albettanius*, hinc Albategnius appellari nobis solitus. Est autem بتان *Bettân* sive *Bittân*, ut quidam efferunt, ita dictus terræ tractus de ditione Harrân, quemadmodum loco البتاني apud Abu-lferagium الحراني dicitur. Post expugnatum Bagdadum Helacou Tatarum Rex, per Mesopotamiam tendens Halebum, occupavit Harrân, magnoque detrimento affecit. A quo tempore magis magisque concidit urbs, ut paucos nunc habere incolas dicatur, eosque fere Turcas & Judæos latrociniis deditos.

Ibid. الرقة *Racca sive Arracca, cum Tesdid* ّ ق] Nomine Racca quidem in genere appellatur terra, supra quam ex propinquo alveo seu valle diffundi solet aqua. At cum Articulo hic peculiariter notat Mesopotamiæ urbem in Orientali latere Euphratis positam, in Diâr Modzar; cujus ditionis, ita uti antea dictum, metropolis fuit, hæc Arracca, sicuti Nisibis Diâr Rabeæ, & Miafarekîn regionis Diâr Becr; tum sc. cum hæ florerent urbes; tempore Alfragani. Remota autem est Arracca à dictis modo urbibus, nempe ab Harran stationes à Ras-aina quatuor, à Nisibi. Hæc est, quæ Astronomis nostris corrupte Aracta dicitur, ubi observationes cœlestes instituit circa A.H.300, tabulasque condidit, & ipse nuncupatus vitiose Albategnius pro Albattanius; ab eodem definita quadraginta minutis Orientalior, quam Alexandria, sub latitudine graduum sex & triginta; & quibus minutum duntaxat unum addit Ibn Xathir, & tria Ibn Junis, non improbandi auctores Insignem hic arcem sibi quondam exstruxit Chalîfa Abbasides, Haron Raxîd, quam, ut ab

ab Almanſore avo ſuo condita Bagdad مدينة السلام dicta fuerat, قصر السلام vocavit. Ubi quam lubenti animo commorari ſolitus eſſet Raxìd, tam averſo fere inde fuit filius Almamûn, ipſius ſucceſſor; propterea quod ab Aſtrologis prædictum eſſet futurum, ut in Arracca extremum obiret diem. Neque omini ſuus defuit eventus; nam cum Imperator ille ab expeditione Ægyptiaca contra rebellem عبدوس Aidous ſuſcepta, redux in Romæorum ditiones exercitum duceret, & poſito apud ſaluberrimi fontis rivum, nomine بدندون *Bedendoun* tabernaculo ſubſiſteret, morbo ibi correptus forte quæſivit, quod eſſet loci nomen; ut accepit Arraccam dici, pro ea, ut videtur, ſignificatione, quæ initio allata fuit, uti & alia ſunt eodem nomine inſignita loca, fati ſui memor haud multo poſt fato functus fuit, & in propinqua urbe Tarſo ſepultus. Hæc Mirchondus refert operis hiſtorici volum. III. Simile quid de Cambyſe, Cyri filio, Herodotus memorat Thalia. Dicta autem fuit hæc noſtra, ut redeam unde ſum digreſſus, الرقة البيضا *Racca alba ſive illuſtris*, quia etiam altera inferior erat, الرقة السود *Racca nigra ſeu obſcura*, magnuſque pagus, hortis admodum frequens, una diſtans paraſanga: & in oppoſita Euphratis ora etiam oppidum erat, رقة واسط *Racca VVaſith* vel *medium*, collocatum ea parte, unde via ad Ruſafam ducit, in quo duæ arces erant Haxâmi Ibn Abdo-lmalic. Sunt autem alia tria prope Raccam loca apud Geographos & Hiſtoricos celebria, nempe الرافقة *Ráfika* الرصافة *Ruſâfa* ambæ urbes, & صفين *Siffin* campus: quæ paucis deſcribi haud abs re fuerit. Ráfikan quidem quaſi *ſociam* & *comitem Arracka* (quidam رديفها

 ſub-

ſuburbium ejus appellant) in eadem Euphratis ripa conſtruxiſſe ſcribitur Almanſor, Bagdadi ſui forma, vix triente milliaris ſejunctam à Racca, ita ut una eſſe civitas videretur, licet ſuo quæque muro diſcluſa eſſet. Et Jacuti ævo, quum diruta Racca eſſet, in Ráfica, velut ſe altera, nomen ſervavit, quæ inde Racca dici cœpit. Rusâfa, quaſi *Lithoſtroton* dicas, urbs ad occaſum Euphratis, à dicto Haxiâmo condita, vel juxta alios inſtaurata fuit in extremitate deſerti, cum graſſante per Syriam peſtilentia loco perflabili & libero expeteret ſeceſſum, in quo etiam poſtea æſtates exigere gaudebat. Inde & Rusâfa Haxiêmi vocitata fuit, ut à ſimilibus Rusâfa Baſræ, Rusâfa Cordubæ & aliis hæc diſtingueretur. Denique Siffin locus eſt in planiciem juxta occidentalem Euphratis ripam, ex adverſo Rackæ, exporrectus longe lateque, ubi memorabilis illa inter Alim & Muaviam repetitis vicibus commiſſa fuit pugna, qua ſeptuaginta millia utrinque occubuiſſe ſcribunt. Neque hoc de Racca ſubticendum puto, inter Raccam utramque albam & nigram, de qua dixi, fluvium البليخ *Baleech* nomine, unde & Racca poſterior ſibi potum haurit, ex tractus Harranici fontibus exortum, ejuſdemque fluvio Giûlâbo auctum ſe effundere in Euphratem. Sed nec illud non notandum, quod Geographus Nubienſis part. v. Clim. IV. habet:

الرقة واسطة ديار مضر كما قدمناه ويسمي بالرومية بالانيقوس:

Racca urbs eſt primaria ſeu *metropolis* (vox proprie mediam & præcipuam lineæ margaritam notat) *Diár Modzar & Græce Balanicos* (ſcribendum cum Abulferagio

feragio est قالونيقوس *Calonicos*) vocatur: seu potius ex vero *Callinicos* cum Theophylacto Simocatte Histor. Byzant. lib v. cap. VII. ubi inquit, *καλλίνικον* regionis Osroënæ esse oppidum, &c.

Ibid. قرقيسيا *Carkisia & sine priori Je, atque etiam sine Medda in fine, ut Iacutus monet*] Regio, desinente Albicri, inter Hiram antiquam Assyriæ urbem, & Syriam, in Mesopotamiæ parte, quæ Rabæa dicitur; at consentientibus Geographis inter se cæteris fere omnibus, proprie pertinet, ad Diâr Modzar. Præcipue autem hic intelligenda est regionis ejusdem urbs ita dicta, & quidem, ut plerique scribunt, qui circa Alfragani tempora vixere جليلة *Egregia* & *Clara*, quam novissime dictæ Arrackæ propinquam facit Abulfeda: sed gradu uno hinc & quincunce in Orientem, unoque gradu & besse in austrum eam collocat Nasîr Thusæus. Describit eam Iacutus hoc modo:

قرقيسيا بلد على نهر الخابور قرب رحبة مالك بن طوق على ستة فرسخ وعندها مصب الخابور في الفرات وهي في مثلث بين الخابور والفرات:

Kirkisiä oppidum est ad amnem Chaboram sive Aboram, prope Rohba seu Rabba Máliki fil. Tavvuk, Talcbitæ, qui unus fuit de Chalifæ Raxîdi ducibus, & oppidi hujus conditor sive restaurator habetur; nam & alia sunt eodem Rohba prænomine, ut quod in genere *depressiorem inter circumstantes montes locum* denotat *aquis irriguum*, sex inde (tribus est in Abulfeda) parasangis distans austrum versus. Apud hoc autem oppidum effunditur Abora seu Aborra in Euphratem; ita ut in triangulo situm sit inter fluvium utrumque. Cum quibus conferenda sunt Ammiani verba,

quæ

tivum gentile vel locale inde nomen eſt قرقيسياني adſcito Nûn, vel etiam neglecto, ut Iac: docet.

Pag. 38. lin. 1. بالس *Balis*] Hoc in Euphratis ora occidentali oppidum Syriæ parvum eſt, in ea regione, quam de quinque اجناد, in quas diviſa fuit Syria pag. 125. جند قنسرين *Giund Kinſarina* ſeu potius *Kinneſrin* vocari diximus. Atque hoc ex Irâk ſive Aſſyria in Syriam tendenti primum occurrit, in Orientali Euphratis ripa oppoſitam ſibi habens, quæ modo deſcripta eſt Arracca. Balis quondam فرضة *Forda* i. e. *portum* ſive navale fuiſſe Syris, unde ſecundo flumine deſcenderent verſus Aſſyriæ partes, legitur apud Abulfedam. Attamen perhibet Jacutus Euphratem ab eodem Balis oppido paulatim receſſiſſe in ortum, ita ut ſuo tempore, vixit autem ſextum circa Higjræ ſeculum, inde ad milliaria, Arabica nempe, quæ æquantur Italicis quatuor abeſſet. Tum Arabiæ tum Syriæ limites deſcribens Abulfeda aperte oſtendit Balis, de quo agimus, gemino eſſe conterminum Syriæ & Arabiæ, deſerto, in boreali ſcilicet extremitate utriuſque, quæ auſtrali ſui parte attingunt Arabiam. Porro Balis, uti tradit Abulfeda, medio quaſi loco exiſtit inter Arraccam & Halebum, hinc quindecim, illinc tredecim diſſitum paraſangis. Inter Arraccam vero & Balis celebre intercedit in margine Euphratis Orientali قلعة دوشر *Caſtellum Dauxar*, à conditore ita dictum, poſitum paraſangis quinque infra Balis, quod poſtea de Domini ſui سابق الدين جعبر القشيري nomine قلعة جعبر *Caſtellum Giabar* nuncupatum fuit, uti memorat Abulfeda. Eſtque illud, ubi Solimân Xâh, avus Oſmânis, qui domui Turcarum Oſmanicæ no-

kk men

men dedit, cum ſuis Euphratem tranſire cupiens, ſubmerſus fuit. Ex adverſo caſtelli ejuſdem etiam pars exporrigitur campi illius Siffin, quem & Araccæ opponi, paulo ante diximus.

Ibid. منبج *Menbigium*] Etiam hoc in eadem Syriæ regione Giund Kinneſrin urbs eſt, à poſt memoranda Malathia ad ortum brumalem quatriduo, ab Halebo autem biduo, & ab Euphrate vix die uno diſſita: ſcrupulis decem Orientalior, & quaſi undetriginta borealior quam Balis noviſſime dicta, ita uti ex Abulfeda & aliis patet. Nomen quidem منبج *Menbigz* Arabice deſignat *conſeſſum in editiori loco*, ſed oppido huic id minime quadrat, quippe quod in plano eſſe poſitum Geographi teſtantur: quapropter potior illorum eſt ſententia, qui tradunt vocatum fuiſſe منبة *Menba*, à cognomini Perſicæ religionis fano, quod ab الاكاسرة *Choſroibus*, Perſarum regibus, qui Syriam ſubjugarunt, conditum, ſive novo modo inſtauratum fuerit. Idem vero nomen Arabes pro more ſuo extuliſſe per منبج *Menbigz*, quorum primus عبيد الله بن الجراح *Obeidolla Ibn Algierrah*, præmiſſo cum copiis duce عياض Iâdzo, cujus ante memini, Romæis ſive Græcis illud A. H. decimo ſexto facta deditione ademit, una cum propinquis munimentis رعبان *Raabân* دلوك *delouc* & قورس *Korus*, quod videtur eſſe Syriæ oppidum Cyrrhus. Quæ omnia ſimul cum capta Antiochia Raxîdus Chalifa validioribus operibus inſtructa العواصم nuncupavit, quod contra hoſtes *Præſidia* eſſent. وجعل مدينة العواصم منبج واسكنها عبد الله بن صالح بن علي بن عبد الله بن عباس inquit Iacutus, *&* *Menbigium primariam conſtituit præſidiorum iſtorum urbem,*

bem, eamque cognato ſuo *Ibn Ali filio Abdo-llæ Abbaſidæ* tanquam Tetrarchæ, *incolendam dedit*, qui & præclaris eandem ædificiis ornavit. Cæterum Menbigio ad Euphratem è directo aut propinquo opponitur oppidulum munitione & tranſitu fluminis haud obſcurum, quod propterea جسر منبج *Pons Menbigii* dicitur, campum aquis ex Euphrate irriguum fertilemque habens; & probabile videri queat, hoc veterum eſſe *Zeugma*, id & Græcis pontem notat, LXXII. *paſſ. mill. à Samoſatis, tranſitu Euphratis nobile*, uti Plin. lib. V. cap. XXIV. habet. Notandum quod de maxima Syriæ inde ab Euphrate latitudine ſcribit Abulfeda, eam nempe procedere à Menbigii ponte ſupra dicto, per Menbigium ipſum per قورس Corus ſive Cyrrhum in limite Kinneſrin, per dicta Antiochiæ præſidia, tranſire deinde per montem اللكام *Allocam* ſc. Tauri partem, ſeu Amanum, quo Ciliciam à Syria dirimunt Geographi veteres Græci & Romani, tum per Miſſinam ſeu Mophieſtiam, per Adamam & Tarſum; prout tria illa oppida, de quibus poſtea, illo tempore Syriæ accenſebantur. Neque vero dubitare ſinit expoſita jam ſitus ratio, quin Menbigium de quo hic ſermo, ſit Hierapolis Syriæ, ſunt quippe ejus nominis urbes quoque aliæ; ita dicta, quod multa contineret ſacra; peculiariter, ut Stephanus notat, etiam Hieropolis dicta, propter celeberrimum Deæ Syriæ templum, quod Lucianus à Samoſatis haud procul inde natus ſuo de illa Dea libro luculenter deſcribit. S. Abercii Epiſcopi Hieropoleos memoriam Eccleſia Græca celebrat 22 Oct. uti in ejuſdem menologio Græco legitur: pro quo nempe ἱεραπόλεως nomine; Menologium idem

 Arabi-

Arabice verſum Eccleſiæ Græcæ aſſeclis in Syriâ uſitatum, منبج *Menbigium* habet. Et ſic quoque in Gloſſ. Copto-Arabico ιερἀπολις per منبج redditur; at ubi vitioſe منبج excuſum eſt. Vetus nomen منبه *Menba* ſeu *Manba*, quod ab Orientalibus urbi attributum diximus, non adeo diſſonum eſt à Bambyce, quo nomine Hierapolin fuiſſe appellatam Plinius teſtis eſt lib. v. cap. XXIII. ut non alterum ex altero natum videri poſſit. Atque illud forte Syriacum idem eſt, quod Lucianus allegati libri ſui initio innuit, antiquitus Hierapoli, hoc quippe Græcum eſt, inditum fuiſſe. Famoſiſſimus ibi Atargetæ, quæ Syra & Hieropolitana Dea, olim viguit cultus, de quo Lucianus conſulatur dicto libro, & doctiſſimus Seldenus de Dis Syris ſyntagm. II. cap. III. Idemque illud nomen Manba ſive Menba ſervatum videtur tempore Perſarum, poſtquam illi urbem ſuo ſubdiderunt imperio, & ſuperbum illud delubrum ad ſuas cerimonias velut πυρεῖον, ſeu prout Strabo vocat πυροθαιεῖον, *ſacri ignis ædem* uſurparunt. A منبج *Menbigz* autem, ut de ea dicere deſinam, gentile ſive locale nomen fit, communem citra derivationis normam منبجاني *Menbegianus*, unde notum veſtium genus الثياب المنبجانيه. Oppidum ipſum nunc eſſe collapſum, & pagi ſeu vici tantum forma ſpectari, narrantes audivi vicinos.

Ibid. lin. 2. شميساط (perperam nonnulli primam per ش ſcribunt) *Sumeiſata* ſcil. *Samoſata*] Plurali numero, atque etiam ſingulari Samoſatum dicunt Græci & Latini. Hæc Syriæ urbs eſt, parvæ regionis Commagenæ (كماخ *Camach* Arab.) ſive regni Commageni quondam caput, uti Strabo, Plinius, aliique teſtantur

ſtantur diſertis verbis. Urbs naturæ beneficio bene munita, deinde facta Romæorum provincia, Strabo libr. XVI. qui ætate Tiberii ſcripſit; unde & Samoſata legio nuncupata Ptolemæo. Impoſita quippe illi, inquit in Itinerario Antoninus, cujus tempore Ptolemæus vixit, contra Perſarum incurſiones & aſſultus legio Romana fuit, at quota fuerit illa, variantes in Codd. MSS. numeri incertum relinquunt. Sita namque ſunt Samoſata in Occidentali Euphratis parte, quæ imperii Romani terminus erat. Ita refert in Chronologia Theophanes Heraclium, ab expeditione in Perſas ſuſcepta reducem trajecto flumine, Euphrate nempe, Samoſata veniſſe, & ſuperato Tauro Germaniciam appuliſſe, tranſitaque Adana Sarum fluvium attigiſſe; prope quem cum adveniente ſeu inſequente Perſarum exercitu Imperator conflixit. Et ſicuti Abulfeda de Syriæ limitibus agens, Samoſatum collocat in extremitate ejus boreali, ita terminos Meſopotamiæ deſcribens idem oppidum iſtic conſtituit loci, ubi in ortum declinare incipit Euphrates; & commode navigia ferre Bagdadum verſus Meſopotamiam oblique ſuccincturus ab auſtro. Tradit autem idem auctor ex Ibn Haukel, Samoſatum & pontem Menbigz, de quo ante, duo parva tunc temporis, at munita, fuiſſe oppida, quæ tanquam vicina ſimul memorat; ita ut Strabo citato libro Samoſatis propinquum ponit Zeugma, id eſt, ad Commagenam Euphratis pontem. Duobus autem illis, Samoſatis & Ponti Menbigz hoc tribuitur commune, quod, uti & ante dixi, fertilem habeant agrum, & arva, quæ rigentur ex Euphrata. Eſt quoque ibi *Marſyas amnis*,

 de

de quo Plinius libr. 11. cap. 24. *à Samoſatis, latere Syriæ, influit in Euphratem.* Cavendum vero ne سميساط *Sumeiſât*, de qua agimus, & شمشاط *Ximxât*, de qua antea actum, ob Scripturæ Arabicæ ſimilitudinem confundantur, quod tamen ſubinde apud ſcriptores fieri contingit; quippe differentia ex iis, quæ utriuſque dicta, ſatis evidens eſt & diſtincta. Inclaruere Samoſata duobus præcipue alumnis, Luciano & Paulo illo, qui Paulicianorum hæreſi & ſectæ nomen dedit.

Ibid. ملطية *Malathia*] Keuxiân Gilæus, & vix alius, ملاطية ſcribit, doctiores per Ie ſimplex efferunt, penultimam corripientes, teſte Iacuto; vulgus per Ie duplicatum, penultima producta, Malatija. Eſt hæc omnem citra dubitationem, Græcorum & Latinorum μελιτηνή ſeu μελιτινή; utroque enim modo legitur apud Ptolemæum Melitene & Militine. Cum autem Syriæ incolis nomen ملطية ſit notiſſimum, inſcitiæ fuit, vocem hanc Græcorum μελιτινή, in Menologio ad VII. Aprilis occurrentem, Syris iiſdem Eccleſiæ Græcæ addictis Arabice redditam eſſe per ميليتيني; & è contrario ſcriptores quoſdam Arabes μιλήσιος, à μιλητὸς gentile nomen, interpretari per ملطي, quod prorſus eſt μελιτινὸς, & non per ميليتي: plurimum quippe intereſt Mileto Ioniæ hæc Melitine. Quæ quidem aliis Cappadociæ eſſe urbs dicitur, aliis Armeniæ minoris ſive ſecundæ. Leonis Auguſti novella de thronis Melitenum Armeniæ ſecundæ metropolin facit: minus ergo convenit à Strabone ſcribi libr. XII; quod nec Cataoniæ, nec Melitene ullam habeat urbem: ſed munita tantum in montibus caſtella. Arabum plerique Mala-

Malathiam ad بلاد الروم *regionem Romæorum* referunt, ut quæ juxta eos & Cappadociam comprehendit: quidam vero Syriæ accensent, ut quoque Zonaras: ita Ibn Haukel Syriæ longitudinem designat à Malathia, ceu extremo ad Boream termino, usque رفح *Refah* velut extremitatem à meridie oppositam; quæ mansio quædam est in arenoso tractu, qui Syriam intercedit & Ægyptum, الاعجار *Alfigiâr* vocatus. Ibn Chordadeba Malathiam ثغر الجزيرة, Φρȣ́ριον *præsidiarium castrum* Mesopotamiæ appellat; eo namque situm est loco, unde in prædictas regiones omnes facile excursiones & impetus fieri possent. Ut non immerito Ibn Saîd de Malatia, considerata etiam magnitudine, dicat eam قاعدة الثغر *præsidiorum* omnium, quæ istis in locis tunc plura erant, *primarium, ac veluti metropolin esse.* Ea propter Chalifa Abu Giafar Almansor, Abbasidarum secundus, oppidum hoc, quod Constantinus Leonis Isauri filius ex Arabum potestate recuperaverat, imperii sui anno undecimo, ut Cedrenus testis est, id est A.H. 136, denuo occupatum, quadriennio post egregiis munimentis instaurari jussit, validoque præsidio instruxit. & quidem in Muslimorum sive Arabum potestate permansit, Romanis infestum admodum & grave; ita ut Cedreno Sarraceni sive Arabes præ cæteris celebrentur Meliteni: donec tandem A. H. 322, prout ex annalibus refert Iacutus, Romanorum sive Romæorum viribus expugnatum fuit. Quod & Cedrenus affirmat, idque contigisse imperante Constantino, Leonis Philosophi filio, Domestico scholarum Syriæ existente Ioanne Curcua. Excidii illius spectator Poëta quidam inquit:

لابكين

لابكيى على ملطية كلما ابصرت سيفا اوسمعت صهيلا *
هدم الدمستق سورها وقصورها فسمعت لنسا عويلا *

Flere me juvat Malatiam, quoties video ensem, vel audio hinnitum.

Diruit Domesticus murum ejus & arces, unde audivi editum mulieribus ululatum.

Perperam itaque hæc ab Almacino in Hiſt. Sarac. atque inde, ut videtur, ab Abu-Ipharagio in dynaſtiarum hiſtoria referuntur ad A. H. 223, & Theophilo Michaëlis Balbi Filio, tribuuntur: cum ne quidem 40 annis poſtea Baſilius Macedo præcipuis copiis, viribuſque & machinis adhibitis, ut idem diſerte narrat Cedrenus, Melitenam potuerit occupare. Cæterum de Malatia urbe Geographi Arabes notant, quod tribus quaſi à سيواس *Sivvás*, id eſt, *Sebaſtia*, manſionibus locata ſit in planicie, quam remoti paulum montes cingunt; quorum qui ad auſtrum eſt, الجبل الداير *Mons ambiens* vocatur, ad cujus occaſum سيس *Sîs* extat, quæ tunc Armenicæ gentis regia erat. Duobus autem milliaribus (ut Geogr. Nub. p. 5. clim. 4. habet) Malatia ab Euphrate abeſt ad Occidentem, neque tantillum intervallum impedit, ut non juxta Euphratem eſſe poſita dici poſſit, quod de Melitena aſſeruit Plinius & Ptolemæus, quod & per ſe veriſſimum eſt, ſi ipſa intelligatur regio ſeu præfectura. Quin à parvo quodam flumine urbs Malatia alluitur: Euphrates autem ab Arzerûm exortus كمخ *Kemach* h. e. Cappadociæ Comanam, ut puto, ſeu Comagenam, deinde Malatiam præterlapſus, ad Samoſata fertur, ubi ἐπιστροφὴν *diverticulum* facit, in ortum inter & auſtrum. Ex prædicto rivulo etiam aliis rigantur rivis, qui

qui circumjacent, plurimi horti, fructuum domesticorum (& insignium, ut mala etiam Halebum longiusque mittantur, est quippe regio pro situ frigida) feracissimi, & tanto quidem proventu, ut iis cuique fere liceat pro arbitrio frui; Abulfedæis hisce aliorum quoque dicta consonant. Jacobus Gassotus Gallus, qui A.C. 1548. expeditioni interfuit, à Solimano Turcarum rege in Persarum regem Tahmäs susceptæ, & loca illa diligenter lustravit, edita eleganti epistola Malatiam velut parvam urbem describit, (quæ tamen magna satis fuit Ibn Saîd teste, cum præsidio potens esset) prope quam finiunt Taurus, Amasius & Amanus: unde & quatuor dierum itinere per montes asperos & difficiles transeundæ occurrunt in summo pylæ Amanicæ, quæ portam referunt, & propter contractum vetustate colorem قره قپو *Nigra porta* hodieque Turcis dicuntur. Ut cum dictis hisce veterum testimonia comparentur, Plinius libr. VI. cap. III. inquit: *Cappadociæ pars prætenta Armeniæ majori, Melitene vocatur: Comagena, Cataonia.* Et enumerans ipsa Cappadociæ oppida, post Sebastiam meminit Melitæ à Semiramide conditæ (Iacutus Malatiam ab Alexandro M. esse structam tradit) quam haud procul ab Euphrate esse sitam ait; uti & Abulfeda Euphratem describens eum prope Malatiam ferri testatur. Vixque dubium est, quin ibi Melita aut designet ipsam Melitenæ regionis urbem, aut mendosa sit lectio pro Melitena; quam inter Cappadociæ urbes alias non recenset, cum tamen eidem subjiciat. Libro autem V. cap. XIIII, quo de Euphrate agit, *eum à Pastona ad Melitenam Cappadociæ navigari* inquiens, regionem

 intel-

intelligere videtur. Quemadmodum & Ptolemæus Armeniam minorem exhibens, Melitenæ regioni includit ejusdem nominis civitatem. Strabo libro XI docet regionem eandem Melitenam sub Cataonia fuisse positam, quæ subjuncta esset Cappadociæ. Et libro XII eandem Melitenæ præfecturam inter Cataoniam & Euphratem sitam, attingere Comagenam, ac partem Cappadociæ decimam haberi; ut quidem in decem hæc divisa tunc erat provincias. Libro autem XI idem Auctor notat, Amanum, qui à Cilicio Tauro avulsum frustum est, ad Melitenem progredi & Euphratem; atque excipere montes trans eundem fluvium sitos, contiguos prædictis, nisi quantum abscindit ille per medios transiens. Atque ita videntur existere ibi Euphratis cataractæ, inter Melitenem & Samosata: ultra illam quippe navigatio è superioribus procedit, ut ex Plinio liquet; à Samosatis, ut ante dictum; incipit alia. Denique libr. XII docet Melitenem per omnia similem esse Comagenæ: totam enim domesticis conseri arboribus, solam ex omnibus Cappadociæ partibus; ita ut Oleam quoque ferat. Celebratum est adagio vulgari Malatiense purpurissi genus: ما أحمر حمرة ملطية وجهه *Hand infecerit eum rubore purpurissum Malatiæ*, quod in homines strenue impudentes jaci solet. Malatiam condecoravit natalibus suis præclarus ille Medicus Gregorius Abu-lpharajius, seu, ut efferre meus mos est, Abu-lferegius, Historiæ Dynastiarum Auctor, quam Arab. & Lat. egregia certe & accurata opera nobis dedit V. Cl. Eduardus Pocockius, ob ingenuam virtutem, & eximiam eruditionem longæva vita, bonorum amore, laude omnium

mnium

mnium dignissimus. In illa Dynastiæ IX historia memorabile est inter cætera, quod de servata à Tartaris per parentem patria urbe idem Gregorius narrat. Eandem postea Soltani Ægyptii دیوار, i. e. *summo præfecto*, Turcarum Rex Bajazid Iilderim, *fulminis* cognomento superbus, potestati suæ expugnando subjecit A. H. 800.

Ibid. زنطرة *Zanthara*, mendum MS est pro زبطرة *Zebatra* Abulf.] vel, ut Iacutus & Camus, *Zibatra*. Oppidum hoc fuit seu castellum, circa Almamonis Chalifæ tempora, quando Alferganus vixit, celeberrimum, qualia fere hic noster in medium afferre solet; inter Malatiam & Samosata locatum, in Romæorum extrema Syriam versus ditione, diei quasi geminæ vel unius magnæ à Malatia intervallo versus austrum; ut allegati jam Scriptores affirmant. Neque ambiguum puto, quin hæc Zapetra & Soropetra sit Cedreni, quam Imperator Theophilus Michaëlis Balbi filius, A. H. 223, uti & Almacinus in Hist. Sarac. & Abu-'l pheregius in Dynastiarum epitome testes sunt, cum magnam Syriæ, à Saracenis sive Arabibus tunc infessæ, partem prædando vastaret, expugnavit; *patriam*, inquit Cedrenus, *Amerumnæ* (id est امير المومنين *Imperatoris Fidelium*, *seu Chalifæ*, qui tunc erat Motaasem Billa, inclyti Almamonis frater) *multum illo per litteras deprecante, ut patriæ parceretur.* Quæ & Zonaras libr. III. iisdem pene verbis confirmat. At vero ita supplicem fuisse Chalifam haud sit verisimile; aut nativitatem ejus vel educationem huc posse referri, nisi forte de matris ipsius, quæ ام ولد *concubina* seu *ancilla* fuit, Maridæ, natalibus res sit intelligenda. Attamen

men Zapetram ab Arabibus haud multo poſt recuperatam fuiſſe ex eo conſtat: quod idem Cedrenus refert, Baſilium Macedonem, qui 40 inde annis imperavit, ſelectorum militum manum miſiſſe Zabetram & Samoſata, qui per anguſtias primo aditu penetrantes, illam quidem de improviſo captam cæde complerunt, & circumjacentibus incendio vaſtatis Samoſata peſſumdederunt. Lexici Geographici Auctor quidam, qui Solimanis Imperatoris Turcici tempore ſcripſit, de Zebetra ſive Zapetra agens de ſuo addit: زبطره اليوم خراب خالية عن الساكن ولم يبق بها غير رسم سورها *Zebatra hodie diruta eſt, incolis vacua, neque de ea quid ſupereſt præter muri ipſius rudera.* Primo dictam fuiſſe puto Sozopetram, ob munitionem & præſidium, quaſi *Salutaris rupis* nomine, & deinde, brevitatis & lenitatis gratia, Zapetram, nam quod ex Kelebeo adducunt, ita vocatam à زبطره بنته الروم بن يغن بن سام بن نوح pro figmento habendum, qualia etiam notata ſunt antea: & videtur quidem ipſius Melitenæ regionis caſtrum eſſe; uti eam, at civitatis expertem, multa continuiſſe caſtella tradidit Strabo. Vel dubitari poſſet, annon ſit Zopariſtus Ptolemæi: niſi quod hanc ſemigradu borealiorem faciat, quam urbem Melitenem, cum Zapetram eſſe Auſtraliorem conſtet: ſed non adeo exquiſita eſt Geographorum in hiſce menſura, ut tantillæ differentiæ magna ſit habenda ratio.

Ibid. حلب *Halebum.*] Poſteriorum temporum ſcriptoribus Græcis Χάλεπ, ut aſper exprimi poſſet litteræ ح ſpiritus; Europæis, recepta primum ab Italis voce, Aleppo, & Alapia quibuſdam: magis depravate Roberto Monacho Galapia, ob ejuſdem litteræ

Ha

Ha aspirationem. Syriæ Commagenam versus primaria civitas (qualis قصبة *Kasaba* Arabibus dici solet) in ea regione sive parte, quam Giund Kinnesrîn vocavi pag. 125. Olim quidem ejusdem regionis Metropolis censebatur cognominis urbs Kinnesrîn, diei itinere inter occasum brumalem & austrum ab Halebo dissita, de qua dicendum postea. Sed declinante hac, quod præsidiariis Christianorum & Muslimicorum confiniis magis vicina esset, & expeditionum, quæ circa ea loca fierent, injuriis obnoxia; Halebum tantundem incremento profecit, & evectum fuit: præsertim quod situ suo fere omnibus ab Euphrate & Oriente ad prædictos limites, & mare mediterraneum tendentibus opportunum esset. Quæ commoditas majores habuit tunc effectus, quando Syria & Cilicia sub unius Domini potestatem redactæ fuerunt. Explorata autem Halebi latitudo, est 36,46; longitudo Orientalior quam Alexandriæ Ægypti 10;35. Ad designandum ejus situm quoque facit & altera Alexandria, scilicet Syriæ, ad Issum dicta, utpote in ipso sita sinu Issico, quæ, Arabibus etiam اسكندرية vocata fuit, & post peculiariter اسكندرونة *Scanderona*, & باب اسكندرونة *Porta Scanderonæ*; pro quo Turcæ, & hodie etiam Arabes, اسكلة اسكندرونة *Scala Alexandronæ*, Europæi fere veteres imitati, quibus Alexandria minor vocata dicunt *Alexandretta*. Est vero hic navium ex Ægypto, Cypro, & ulteriori mari venientium tuta ac fida statio in Issico sinu. Halebo distat occasum versus exigua cum declinatione ad septentrionem quindecim circiter parasangis, occurrente ad viæ, quæ inde Halebum ducit, fere trientem montis اللكام *Allo-*

câm, id eſt, *Amani*, parte بيلام *Beilâm* à cognomini iſtic oppido vocata. Alexandria hæc tempore Abulfedæ ditionis Muſlimicæ terminus erat; cui proxime ad Septentrionem ſuccedit cum portu ſuo oppidum باياس *Bajâs* ſeu *Pajas*, & paulo poſt aliud cum ſuo اياس *Ajâs*, quod Veterum Iſſus, & in mediterraneis prope Pylas Amanicas بغراس *Bagrâs*, Pagræ Strabonis lib. XVI. Hæc tunc Chriſtianorum erant, qui ارمن *Armeni* dicebantur: eorum portus erat *Ajâs* ante dictus, unde in Cyprum, & alias Chriſtianorum regiones navigari ſolebat. A nomine Ajâs eſt Marci Poli, & aliorum, qui circa Belli ſacri tempora ſcripſerunt, Giazza, quo modo Itali efferre ſolent, uti & Gioanni pro Ioanni; quidam Layace ſcribunt, quaſi Articulum præfigentes. In maritimis hiſce, quæ enumerata ſunt, locis, nota atque notata eſt peculiaris وخمة *Inſalubritas aëris*, ob interceptum per montes ab Ortu & Septentrione ventorum flatum; quin etiam aquæ & terræ ineſt ſalſugo quædam; unde nec longæva adeo nec commoda incolis vita eſt. Melius apud Halebum, ut eo redeam, tribus iiſdem Elementis conſuluit Natura. Eſt quippe urbs in plano ſita perflabili loco, à mari & montibus remotiori: gleba ſoli pinguis eſt & rubicunda, ut bolum Armenam referre videatur, pluviæ tempore gratum quoque odorem ſpirans; unde & fictiles canthari fiunt, è quibus, velut ſalubrior, etiam commendatur aquæ potus. Pluviæ per ſua veris tempora benigne favent, &, quod vix alibi iſtis locis videre eſt, ut Iacutus prædicat, goſſipii, ſeſami, panici & ſimiliuum, fructuumq; terreſtrium & arboreorum fœcundiſſimo ſufficiunt proventui. Tum

&

& rigandis, qui longe lateque circumjacent, hortis ipse inservit Euphrates, cujus inde à bidui intervallo per قناوات *subterraneos canales* huc derivantur aquæ. Adhæc urbem præterfluit amnis قويق *Kovvaic*, à Ranarum sono, quæ verno ibi tempore spectantur, ita dictus: is ab aquilone circa oppidi عينتاب *Aintâb* vulgo *Antâb*, exortus, juxta Halebi portam Antiochenam delatus per رساتيق *agros & arva* progreditur, vetus Kinnesrîn versus, ultro quod apud locum مرج الاحمر nomine *prati rubri* Jacuto appellatum in arundineta & junceta demergitur. Ipsa vero urbs est amplissima, vivi saxi muro turribusque munita, & siccæ licet, fossæ cavitate, per IV horarum circuitum. Portæ apud antiquiores recensentur octo, hodie decem numerantur; quibus & sua sunt suburbia: unam si quis forte exceperit, quæ باب الاظلم *Babo-litm* i. e. *porta obscura* dicitur, quod soleat semper esse clausa. Cæterum & urbs & suburbia discreta sunt in سوايح *Savvaih vicos* suos, qui illic plures viginti, hic plures decem sunt. Vici in محلات *Mehellât* & حارات *Harât*, id est, *compita* dividuntur: in quibus خانات *Mercatorum* fere, & exterorum quidem, *hospitia* continentur, nempe areæ quadratæ habitaculis undique & apothecis instructæ, seclusæ à publico porta, quæ nocte clauditur, & custode tutæ & securæ. In aliis fere regionibus فنادق, uti hinc etiam Europæis *Fondica* vocantur. Sunt quoque compitis اسواق *fora*, sive, ut alias dicuntur قيسارات *Caisariæ* i. e. *plateæ* quasi mercatoriæ, quæ utrinque دكاكين *Officinas* habent, superne contra æstum & pluviam copertæ, suis in ingressu & exitu portis custoditæ. De

aliis

aliis mitto dicere ædificiis, tum publicis, tum privatis. Inter omnia maxime memorandus exſtat in urbis medio mons rotunditate ſua, mole, & altitudine ſpectabilis; nimirum arte factus, ingenti columnarum multitudine. Auctor libri جريدة العجايب, qui eundem Halebi caſtellano dicavit, octo millibus inquit, intus ſuffultus: hinc & ipſi caſtello, quod in vertice exſtructum, muro, domibus 500, vivæ aquæ puteis, palæſtra, templo præditum, قلعة العواميد *Caſtellum Columnarum*, nomen eſt. Foſſa montem circumdat lata admodum & profunda, quam partim aqua, at impurior, etiam ſerpentes alens, partim arundines, eæque & cervorum cubilia, per orbem implent occupantque. Duobus inde millibus paſſuum ad ſeptentrionem magnificum eſt جامع *Muhammedicæ religionis templum* هلوي *Helevvîum* nomine, cui cognomine in propinquo مدرسة *Gymnaſium* celebre fuit, nunc collapſum. Apud portam Urbis, quæ olim Judæorum dicebatur, ut à Melico-ddâhir, fil. Saladini, qui reſtauraverat باب النصر *Babo-nnaſr* appellata eſt, utrinque, & juxta murum intra urbem degunt Judæi, extra urbem Chriſtiani, Armeni, Romæi, i. e. Melikitæ, Maronitæ, & Syri, vulgo Syriani, i. e. Jacobitæ, qui omnes junctim in propinquo ſua foris cœmeteria habent, alibi nulla, cum Muſlimici ad omnes portas habeant. Loca extra urbem ſacra, ſive in univerſum incolis ab omnibus, Judæis, Chriſtianis, Muſlimicis, ſive ab hiſce vel illis peculiariter cum religione culta, enumerare prolixum foret: uti quoque de adjacentibus hortis, agris pagiſque. Tantum quia huic loco propria pene ſunt الفستق *Phiſtic*, i. e. *Piſtacia*, alibi rariſ-

rarissima, obiter notandum, quæ prope Halebum urbem nascuntur, hortensia esse, & سقيّة *educata rigando*: alia esse montana, & عذيّة, hoc est, *per se nata pluviæ solius ope*, qualia mons Kinnesrinæ vicinus fert سمعان *Sem, aan* dictus, pars Amani, alteris illis minora minusque succulenta. Halebum porro quod attinet, Justiniani Junioris tempore, teste Abulfergio, cum Romani debellandis occupati essent Slavinis Romæ vicinis, Persarum Rex Cosra sive Cosrhoës Kobadis filius, cum Arracca & Antiochia hanc quoque urbem cepit; & imperatori Mauritio ob amicitiæ officia benigne redditam, paulo post, propter ejusdē Mauritii cædem, vi Phocæ ademptā recepit. Sub imperii Muhammedici initia facta deditione eam occupavit dictus nobis antea Ijâz Ibn Ganem, cum Mesopotamiæ arma inferret. Exinde fere semper Muhammedanis Syriæ Regibus subjecta fuit, paruitque. A. H. 517. ut Almacinus refert Hist. Sarac. auctor in parte nondum edita, cum Halebum بنوا ارتق *Ortokidæ* tenerent, Franci, comitante Hillæ Satrapa Seifodino, urbem obsederunt, quæ præsidio destituta & commeatu terminum deliberandi petiit in decem dies. Eo impetrato, & die jam existente nono, fluvius Kowaic, de quo paulo ante verba fecimus, tanto derepente auctus torrente fuit, ut, abreptis Francorum territoriis, plurimi homines submersi maximæque perierint opes. Quadriennio post, teste Niceta Choniate, Joannes Commenus Imper., cum principe Antiochiæ Raimundo firmata amicitia, novam est molitus obsidionem, sed irrito conatu. A. H. 658. cum Syriæ & Commagenæ præesset Melic Ennasir, Melic

mm Ad-

Addâhiri frater, fil. Saladini, in fine mensis Muharram, dierum 10. exacta obsidione, urbem invasit Dux Tatarorum Holacou, occisisque incolis compita opplevit & civitatem diruit: 10. mensis Sapher arx quoque dedita fuit, quam simul cum urbis muri subvertit. Imbelles fœminas & pueros ingenti multitudine, plus quam 100. millia avexit, atque inter Francos, Armenos, per varios tractus & insulas divendi jussit, teste eadem Histor. Sarac. part. M.S. A Syriæ & Ægypti regibus non multo post recuperata, instaurataque A. H. 803. haud minorem ab altero Tartaro Tamerlane desolationem passa fuit. Pristinis denuo Dominis vindicata in eorundem potestate permansit, donec post cæsum in propinquo, à Turcarum Imperatore Selimo, Kansau Gaurium Ægypti Syriæque Regem A.H. 922, cum thesauris opibusq; omnibus in ejusdem victoris potestatem concessit. De ipsa origine urbis non una est Orientalium scriptorum opinio, quorum alii à حلب *Haleb mulgendo*, aut *mulso lacte* nomen petunt, quod, cum ex propinqua Haran in Syriam primo migrasset Abraham, hic aliquandiu subsistens, antequam terram Canaan adiret, accolis & vicinis pauperibus gratificaretur impertito liberaliter pecorum suorum lacte. Sunt qui ab Amalacitis conditam volunt, cum ex primis suis circa عمان & اريحا *Ammon* & *Hiericho* sedibus à Josua expulsi & profligati, hisce in locis mansiones, quanto possent præsidio, firmarent. Conditorem vero fuisse quendam ex iis nomine Haleb, scil. حلب بن المهر من بني العمان من مكيف ditionis Kinnesrinæ, quæ tunc صوبا *Soba* diceretur, regulum. Illorum vero posteros deinde

de

de à Davide debellatos pulsosque fuisse. Et Halebensium Judæorum Doctiores unanimi consensu etiam hodie ratum habent, hanc esse Aram Soba, cujus rex à Davide percussus fuisse dicitur Sam. prope Salinas, ملاحة *Salinæ* autem hodieque notæ, versus Kinnesrinæ partes paulo ad austrum sitæ. Ideoque & in contractibus Judæi similibusque scriptis suis hoc Aram Sobæ titulo Halebum urbem designant. Super argumento hoc videre & expendere operæpretium est, quæ Vir Doctissimus diligentissimusque Samuel Bochardus disserit Geogr. Sacr. libr. cap. Quemadmodum vero Kinnesrîn dictum olim fuisse Sobam Arabes scribunt, ita & montem propinquum, qui nunc vocitatur Sem, aan, ut ante memini, olim appellatum جبل نبو *Montem Nobo*, nempe ab Idolo, de quo in loco كفر نبو *Kefr Nobo*, uti etiam hodie dicitur, antiquitus coli solito; prout, quæ visuntur ibi reliquiæ, arguere, ut ajunt, videntur. Halebi nomen plerique cognomento augent حلب الشهبا *Halebum fuscum*, quod tali colore, ut mea est opinio, sint urbis muri. Errant toto cœlo, qui Halebum cum Antiochia eandem faciunt, & à via quoque, quibus esse veterum Hierapolis videtur. Hanc enim esse منبج *Menbigz*, bidui itinere distantem ostensum est pag. Quin Berœa sive Berrhœa sit, scilicet Orientalis & interior, uti quibusdam dicitur, id est, Syriæ (nam & alia Macedoniæ est) haud dubitare sinunt sequentia: Abu Nasr Ibn Hazîr, Medicus Tecritensis ex Mesopotamia narrat, allegante Jacuto, à Seleuco Nicatore exstructam esse Laodicæam, Apamiam, & بارو وهي حلب *Berrhœam quæ*

Halebum est. Ad Orientem Antiochiæ, inquit Strabo libr. XVI. *adjacent Euphrates, Bambyca, & Berrhœa, oppida quæ Dionysius tyrannus Heracleonis F. olim tenuit.* Ubi oppida præcipua intelligit, quorum uti Bambyca est Hierapolis, ita Berrhœa cum Halebo quadrat. Nuroddinus (Scil. Mahmûd Ibn Zengi, qui A. H. 546, mortuo patre, Halebum occupaverat, ut refert Abu-l feregius) Cinnamo dicitur libr. 4. Satrapa Berrhœæ. Ita Nicetas Choniates inquit: Χάλεπ ἡ λεγομένη Βεῤῥοῖα, *Haleb quæ* olim *dicta Berrhœa.* Quo modo & Cedrenus, Procopius, Zonaras, aliique istorum temporum scriptores, illam Syris & Arabibus frequentatam vocem Haleb interpretantur. Item ad A. M. 6543. Cedrenus habet: *Berrhœenses, qui & Chalepitæ, præfectum ipsis ab Imperatore datum expulerunt.* Condonabor, spero, si urbis hujus, ubi vixisse me aliquando, & in hisce profecisse studiis lubens recordor, descriptioni plus satis institisse videar.

Ibid. قنسرين *Kinsarîna*, potius ut Geographi, & ipsi vicini efferunt, *Kinnesrîn* & *Kinnesrîna*]. Etiam *Kinnesronna* & *Kinnisrouna* in casu recto; prout Jacutus & Camus docent. Urbs antiqua fuit de قواعد الشام *primariis Syriæ* una, diei unius intervallo ab Halebo, qua حمص Emesam itur, circa eas partes, quæ العواصم *Præsidia* vocantur, quare & ad illa à quibusdam refertur: sesqui autem diei fere itinere abest ab altero nobili oppido معرة *Maarra*; eidemque imminet fluvio, quo perlui suburbium Halebi diximus, Kowaico nempe, duodecim infra urbem milliaribus finem capienti. Quum primis Islamismi temporibus prope eam militiæ Syriacæ pars in statione collocata esset,

esset, unde & universa regio hæc جند قنسرين *Giund Kinnesrîn* dicta fuit; uti & ante monitum, (nam cum Kinnesrîna ante pertinuisset ad Emesam, à Jezîde Muaviæ filio ex illa, Menbigio, Antiochia aliisque quibusdam quædam Giund sive provincia constituta fuit) tunc Halebo ad hanc comparato urbem vix gloria, aut clari aliquid nominis erat; prout apud Abu-l fedam aliosque legitur. Kinnesrîna autem regio convenit, saltem ex parte, cum Cyrestica Strabonis, quam libro XVI. agrum Antiochenum & Commagenam interjacere inquit, sive Cyrrestica Ptolemæi: in hac quippe & Berœa & Hierapolis ponuntur, quas esse Halebum & Menbigz, Kinnesrînæ oppida, supra ostensum est: eidem etiam قورس *Kouris* accensetur, utpote ditionis Halebinæ oppidum vetus & collapsum, quod non aliud quam ipsa Cyrus est, quæ Cyristicæ nomen dedit. Ad hanc refertur & civitas & castellum Gindaras à Strabone, quæ pro suæ à Berœensi longitudinis & latitudinis differentia, quam illi Ptolemæus tribuit, maxime congruit cum Kinnesrîn. Hoc autem nomen (de antiquiori regionis ipsius nomine vide sis in iis, quæ paulo ante super Halebo dicta sunt) quod attinet, قنسر *Kanseron* & *Kannesron* Arabice *Senem* notat, تقنسر *consenuit*: hinc pluralis forma factum Urbis nomen ita uti Jacutus inquit, & innuere videtur Camus: unde quis esse Gerasam Ptolemæi forte dixerit ob notionis consensum; nisi hæc illi Syriæ interioris & cavæ esset. Apud Jacutum alii volunt à قن نسر *Nido aquilæ* ita fuisse nuncupatam tempore obsidionis, ob quandam cum illo, quam tunc habere videbatur, similitudinem.

mm 3 Nam

Nam cum ea primo Græcorum esset, A. H. 17, ab Abu Obeid-alla Algierragii F. obsessa fuit: deditione facta tributum solvit, donec religioni Muhammedicæ sese addixisset. A. H. 355. quando circa eam Romæorum grassatus diu esset exercitus, & Seifo-ddaula, Fil. Hamdân, summus ibi militiæ præfectus, cum illo congredi nequiens, interea vitam cum morte commutasset, incolis Halebum & alio migrantibus, urbs facile capta, mox diruta, neque post reædificata fuit; prout memorat Jacutus, qui suo tempore tantum ibi superfuisse خان *Chân* quoddam *viatorum*, illac transeuntium *diversorium* subjungit. Eam tamen celebriora inter loca merito hic recenset Alferganus, quod eandem tunc florentem nosset. Gentile nomen inde duplex fit, & قنسري *Kinnesrita* & قنسريني *Kinnesrinita*, ut idem Jacutus & Camus tradunt.

Ibid. انطاكيه *Anthákia*, uti Arabes proferunt, h. e. *Antiochia*] Et cum multæ hoc nomine urbes sint, ita ut plures XII. numerentur, hic ea duntaxat intelligitur, quæ distinctionis gratia, nam etiam in Syria circa Euphratem alia est, Straboni apud Daphnem, Ptolemæo super Oronte dicitur. Ab Arabibus autem haud cuiquam Antiochiæ alteri, quod norim, illa Anthákiæ vox tribuitur. Hanc, de qua agimus, *pulchrum Orientis apicem* vocat Marcellinus, *Syriæ caput* Strabo, ubi, *qui regioni præerant, regiam haberent*. Urbs quippe grandis provinciæ fertilis, irriguæ, bene cultæ & amœnæ, limpidis intra se fontibus prædita, propinqui maris mediterranei commoditatibus gaudens, etiam per subvectionem, quæ flumine urbem alluente, adverso licet, uno die fiat, uti Strabo libr. XVI. habet; Con-

Contra ardentiores æſtus contiguis urbi, ſive partim incluſis, qui quinque ſunt montibus utcunque velata, muriſque ex ſaxo amplis & validis, per montium quoque partem ductis, & numeroſis turribus munita 12. milliarium circuitu. Quemadmodum vero Tetrapolis, quadriurbis, erat Antiochia, ut Strabo refert, in quatuor urbes, diverſorum auctorum opera, Seleuci auſpiciis diſtincta; ita & ipſa regio Seleucis eodem illo nomine Tetrapolis vocata fuit, à quatuor inter alias, erant enim plures etiam, illuſtribus, Antiochia apud Daphnem, ſc. ſacrum genti lucum, Seleucia in Pieria, Apamia & Laodicea. Eas Seleucus Nicator condidit: maximam à ſuo Patre Antiochiam denominavit, Seleuciam munitiſſimam à ſe ipſo, Apamiam mediterraneam, ab uxore Apama, Laodiceam ſuo portu inſtructam à Matre. Arabum Geographis اقليم عرقي *Clima notorium*, ut loquuntur, id eſt, *Provincia Antiochiæ* العواصم *Præſidiorum* nomine inſignitur; quorum illa Abulfedæ dicitur eſſe قاعدة *Metropolis* Jacuto قصبة *Kaſaba* (ut duas haſce voces tunc idem denotaſſe conſtet) Damaſcus abſolute قاعدة الشام *Caput Syriæ* univerſæ; qualis quondam Antiochia fuit. العواصم vero, à ſing. عاصم i.e. مانع, à *prohibendo*, *tuendo*, *propugnando*, appellata fuere Haroni Arraxîdo Chalifæ, in ſeptentrionali Syriæ parte oppida quædam, ut دلوك *Duluc*, رعبان *Raabân*, قورس *Corus* ſeu *Cyrrhus* تزين *Tezîn* quod ante Kinneſrinæ fuerat, prope Euphratem *Menbigz* ſive *Hierapolis*, & ipſa *Antiochia*: quemadmodum vicinæ Ciliciæ cum Cappadociæ parte, quæ بلاد ابن لاون *Regio filii Leonis*, & بلاد الارمن *regio Armenorum* Abulfedæ dicitur,

oppi-

oppida Romanis ſive Romæis paulo poſt devictam Syriam adempta, ut Ajâs, Tarſus, Adana, Miſsîſa, Pagræ, عين زربه *Ain-zarba*, nempe *Anazarbus*, Dioſcoridis patria, & haud procul Euphrate مرعش *Meraax* & حدث, *Hadatz* aliaque, nomine الثغور, quod *limitanea, hoſti oppoſita, loca* deſignat, vocitata fuerunt, ipſi Syriæ accenſa tamen. Unde copiis in hoſticum excurſiones facientibus vel laborantibus aliæ illæ العواصم ſupra dictæ urbes præſidio erant. Hæc ad Hiſtoricos & Geographos intelligendos obiter notare viſum eſt. Quis fuerit belli ſacri tempore Antiochiæ ſtatus & habitus, ex opere, *Geſta Dei per Francos* inſignito, cognoſcere cuique licet. Olim cum extiterit quadriurbis, ut ſupra ex Strabone allatum, mihi quidem, cum illic eſſem, potius quadricampis ſpectata fuit, utpote mœniis ſuis arva, paſcua, hortos, & reliquæ urbis loco quaſi pagum complectens, Chriſtianis fere & Judæis, Muhammedanis ſeu Turcis paucioribus, habitata. Non باشا *Paxà*, non سنجاق *Sangiâk*, non بك *Beg* præeſt; verum صوباشي *Soubaxii*, i. e. inferioris ordinis præfectus, tantum Halebo mittitur, at Conſtantinopoli قاضي *Kadii, Iudex*. Sedes Patriarchalis, qua eminebat olim tranſlata Damaſcum; qui tamen nunc ibi ſe pro Patriarcha gerit, vix acolytho par eſt. Sed è contrario haud minorem mihi admirationem peperit ſuperſtes ipſa veterum murorum forma & integritas, ea latitudine, ut vel quadrigæ circumvehi poſſent, niſi ob occurrentes colles & montes via per graduum aſcenſus & deſcenſus interrupta eſſet. Superſunt & antiquitatis Chriſtianæ veſtigia & reliquiæ, circa eam muri partem, quæ boream reſpicit,

ſpicit, templi ſeu loci ſacri, ubi Apoſtolus Paulus prædicaſſe Euangelium creditur, & qui ante Nazareni, unde Arabibus النصاري dicebantur, Chriſtiani hoc ſuum à Chriſto nomen accepiſſe, juxta Act. Apoſt. cap. XI. Hinc ejuſdem lateris Porta, & quæ inde ad interiorem urbem platea ſive lithoſtratum ducit, & ad ſiniſtram piſcina albo incruſtata marmore hodieque ejuſdem D. Pauli nomen ſervant. Hic & Apoſtolus Petrus Euangelio operam dedit, originem cepere Lucas & Theophilus; in urbe hac celebratum eſt concilium, primus creatus Patriarcha. Quapropter ea potiti Chriſtiani Franci Balduino, Godefrido, Boamundo ducibus, inde ab A. H 491. etiam religione impulſi, eandem conſtanter tenuerunt. Eripuit iis A. H. 664. بيبرس *Beibarſus*, Ægypti & Syriæ Dominus, qui cæſis Chriſtianis Eccleſias delevit. Fluvius Orontes, unde & Arabibus الارنط ſive الاردن ſcribitur, à boreali tractu deſcendens præterlabitur urbem, ad cujus ripam, ubi planior & depreſſior urbis locus, fornicati hodieque extant magni roboris ſtructuræ, condendis machinis factæ quondam. Orontem peculiari nomine Arabes النهر المقلوب *Flumen inverſum* vocant; quod, cum alia ex Septentrione ferantur in auſtrum, hic contra incedat ab auſtro in ſeptentrionem. Namque circa بعلبك *Balebec* i. e. *Heliopolin* exortus ad Occidentales Emeſæ partes labitur in بحيرة القدس *Lacum Alkades*, è quo egreſſus deinde profluit ad ipſam Emeſam, alluens eam à ſeptentrione, & poſtea حماة *Hamâtam* ab ortu; ſupra quam effunditur in بحيرة افامية cognominem *Apameæ lacum*, eoque relicto progreditur ad Orientem montis

Allocâm i. e. Amani, & inflexus curſum capeſſit occaſum inter & auſtrum, tranſienſque præter Antiochiæ murum, apud oppidum سويدية *Suvveidîa* (quod nomen à سلوقية *Seleucia*, oſtio Orontis proxima, cui nempe idem tribuere Veteres, detortum puto) exit in mare. Etiam idem amnis الميماس *Almeimâs* nuncupatur, at rariori uſu; frequentiſſimo autem العاصي id eſt, *rebellis* & *inobſequens* dicitur, propterea quod non niſi grandium rotarum ope extra alveum ſublatus rigandis arvis inſerviat, ubi ex alveo ſuo alii facile ſe duci patiantur. Ex illo autem Orontis per lacus tranſitu patere videtur, quomodo explicanda ſint, quæ de ejuſdem fluvii, uti & Tigridis ac Nili ſub terram demerſione, ac nova emerſione Strabo & alii prodiderunt. Simile exemplum præbet ipſe etiam hic dicendus بحيرة انطاكية *Lacus Antiochiæ*, tribus ab urbe milliaribus ad ſeptentrionem conſpicuus, 20. millia paſſuum longus, 7. latus, in amplo terræ tractu, qui العمق *Alaamk* nomen habet; in quem tres diſtincti fluvii labuntur, ſcil. نهر عفرين *Fl. Ifrîn*, qui orientalior, نهر الاسود *Fl. niger*, qui occidentalior, atque inter utrumque means نهر يغرا *Fl. Iagra*, à quodam Chriſtianorum pago, quem ſecat, ita dictus, qui & eidem huic lacui nomen dedit, ut بحيرة يغرا *Lacus Iagræ* vulgo appelletur. Hi omnes à ſeptentrionali latere ſe in eundem Lacum infundunt, & commiſcent, atque inde unus ad auſtrum ſe effundit, uno cis Antiochiam milliari ſe Oronti conjungens. Sed de hiſce ſatis.

Ibid. طرابلس *Tarábolis* i. e. *Tripolis*] Quamlibet enim inchoatam à gemina conſonante ſyllabam, unde

de Arabes abhorrent, in duas dirimunt; atque etiam pro frequentiori usu Alif præponentes اطرابلس *Itrabolis* scribunt dicuntque: quanquam aliqui hoc modo Tripolim Syriæ, Italis Tripoli di Soria, illo Tripolim Africæ provinciæ افريقية *Ifrikia* peculiariter vocatæ, Italis Tripoli di Barbaria, significari velint; alii è contrario statuunt: quod tamen revera per se prorsus est indifferens. Neque Arabes præter duas hasce maris mediterranei urbes, Syriaci & Africani, videlicet طرابلس الشام & طرابلس الغرب eo nomine alias notant: licet Stephanus enumeret alias septem. Hic intelligitur prior illa, quæ Phœniciæ est; ut quæ climatis quarti sit, in quo explicando versamur, cum altera illa Africæ proprie dictæ, sive ditionis قيروان *Kairovvân* pertineat ad Clima tertium. Syriacam hanc ita appellatam Veteres docent, quod à tribus populis, Sidoniis, Tyriis, & Aradiis vel condita sit, ut Strabo libr. XVI. vel tanquam colonis inculta; in urbes revera tres distincta, unius stadii intervallo invicem distantes, uti libr. XVI. Diodorus. Tale quid & de Africana proditum, atque verisimile est Tripoles quoque ceteras similem aliquam nominis sui causam habuisse. Sita est in littoribus Emesæ sub monte Libano, cui ad septentrionem adjacet mons rotundus hodie à Cruce denominatus; una inde ad austrum parasanga promontorium, quod Græcis olim θεῦ πρόσωπον *Dei facies* dictum: inter utrumque locata Tripolis fuit, prope eam occurrente planicie, utrinque mœnibus & castello munita, portu prædita, per fontes atque etiam aquæductus rigata. Eam Amrus Al-aasi F. duorum

obsidione mensium in potestatem redegit; recuperare sæpe conati sunt Romani, sed frustra. Quando mercimoniis, populi frequentia, viris doctis, ut Hist. Sarac. habet, egregie floreret, A.H. 502. (503. mense Du-lhizgiæ Abulf.) à Francis capta fuit, plurimosque annos post sub eorundem dominatu mansit: à Muslimicis interea pro دار السلطنة *ditionis* sive *præsidii sede* assumpto castello natura & arte munitissimo, quod حصن الاكراد *castrum Kurdorum* dicebatur, super monte, qui Libano adhæreat, constructum, medio inter Emesam & Tripolim loco, unius diei intervallo utrinque distans. Hoc à Kurdis nomen accepit, sive quod Ajobitæ, origine Kurdi, structores fuissent, vel possiderent, sive quod à milite Kurdo, præ ceteris bellicoso insideretur. Tandem, A.H.688. Ægypti rex Kalawôu, cognomine Almélic Almansor, obsessam expugnavit die Rabéæ posterioris quarto, feria tertia. Narrat in annalibus Abu-lfeda incolas ad portum fugisse, quem efficiebat objecta urbi insula, ubi D. Thomæ dicatum templum erat: at cum Christianorum vix pauci in naves confugere possent, equitibus Saracenis natando prosequentibus, plerique omnes fuere cæsi, fœminæ & pueri in servitutem abducti. Venit in insulam tunc ipse Abu-lfeda, qui scribit se eandem repperisse cadaveribus oppletam, quorum fætore expulsi fuerint ipsi Muslimici victores. Hi postea diruta prorsus urbe, ut inquit Jacutus, novam exstruxere uno inde milliari, quam eodem nuncuparunt nomine. Adjecta sunt arbusta & canneta saccharifera. Ea autem, ut nunc visitur, juxta clivum se porrigit potiore sui parte, à dextra habens pla-

planiciem moris consitam ad pascendos bombyces, quorum ibi copiosum est lanificium; à sinistra continentur oliveta, atque in eodem clivo, qui velut bifissus fluvio (qui nunc *sanctus*, olim, ut videtur, *fons Paradisi* dictus) viam præbet è Libano in urbem mananti, arx eminet, credita residuorum Francorum opus; ubi degit præfectus. Planicies quoque ante urbem jacet juxta mare. Haud prorsus quidem muro cincta est urbs, domibus nunc quasi bis mille constans, sed area, quæ à portu ad eam ducit, quadratis vallata est turribus sex vel septem ad loci securitatem & tutelam.

Lin. 3. المصيصة, & sine Articulo *Missisa*, *Massisa*, & Masîsa: tot quippè modis exprimitur]. Hæc Ciliciæ urbs est, Syriæ tamen à Geographis Arabum aggregata & inclusa, cum aliis limitaneis oppidis nomine الثغور insignitis, de quibus ante dictum. Clima ejus رابع *notorium* ab Abulfeda statuitur بلاد الارمن *Regio Armenorum*, prout Ciliciæ & minoris Armeniæ partem continebat, etiam dicta بلاد ابن ليون *Regio filii Leonis*, cui nomen proprium Leo erat, qui Armenis imperans circa A. H. 610. Massîsam, Tarsum, & Adanam tenebat, teste Jacuto. Geographus Nubiensis inquit quoque vocatam esse مامسترة *Mamestram*, juxta Armenorum, ut puto, qui vocabula peregrina propria mire contorquent, pronuntiationem. Ita autem, uti & Malmestra, Mamistra, Mamista, Mamesta; etiam Mansista in itin. Burdig. à posterioribus Græcis, & Wilh. Tyrio, aliisque belli sacri scriptoribus appellatur, quæ Ptolemæo & Straboni Μοψυεστία dicitur, unde recentiora illa nomina,

& hinc Arabum Masîſa formatum videtur. Stephanus diſtinctius ſignat *Μόψε ἑςία* *Mopſi Lares*, nempe conditum à Mopſo, vate & rege Argivo, oppidum; uti Cicero libr. 1. de divin. habet. Eſtque hoc ipſum, de quo Plin. libr. V. cap. 27. *Mopſos liberum, Pyramo fluvio impoſitum.* Sic & Miſsîſa ab auſtro & occaſu aſſidet fluvio جيحان *Gieihân*, qui Pyramus eſt, cum à Græcis & Arabibus idem utriuſque & ortus, & curſus, & exitus deſcribatur. Is poſtquam rigavit urbem quatuor inde paraſangis occurrit mari, ubi, inquit Nicetas, navi impoſuit Imperator Michaël Comnenus cadaver patris Joannis Comneni Conſtantinopolim deferendum. Famoſior quoque evaſit Mopſueſtia Epiſcopi ſui Theodori hæreſi, una cum Neſtorio ſtatuentis duas in Chriſto eſſe perſonas; & Paulicianorum, de duobus principiis opinionem Chriſtianæ religioni miſcentium, Eccleſia, quam in illa urbe Epheſinam vocabant, uti & alibi ſpecioſis nominibus alias ſuas. Recte Ibn Haukel apud Abulfedam ait, Miſſîſam fuiſſe geminam urbem, intermedio amne diviſam, quarum altera, è regione Miſsîſæ proprie dictæ, nuncupata eſſet كفر بيا *Kefr-beija*, id eſt, *pagus vicuſve Beijæ*, tanquam conditoris. Tempore Chalifæ Abu Giaafar Almanſor diruta erat, tradente Jacuto, Kefrbeija, cum ante magna civitas exſtitiſſet: quæ ab eodem Chalifa inſtaurari cœpta, à ſucceſſoribus Almahdi, Raxido, Almamone, porro exſtructa & amplificata fuit, atque poſt Almamonis mortem ab Almutaáſemo perfecta. Ambæ egregii operis ponte ſaxeo, eoque longo (nam cum Euphrate à quibuſdam

dam Pyramus con fertur) inter se junctæ fuerunt, quas uno Massîsæ nomine designant. Erat in urbe clivus, ut apud Abulfedam legitur, unde, qui in exstante ibi delubro consideret, propinqua maris intueri posset. In suburbio vel prope urbem complures degebant in Sacellis suis religiosi viri, ceu Anachoretæ, quod per رابطوا فيها exprimit auctor; atque inde Morabitis, id est quasi Anachoretis, suum nomen. Quod etiam Tarsi & in aliis limitaneis oppidis spectatum fuit, ut ejusmodi hominum zelo & hortatu militum animi ad Sacri, ut ipsi vocant, belli officia magis impelli ac confirmari possint. Atque ita inter limitanea ac præsidiaria Islamici regni oppida hoc quoque clarum evasit. Sed A. C. 1114. terræ motus vehemens Syriam, imprimis Ciliciam, quassans, Mamistram cum Maresia, مرعش Arab. aliisque oppidis solo æquavit, Wilh. Tyr. lib. XI. neque postea reædificatam fuisse constat. Inter rudera hodie pastores quidam degunt, qui ibi bubalorum, trahendis tormentis bellicis destinata, illud intelligo genus, quod corrupte buffelos vocant, regia armenta curant. Talibus quippe locis hoc animal gaudet, & extremum usque os prorsus aquæ immergi, ut ferventis sanguinis æstum, ex quo laborare dicitur, utcunque restinguat. Integer vero, arcuum 24, ni fallor, superest pons ante dictus; per quem A. C. 1627, ex Syria Constantinopolim tendens, vectus fui; urbe, quæ nunc Missîsa dicitur, clivoso loco dissecta & jacente ad sinistram.

Ibid. صيدا *Saida*, id est, *Sidon*] Est quidem صيداء *terra crassa Lapides in se continens*, unde forte nomen hoc petitum ad notandam צידון *Sidon*, non alieni adeo

soni

ſoni vocem. Urbs in Syriæ littore, trium à præcedenti Tripoli dierum itinere ad auſtrum diſtans, nobiliſſima quondam & potentiſſima, ſimulque cum vicina صور *Sour Tyro* artium multarum nutrix & propagatrix, navigandi ſtudio excellens. Sidon autem Phœniciæ urbs eſt, Iudææ terminus, à filio Cenaani nomen habens, & quidem, antequam à Perſis caperetur, Phœniciæ maxima, ut Pomponius inquit. Eam à Tyro, quæ Climati tertio adſcripta fuit, atque memorata ibi, Antonini itinerarium ſejungit XXIV m.P. &, quod proxime conſentit idemque eſt, Strabo CC ſtadiis. Quod & res ipſa confirmat: nam Tyro pervenitur ſex horis ad pagum صرفندة *Sarphenda*, quæ eſt antiqua urbs צרפתה *Sarepta* 1 Reg. XVII, 10. quadrante horæ mari diſſita, atque hinc duabus horis Sidonem, cui Sarepta ſuberat quondam; ſicuti & innuit citatus locus, & Scriptoribus Romanis Sarepta Sidoniorum dicitur. Cæterum eædem illæ Tyrus & Sidon prædictis à Deo ruinis ſuis æque celebres evaſerunt, ac olim ſplendore ſuo & gloria inclytæ exſtitiſſent: cujus utriuſque fortunæ admirandum hodieque exemplum præbent: nam quæ de ſuperbis, materia, mole & arte operibus ætatem ferre potuerunt, circa Sidonem, ut de hac noſtra dicam, paſſim, & quidem longe lateque, reliquiæ inveniuntur, ſed terra obrutæ ad denum duodenumque pedum altitudinem, ſuper extantibus arboretis, arvis & hortis; ita ut, nullum licet de ſe res illæ indicium faciant, fodienti tamen ubique occurrant, & ſi quis incolarum ædificare domum velit, inde paratam lapidum materiam petat. Quicquid vero ſtructum ibi nunc conſpicitur, vix aliam, quam vilis oppiduli ſive pagi,

pagi, sua tamen arce instructi, formam refert. Unius hinc diei itinere, juxta littus instituto Tripolim versus, بيروت *Beirût*, i. e. *Berytus*, clara quoque olim urbs maritima, portu & duplici castello prædita, aditur. Hinc Antilibanus procedit جبل شوف *Mons Xouf* ibi dictus; ita uti à Tripoli Libanus assurgit جبل لبنان *Mons Lubnân*, à Syriaco לבנא *Lebôno*, *quod album notat*, ob candentem perpetua nive verticem, quasi Alpes Syriæ. Inter utrumque montem comprehenso terræ tractui, conveniens rei nomen, Cœle-Syria inditum fuit. Collapsa similiter, ac de Tyro & Sidone dictum, etiam illa Berytus est. A. H. 504, seu A. C. 1111, Balduinus Danorum & Norvegorum classe adjutus, Sidona eripuit Muslimicis: qui A. H. 583. duce Saladino recuperarunt, uti & Berytum, & quoque Tyrum, sed hanc quadriennio demum postea. Habent autem tria illa oppida, tribuente Abu-l feda, pro climate notorio suo سواحل دمشق *Littora Damasci*, quæ Sidone abest milliaria circiter LXVI. Gentile ab urbe صيدا *Saida* nomen est صيداني *Saidanijon Sidonius*, sed ab الصيدا *Saida*, ut tribum notat Arabum بني اسدين fit صيداوي *Saidavvijon*, prout docet Usjouthæus.

Ibid. كنيسة السودا *Kenisato-ssauda*, h. e. *Templum nigrum*, sive *Synagoga nigra*.] Et simpliciter الكنيسة *Alkenîsa*, ea scilicet voce, quæ كنيسة اليهود *Synagogam Iudaïcam* notat. Iacutus de ea scribit in hunc modum: الكنيسة بلد بثغر المصيصة يقال لها الكنيسة السودا وهي في الاقليم الرابع طولها ثمان وخمسين درجة ونصف وربع وعرضها اربع وثلثون درجة وخمسون دقيقة سميت السودا لانها بنيت بحجارة

هرون بناها الروم قديما وبها حصن منيع قديم اخرب فيما اخرب منها امر الرشيد ببنائها واعادتها الى ما كانت اليه بحصينها ، *Kenîſa oppidum eſt in limitaneo tractu Maſsiſæ, quæ dicta Keniſato-ſſauda, longitudinē habens 58 graduum cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$, latitudinem 34 & 50 ſcrup. Vocata eſt nigra, quod nigris conſtructa eſſet lapidibus, (quam ob cauſam & Amida dicta fuit nigra) olim nempe condita à Romanis, & antiquum in ea caſtellum fuit bene munitum, quod cum ex parte dirutum eſſet, readificari juſſit Raxîdus Chaliſa, & in priſtinum ſtatum reduci.* Itaque Alfragani ætate urbs hæc Keniſa ſat clara fuit, imprimis Chalifa inſtauratore, ut non potuerit ejus inter alias non meminiſſe. Abu-lfeda autem in additamentis Syriæ de ea agens regione, quæ Ciliciæ & Armeniæ minoris parte conſtat; collimitanea Romæis & Syris inquit: ومن الاماكن المشهورة الكنيسة والهارونية وهو من جملة بلاد الارمن نسبة الى بانيها هرون الرشيد والهارونية صغيرة مما يتصل بالحدود الجزرية وبينها وبين الكنيسة السودا اثنا عشر ميلا ، *De locis celebribus eſt Kenîſa & Haronia, quæ ad Armeniam minorem pertinet, denominata à Conditore ſuo Haron Arraxîd Chaliſa. Eſt autem Haronîa, ſeu Haronopolis oppidum parvum, de eo tractu qui ad Meſopotamiæ limites* late ſumptos *pertingit. Inter eandem vero & Keniſato-ſſauda duodecim ſunt milliaria.* Ubi autem de الثغور agit Iacutus, i. e. de limitaneis Syriæ locis ditioni Romæorum proximis, quæ ait ſuo tēmpore, بلاد ابن ليون alibi بلاد بني ليون regionem Leonis & Leonidarum vocatam eſſe, inter cætera inquit: ومن بياس الى الكنيسة السودا وهي مدينة اقل من يوم ومن بياس الى الهارونية مثله ومن الهارونية الى مرعش وهي الثغور

الثغور الجزيرة اقل من يوم *A Beijâs seu Baijâs* (quæ Bais in itinerario Antonini, XVI. m. p. ab Alexandria minori distans) *ad Kenisato-ssauda, quæ civitas est, minus die intercedit, & à Baijâs ad Haronîam tantundem; ab Haronîa autem ad Mar, aax, quæ de limitaneis Mesopotamiæ locis est, minus uno die.* Quo etiam facit, quod in Geogr. Nub. Clim. V. parte V. legitur: *ab* الحدث *Hadâtz* circa Taurum; qua ad Samosata & Melitenem vergit, castello & oppido, ad Haronîam esse unius diei iter, hinc ad Kenisato-ssauda iter diei levius interesse; ab hac ad Tarsum i. d. Ex quibus quidem trium melioris notæ scriptorum dictis manifestum satis esse arbitror, quod de hoc loco Kenisato-ssauda, cujus alioquin rara sit mentio, ejusque situ sit habendum. Ubi tamen animadversionem requirunt Jacuti verba de ejusdem loci hujus latitudine, quam non posse esse 36. gradibus minorem omnes circumstantiæ evincunt, ita ut vel librario, vel auctori imputandus sit commissus error. Erat itaque, cum staret, Kenisato-ssauda, nunc incognita ac si non fuisset, in Ciliciæ, Armeniæ minoris Syriæque confinibus munitum oppidum cum castello, sive castellum cum oppido, circa quod, & de quo Romanos inter & Muslimicos bellis & pugnis sæpe decertatum fuit.

Ibid. اذنه, plerisque cum Medda, & quoque cum ه nudo, *Adana* seu *Adena*] Et *Vrbs Adenorum* quibusdam in ea veteris Ciliciæ parte, quæ sexto imprimis Higzræ sæculo Arabibus, بلاد بني لبون, بلاد لبون, بلاد الارمن, *Regio Armenorum*, *Regio Leonis*, *Regio Leonidarum* dicta fuit (sicuti & urbes præcedentes) etiam بلاد سيس *Sisiana*. Est quippe Sisium Cedr. & Guil.

 Tyr.

Tyr. munitum cum oppido caſtellum 24. mill. à Maſsîſa ortum verſus diſtans, ubi Regis Armenorum ſedes erat, uti etiam, prout hodieque eſt, Armenii Patriarchæ ſive primarii Metropolitæ. Quemadmodum vero olim Armenorum & Leonidarum regio vocata fuit, quod iis paruiſſet vel pareret, ita nunc ob ſimilem cauſam ارض قرامان *Terra Caramanorum*, quæ clara Turcarum gens fuit, & *Caramania* appellatur. Antiquis autem cognita Carmania, Perſidi ad auſtrum contermina, nomine كرمان *Kermân* Arab. Perſ. & Turc. celebratur. Illud Adana nomen, ut pleraque Orientalium omnia, apud Belli Sacri Scriptores valde depravatum legitur, Adama, Ademne & Azara, ن ut ز elato, quod facile fit, & pro *n* ſcripto *r*. Quod porro ad ſitum ejus ſpectat, Ptolemæus Adanam recenſet in Cilicia proprie dicta, ſub eadem latitudine cum Mopſueſtia, id eſt, Miſsîſa præcedenti, nempe grad. 36. & ſcrup. 35; Abulfeda vero Adenæ tribuit grad. 36. ſcrup. 50; Miſſiſæ 36,15; ita ut ipſi 36. ſcrupulis ſit ſeptentrionalior quam Miſsîſa: attamen Jacutus, ubi de Tarſo agit, eaſdem ſenis tantum paraſangis diſjungit; revera unius intercedit diei iter. Adanam præterluit fluvius Arabibus سيحان *Seihân* dictus, Ptolemæo aliiſque Geographis antiquis Cydnus, qui, Strabone teſtante libr. XIV. *per mediam labitur Tarſum*, mox commemorandam, *ortus è jacente ſupra urbem Tauro*; nempe etiam ſupra Adanam, quæ per gradus quaſi ſemiſſem Tarſo Orientalior eſt juxta Abu-lfedam. At vero fluvius alter Gieihân i.e. Pyramus, qui Maſſiſæ eſt, ut multo amplior exiſtit, ita quoque è remotioribus ſcatebris initium capit. Manifeſtus autem

tem

tem Abu-lfedæ error eſt, etiam in uno M.S. docti Arabis manu notatus, cum ſcribit duos hoſce fluvios ſub Adana & Maſsîſa conjungi, unoque deinde alveo deferri in mare; cum tamen diſtincta eſſe eorundem oſtia manifeſtum ſit. Cavendum quoque ne duo flumina hæc Gieihân & Seihân confundantur cum duobus ſimilium vocabulorum aliis Gieihûn & Seihûn, quæ ſunt Oxus & Jaxartes, ut pag. monitum. Urbem ipſam in plano locatam, muro circumdatam, ſi magnitudo ſpectetur, dimidiæ Maſſiſæ, prout hæc gemina intelligitur ſecundum ante dicta, æquiparat Ibn Haukel, qui & incolis ac commeatu boniſque divitem prædicat, nec non inſigni lapideo ponte ſuper flumen poſito ſpectabilem. Cum apud Armenios pluribus Eccleſiæ ſuæ conciliis hic celebratis clara ſit; tum apud eoſdem & Græcos, cujus utriuſque gentis incolas habuit potiori parte, atque etiam alios laudatur ob hactenus ſervatam maxime præ vicinis oppidis priſtini ſtatus formam. Equidem memini ſatis, placuiſſe mihi; forſitan eo magis nomine, quod una cum familiari iſtuc amico veni, qui novus civitatis Judex ſolenni ibi ritu exceptus, humanitatis & benevolentiæ, quam in paterna familia toto commorationis meæ tempore Halebi expertus fueram, poſtremis officiis me delibutum inde dimiſit.

Ibid. طرشوس *Tarſus.*] Quidam cum damma primæ efferunt *Turſus*: occurrit & cum gemino ش vel alterutro, ſed utrumque vitioſe. Stephanus Ταρσὸς & Τερσὸς. Ejuſdem cum præcedentibus notorii climatis ſive provinciæ urbs, & quidem Ciliciæ metropolis, Græcorum & Romanorum ſcriptis decantata ut an-

tiquissima, à Perseo condita; tum & ut libera, eruditionis ac Philosophiæ studiis, uti apud Strabonem videre est, nulli alteri secunda. In gratiam Julii Dictatoris, eodem Auctore, Juliopolis vocata fuit. Eam Cydnus Fl. prout ante dixi, mediam secat; *at intus*, inquit Plin. lib. v. cap. 27. & paulo post, *procul à mari*, quanquam subinde maritima dicatur. Non tamen adeo longe ostium habet; sex mill. pass. interponit Jacutus, quo loco Cydnus in paludē incidat, quæ ipsum sit urbis navale: ut citato loco Strabo ita docet. Tarsum hanc & Tarsis, cujus in S.S. litteris gemina mentio, interesse multum vult Cl. Bochartus Geogr. Sacr. l. III. cap. 7. non video tamen, quare pro alterutra Tarsîs Sidoni proxima, non hæc Ciliciæ Tarsus haberi possit, vel saltem nomen ejus à Tarsîs, ut filio Javan Gen. x. petitum esse. Arabibus reputatur maxime aquilonare esse oppidorum, quæ الثغور الشامية appellatione designant: atque ita Alazizij apud Abulfedam intelligi potest cum ait: طرسوس اطعن بلاد الثغوري بلاد الروم, *Est Tarsus urbs limitanea maxime penetrans ditionem Romæorum*: nisi quis interpretari ibi malit vocem اطعن *quæ maxime faciat excursiones.* Abu-lfedæ tempore, ut testatur ipse, in Romæorum potestate erat. Inde à primis imperii Ismaëlitici auspiciis una cum reliquis vicinis urbibus occupata fuerat ab Abu-Obeidalla, cum Heraclium persequendo per درب بغراس *Angustiam Pagrarum*, id est, *Portam Amani*, penetrasset: unde tenendæ Asiæ minoris spem concepere, non minus quam olim cepisset Alexander de Asia majori, cum contra ex minori per eandem portam egressus esset. Qua quoque de causa imperator Haron

Haron Arraxîd Tarſum diligenter inſtaurandam muniendamque juſſit. Duplicem ejus turribus inſtructum, murum, foſſam, arcem prædicat Jacutus. Neque aliter accipiendum, quod ſcribunt quidam Haronem exſtitiſſe Tarſi, uti & Adanæ, conditorem. Hinc itaque præcipue ejuſdem & filiorum in illas Romæorum ditiones ſuſceptæ ſunt expeditiones. Ex quibus celebris ille Almamon, eo conſilio exercitum ducens, cum forte ad pagi البذندون *Bedenaûn*, qui una manſione à Tarſo diſtat, ſe oblectaret, morbo correptus, & 19. menſis Regjeb A. H. 216. in pago illo mortuus fuit, Tarſi autem ſepultus. Vide ſis Hiſt. Sarac. lib. 11. cap. 8. at, qui verſus ibi exſtant, ita corrige ex Jacuto:

هل رايت النجوم اغنت عن المامون في عز ملكه الماسوس،

غادروه بعرصتي طرسوس مثلما غادروا اباه بطوس،

Num vidiſti ſidera ſuperſediſſe Almamone in potentia regni ſui ſtabilita, vel *ti*, vel *to?*

Deſtituerunt eum in campo Tarſi, ſicut deſtituerant patrem ejus in urbe Thûs.

Reſpicit Poëta Aſtronomica Almamonis ſtudia, & ſimilem, procul etiam imperiali ſede ſua, Raxîdi Haronis caſum, quo deceſſit in Chorasân. Eadem urbs tribus quoque imperatoribus Romanis, fatalis fuit, Floriano, ut Abu-lpheregius refert; Conſtantio item & Juliano, ut Marcellinus: qui omnes expeditionem agitantes, hic vel mortui ſunt vel ſepulti: verum hoc nomine benigna & beata Chriſtianis habita eſt, quod ipſi, tanquam patriæ, debeatur magni Apoſtoli D. Pauli, vita. Poſtquam ſub Iſmaëlitarum jugo fuit Tarſus,

Tarſus, ſæpe ejus, at fruſtra, à Romanis ſive Romæis Chriſtianis tentata fuit liberatio; donec A. H. 354. narrante Jacuto, occupata fuerit à Nicephoro Imperatore, per duorum, qui à Seifo-ddaula ibi erant liberti, deditionem ſive proditionem; quando Chriſtianis, Græcis & Armenis ſua reddita libertate, multi Iſmaëlitæ dulce Chriſti jugum ſubiiſſe ſcribuntur eidem Jacuto. Tum in edito urbis colle caſtellum Lulum nomine ædificarunt Romani, ex quo excurſiones hoſtium, teſte Zonara, per accenſos continuata ſerie nuncios ignes ſignificatæ fuere Imperatori. Sic etiam inde à limitibus Barbarorum fiebat: hodieque fit è littoris Hiſpanici turribus contra piratarum ex Africa inſultus. Poſtea tamen ab Iſmaëliticis ſive Muhammedanis recuperata fuit & poſſeſſa; donec circa A. H. 500. à Tarcredo, Boamundi nepote, capta per deditionem fuerit.

Ibid. عمورية *Amonia* lege *Amoria*, potius *Ammoria*, ut cum aliis Abu-lfeda.] Is urbem eſſe inquit بلاد الروم *Ditionis Romanæ*, quo nomine Arabibus dicebatur tota fere Aſia minor; ſeu peninſula illa, cujus Iſthmus eſt tractus ille Tarſum & Amiſum Ponti, Arab. شامصون *Sâmſûn* interjectus; & quidem magnam, caſtello præditam, intus munitam, quæ potiorem partem à Turcomanis, Turcarum ſcilicet gente, quæ cum Salginkidis, ex remotiori Oriente in illas partes venerat, habitata eſſet: fontes & flumen habuiſſe, hortos paucos: tum & grandem ibi domum exiſtere, creditam Balkiſiæ fuiſſe, ut populus eſt credulus, quæ conjux erat Salomonis fil. Davidis. Denique addit idem Abu-lfeda: ولها ذكر في التاريخ وهي التي

التي فتحها المعتصم, *Ejus mentio fit in annalibus*; *eſtque ea quam expugnavit Almotaſam* Chalifa, Almamonis frater. Hac de re locus amplus & illuſtris exſtat apud Cedrenum, edit. Baſil. pag. 434, qui refert Amira-lmoumenîn ſeu Chalîfam ira accenſum ac vindictæ cupidum propter patriæ urbis Sozopetræ ſive Zipatræ excidium, de qua pag.   egimus, ſimile quid in Amorium paraſſe, juſſis militibus ut ſcuto quiſque ſuo inſcriberet Amorium. De patria Chalifæ hiſtorici Arabes nihil: ſed hoc tantum referunt, eum fuiſſe motum querelis & lamentis Muſlimiorum, & quidem, inquit Almacinus ad A.H.223, fœminæ cujuſdam, dum captiva abduceretur, opem implorantis hac exclamatione وامعتصم, hoc eſt, ut hiatus impleatur Latinæ verſionis, *O* vel *hei Motáſame*! Exercitus Chaliſæ apud Tarſum convenit, inde in Phrygiam movit, ut Cedrenus; ſuum eo etiam adduxit Theophilus Imperator: quo victo & in fugam conjecto, Amorium partim obſidione & vi, partim proditione captum fuit, & urbs Orientalium pulcherrima, ut Cedr. loquitur, cæde, raptu, incendio exciſa fuit. Unde gravi dolore ac indignatione concepta Theophilus haud multo poſt vitam finivit. Amorium vero Phrygiæ majoris civitas erat, nota Ptolemæo & Straboni, ita ut non potuerit condita eſſe, quod alibi Cedrenus tradit ab Imper. Zenone Iſaurico; qui demum circa A. C.470. cœperit regnare: refici, ampliari ab illo potuit & muniri, & quidem merente id ipſum ſitus opportunitate, quia inde regiones & urbes aliæ vicinæ & longius diſſitæ commode adiri poſſent: quod ipſum & Geogr. Nubienſis indicat hiſce verbis:

ومدينة عمورية رصيف ساير البلاد المجاورة لها المتباعدة: Quin vetuſtius eſſe Amorium idem Scriptor innuit, cum dicat ab omni antiquitate ibi vixiſſe Judæos: quorum etiam conſuetudine corrupti fuerint incolæ Chriſtiani, ut qui didiciſſent Judaizare: quo nomine etiam male audivit Imp. Michaëlus Balbus; in urbe illa natus. Neque illo primum anno Higzræ 223 Amorium in Arabum poteſtatem redactum fuit: ſed jam ejuſdem epochæ anno 52. ab iiſdem fuerat ſubjugatum; quando à Chalifa Muavia miſſus Jezîd filius, futurus ſucceſſor, cum ingenti exercitu, tranſita per longum Aſia minori, fruſtra tentaſſet Conſtantinopolim: quippe in Syriam rediens Amorium cepit, & militum 5000. præſidio munivit. At ſequentis hyemis commoditate uſus Imperatoris Conſtantis cubicularius nocte invaſit urbem, & milites ad unum omnes occidione delevit. Super Ammoriæ latitudine variant Scriptores; cum Alfragano, qui climati quarto eam adjungit, Jacutus aliique faciunt, tribuentes 38. grad. abſque vel cum aliquot minutis: Climati quinto eandem ſubjicit Geogr. Nub. cum Ptol. qui grad. 40. cum quadrante aſſignat. Abu-lfeda autem ad clima VI. refert, licet non majorem, quam 43. grad. latitudinem alleget, cum tamen initium Climatis ſexti exigat gradus 43½: ita ut, quod deſit, ſua videatur opinione Abulfeda ſuppleviſſe. Sed frequens plus ſatis in hiſce occurrit Auctorum diſſenſio.

Lin. 4. لاذقية *Laodicea*] Arabibus pro ſuo effandi more *Ladikiâ*. Quatuor hoc nomine urbes Stephanus recenſet: de quibus illa, quam Mediæ eſſe inquit, nunc prætermiſſa, cum ad rem præſentem non faciat, reli-

reliquarum unam Syriæ sive Cœlesyriæ adscribit, alteram Lycaoniæ, tertiam Phrygiæ. Quæ quidem omnes præsenti accommodari possent expositioni. Neque enim dubitandum de prima, utpote inter Tripolim & Antiochiam sita; Straboni Laodicea ad Libanum dicta, urbs maritima, amplo portu gaudens, ut Abulfeda refert, &, uti Jacutus, ante se habens castellum بلاطنس quod est *Platanus* Antonini. Hæc à Laodice, Seleuci Nicatoris matre nomen accepit. Secunda Galatiæ est, & à Ptolemæo ac Strabone cognominatur Καταχεκαυμένη *Combusta*, procul dubio quia terræ motum cum erumpente igne conjunctum quondam fuerit perpessa: de quo genere ejusque causa egregie disserit Strabo l. XII. circa finem. Quale quid etiam haud ita pridem, scil. anni hujus 1667. sexto Aprilis accidit antiquæ & celeberrimæ in Dalmatiæ littore civitati Ragusæ, quæ creditur Ptolemæi esse Epidaurus, (nisi hæc Ragusa vetus sit, decem mill. ab hodierna ad austrum in littore dissita) Sclavonicæ linguæ ibidem usitatæ vocabulo دوبرو بنادك *Dobro Benadic.* i.e. *bona sive pacata Venetia* Turcis dicta, postquam pendendo quotannis tributo se submisit. Tertia Laodicea Phrygiæ seu Lyciæ est, quæ Laodicea (vicinæ gentes hanc Laudikìa seu Lasdikìa potius dicunt) super Lyco fluv. vocata, urbiumque ibi omnium olim maxima fuit, opus Antiochi fil. Stratonicæ, cujus uxor nomen Laodice erat, ut Stephanus tradit. Apud Ptolemæum latitudo Laodiceæ primæ definitur grad. 33, min. 45; secundæ grad. 39, min. 40; tertiæ grad. 38. min. 40. Juxta quam Ptolemæi mensuram consisteret Laodicea quidem prima paululum infra climatis

hujus quarti initium, ſecunda vero nonnihil ſupra, denique tertia ejuſdem intra climatis terminos juſtos. At cum in quibuſdam aliis locis non tam exacta obſervetur menſuræ ratio, vix video quare duarum urbium dictarum alterutra hinc ſit excludenda: quin ſecundam, quæ videatur maxime diſcrepare, non æque eſſe ſeptentrionalem atque eſt tertia, itinerum experimenta docent. Exiſtimo tamen ab Alfragano hic deſignari non quidem eas omnes; ſed peculiariter unam, quæ tunc temporis apud Muſlimicos cognita, ipſi in propoſitæ recenſionis ſerie occurreret. Inde autem, hoc eſt, ubi jam verſatur Alfraganus, longius remotæ videntur & Laodicea prima & tertia, proximaque eſſe ſecunda. Nam ex Geographo Nubienſi, ubi Clim. V. parte V. viam deſcribit, qua Amorio petenda ſit انطالية *Anthalia* i. e. *Attalia* veterum, in mediterranei maris littore locata, manifeſtum eſt ab Amorio ad لاذقية *Laodiceam* eſſe quatridui iter, & à Laodicea ad قونية *Coniam*, id eſt, *Iconium*, quæ Lycaoniæ eſt metropolis, iter diei unius; Iconium vero Adana diſtat itinere duorum. Ita me quoque proceſſiſſe memini ab urbe Adana ad ارقلة *Aregla*, ut nunc efferunt, i. e. هرقلة i.e. *Heracleam*, itinere d. 1. hinc ad Coniam ſpacio æquali, ſimiliterque hinc ad لاذق *Ladik*, prout Ladikîa, Laodiceam illam hodie Turcæ appellant, terminationem ultimam, uti & alias faciunt, reſecantes. Nunc tantum pagus ſive vicus eſt cum publico diverſorio & xenodochio ſuo, qualia illis خان *Chân* & عمارت *Imarèt* vocantur: in propinquo urbis quondam inſignis ruinæ & rudera ſpectantur. Sunt etiam notæ ibidem thermæ, quæ opinionem

nem confirmant de antiqua, quæ hic olim fuerit, terræ ſubverſione combuſtioni juncta. Equidem merito hæc pro Laodicea Lycaoniæ cenſeri debeat, quæ ejuſdem provinciæ metropoli tam ſit propinqua: neque enim alia exiſtit illic, quæ eodem nomine nuncupatur. Hic medium quaſi viæ eſt, quæ Halebo per Ciliciæ partes Conſtantinopolim ducit. Quæ tamen in Alfragano ſequuntur: *deinde Maris mediterranei ſive Syriaci inſulas, Cyprum & Rhodum tranſit: haud* minus facile perſuaſerint, Laodiceam Syriæ hic intelligi, atque paulo ante ex præcedenti nomine *Amorium*, conjecturam fecimus de Laodicea Galatiæ ſive Combuſta.

Ibid. بحر الشام *Maris mediterranei*] proprie *Syriaci*: à Syriâ ſcilicet petitum hoc nomen tam amplo ſignificatu apud Arabes obtinuit, etiam Jacuti ætate; quia ex hac regione primum adiiſſent hoc mare atque cognoviſſent. Poſtquam deinde frequentatæ quoque ſunt vel direptæ Romanorum ſive Romæorum ditiones proprie dictæ, mare mediternaneum etiam بحر الروم *Mare Romanum* ſive *Romæum* dici cœpit, uti & Abulfedæ tempore vocatum fuit. Præterea tam hæc, quam illa regio magnam valde maris mediterranei partem, pro ſe quæque, ſubcingit terminatque. Alioquin ſicuti peculiares maris ejuſdem partes à terris, quas alluunt, nomina accepere peculiaria apud Græcos & Latinos; ita & hodieque fit apud Arabes & Turcas. Sic & hoc loco mare Syriacum particulariter intelligi poteſt, ad quod duæ ſequentes inſulæ, Cyprus & Rhodus, à quibuſdam ex æquo referuntur, ſcribentibus etiam Rhodum eſſe من ثغور الشام *de limitaneis Syriæ præſidiis.*

 Ibid.

Ibid. قبرس & per ص ult. *Cyprus*] *Kubrus* pronunciant Arabes, & nunc Turcæ plerique *Kibris.* In Maris mediterranei exteriori sive extremo recessu insula magna est, ortum inter & occasum longius se exporrigens; parte occidentali, quæ latior, paulum declinante in austrum. Eam Pamphiliæ, Ciliciæ, Syriæ & Ægypti littora præcingunt: ab insula Creta, Arabibus à Græco nomine Κρήτη seu Κρήτης, pro eorum & sua elocutione, اقريتس & اقريطش *Ikrît* & *Ikrîtis* dicta, in ortum dissita milliaribus 500. sub eodem fere 35. grad. parallelo; nisi quod potiore sui parte magis vergat in austrum. Longitudini quidem ejus tribuit Abulfeda milliaria ducenta (magis exacte alii 225) latitudini autem milliaria sexaginta. Estque illi, ut idem subjicit ذنب رقيق في شرقيها *cauda tenuis in Orientali sua parte* ad septentrionem, in qua promontorium, quod hodie S. Andreæ vocatur, olim Carpasium, aut Clides extrema Ptolemæi dictum, respiciens sinus Issici interiora, ubi urbs Ajâs sive Issus exstat. Inde, aut è propinquo Aphrodisio, inquit Ibn Saîd apud Abulf. الى الكرك من بلاد الارمن نصف مجري *ad Curc* seu *Curic de regione Armenorum* (quo nomine dictam fuisse illo tempore Ciliciam monui) *dimidium cursus*, id est, *dimidia diei navigatio*: Neque dubium videtur, quin Curc extrema Armenorum urbs, ut in marium descriptione testatur Abulf. sit Corycus veterum. Insulæ totius circuitus in libro بحرية العجايب & in Geogr. Nub. statuitur dierum sedecim iter; stadia numerat Strabo libr. XIV, si etiam sinus intrentur, 2420; Thomas Cacchius ex recentiorum fide milliaria paulo amplius 600: quæ omnes sat bene inter se con-

congruunt menſuræ. Sed cum notiſſima hæc ſit inſula, & à duobus proximè laudatis auctoribus accurate deſcripta, ab Anton. uti & Magino poſteriorem ſecuto, pauca duntaxat ab Arabibus & Turcis accepta hic apponam, ſimul & exponam. Illi quinque tantum, quod ſciam, memorant ejus urbes, novis fere omnes nominibus inſignitas: Plin. lib. v. cap. 31. quindecim recenſet. Ita apud Geogr. Nub. clim. IV. parte V. hæ tres occurrunt, كربنية *Kerebnîa* ſeu *Kerabnia*, لفقسية *Lefkosîa* ſeu *Liſkosîa*, & النمسون *Elinmesòn*, ſeu potius, quia videtur redundare Alif, *Linmisòn*: quarum prima, in ſeptentrione ſitum habens, eſt veterum *Ceraunia*, permutari facile ſolitis B, F, & V. litteris; hodie *Cerines* dicitur: ſecunda, in penitiori inſulæ parte, eadem, quæ recentioribus Græcis & Italis *Nicoſia* & *Licoſia* eſt, metropolis antehac ſede regia & Archiepiſcopali præ cæteris eminens, prioribus ævis λευτεῶν vocata: tertia denique in auſtrali inſulæ parte exiſtens, non alia eſt, quam quæ hodieque Limiſſo & Limiſſol nomen habet; iſtic loci ſita, ubi Ptolemæi Amathus fuit, quam totius Inſulæ eſſe antiquiſſimam Stephanus ſcribit. Alibi etiam duæ aliæ celebrantur, quarum una in occaſu inſulæ eſt, altera in ortu: illa quidem بافة ſeu بافا *Baſa* nominatur, nautis *Baſſa* & *Baſſo*, quæ *Taphus* veterum, nova ſcilicet; fuit enim illis & antiqua, uti ex Ptolemæo & aliis liquet: altera in ortu ſita eſt, nomine منقوسة *Mankouſa*, quæ, pro annalium indiciis ipſa eſt præcedentibus & præſenti ſæculo nominata *Famaguſta*: (quaſi Fama Auguſti) unde per aphæreſin illud *Mancouſa* ſeu *Mangûſa* nomen (nam & K Arabibus aliiſ-

aliisque sæpe ut G effertur) prorsus effictum videtur, ut ita contrarium quid ac Famagusta Arabice notaret. In hanc ex Antiochia, Laodicea, Tripoli & vicinis Syriæ locis fit in Cyprum trajectus, ita uti quondam in urbem Salamina, quæ & Constantia vocata, unde forte Famagustæ nomen, fieri solebat. Est quippe ibi portus commodissimus, & quidem hodie insulæ totius unicus; quanquam & tria reliqua oppida, ante dicta, ad septentrionem, occasum, & austrum in littore exstantia, tutam quodque præbeant navibus stationem: minus recte Famagusta hæc quibusdam creditur esse Ptolemæi Tamassus, quippe quam ipse tradat mediterraneam esse. Inter Famagustam & Limisso occurrit ملوحة *melouha*, *salinarum locus*, sua etiam navium statione præditus; ab utroque illo ad austrum loco frequens etiam fit in Syriam transvectio: non tam vero oppidum quam exiguus vicus est prope quem salinæ sunt. Quemadmodum hic salis purissimi copia colligitur; ita aliis in locis uberrimus est frumenti, leguminum, fructuum, olerum, olei, vini, gossipii, esset &, si vellent, qui olim fuit, sacchari, proventus: metallorum insuper, & diversarum specierum eo pertinentium, (ut ex Diosc. libr. v. constat) divites venæ. Earum rerum quidlibet fere, laudandæ præstantiæ ergo, Cyprium denominatur. Quin hoc nomine aviculæ, nempe Cypriæ, aceto conditæ, ut rarum quid & singulare, exportantur in Italiam, & alio ad delicias mensarum. Id genus تيانة *Tyâna* dicitur, à ficu, uti Latinis *Ficedulæ*, Græcis συκαλίδες, & Italis Beccafigi: nam in ficus & uvas turmatim involant; ita quoque capiuntur illo saginatæ exquisito pastu.

ſtu. Cyprus planta à Dioſc. libr. 1. cap. 124. deſcripta, Arabibus حناء *Hinnâ*, vulgo cum Articulo *Alhanna* dicta, cujus expetuntur, ob ſuaveolentiam quidem, candidi & muſcoſi flores, folia autem ad tingendos colore fulvo capillos, & rubeo ungues, quem morem gratiæ & ornatui deputant mulieres Orientis, in hac inſula ita vegeta aſſurgit, ſicut de Aſcalone Syriæ & Canopo Ægypti prædicat Dioſc. utque hodie Beryti in Palæſtina, & بلبيس *Bilbeiſi* i.e. Bybli in Ægypto ſpectatur, ut Stephanus exiſtimarit, ipſam ab hac Cypro herba Inſulam idem ſuum accepiſſe nomen: at vero ſimilius videatur forte contrarium eſſe. Cæterum in plures inſula hæc quondam ditiones diviſa fuit, quarum ſua quæque urbs peculiarem habuerit tyrannum, ut Strabo inquit, ſive regulum Satrapamve; quam ſicut illis eripuit Ptolemæus Lagus, primus Macedonum Ægypti Dominus; ita Ptolemæo ultimo, Cleopatræ patruo, ademerunt Romani. Ab hiſce ad Imperatores Conſtantinopolitanos devoluta, ab Arabibus haud ſemel occupata fuit; ſicuti A.H. 26 à Muavia, Syriæ tunc præfecto, qui poſt Chalifa evaſit, inſtructa, ut Græci ſcribunt, 1700 navium claſſe, & A. H. 290 auſpiciis Raxîdi Chalifa: ſed recuperata ſemper à Græcis, & ab iis ſervata fuit. Qui autem in eam ab Imperatoribus miſſi erant præfecti, paulatim ſuo dominio, ducum nomina vindicaverunt, donec poſt captam à Saladino Hieroſolymam, Richardus Britanniæ Rex exercitum in terram ſanctam ducens, ob acceptam ab Iſaaco Commeno Cypri duce injuriam A.C. 1180 inſulam ſuo imperio ſubjecit. Is poſt captam à ſe Ptolemaida Cypri regiam Templariis

venditam, & ob eorum vitia retractam, Guidonio Lusignano Ierosolymæ Regi, facta titulorum commutatione concessit. E cujus familia tandem per affinitatem cum Marci Cornari patricii Veneti familia contractam, in Reip. Venetæ potestatem venit A. C. 1489. At annis uno & nonaginta post, id est, A. H. 978. missus à Selimo II. Turcarum Rege Cara Mustafa Vezirus cum potentissimo exercitu, quem ex Ciliciæ & Syriæ vicinis partibus transvexit, insulam invasit, regiamque urbem Nicosiam, quam Turcæ لفقوشم & لوكوشم *Leflouxa* & *Leukouxa* in suis scriptis nuncupant, 45 dierum spacio expugnat; captisque aliis locis & castellis Famagustam præ cæteris omnibus maxime munitam aggressus post plurium mensium (18 inde ab initio numerant Turcæ) obsidionem, & urbe hac & tota insula potitus fuit. Promissa quidem incolis à Veziro salute dedita fuit, sed longæ obsidionis molestiis irritati milites, ut causabantur, quoscunque prehendere poterant, internecione ferociter atque injustissime mulctarunt.

INDEX

INDEX

RERVM & VERBORVM

in Notas super

ALFERGANVM.

Annum

B.

Char-

D.

E.

F.

G.

Giem-

I.

Iudæo-

M.

Men-

N.

O.

P.

Selen-

V.

X.

Sphalmata Typographica corrigenda.
In Elementis Alfergani.

Pag.	5.	*Lin.*	20.	*pro*	tepmus	*lege*	tempus
	8.		21.		supter		subter
	17.		7.		austriali		australi
	30		18.		terra in		in terra
	33.		11.		hora		horæ
	44.		1.		munitissimæ		minutissimæ.

In Notis, si qua forte errata occurrerint, ea, uti non nisi levia fore speramus, ita Lectori Benev. pro discretione emendanda relinquimus; paginarum duntaxat numeri nonnulli ut restituantur, monentes. Videlicet post pag. 133. & 229. Tum à pag. 256. ad 275. omnes quidem intercepti numeri mutandi forent: sed cum erroris nexus serò deprehensus sit, tantummodo duos hosce numeros, 273. 274. sicubi in hos inciderit index, repetitò occurrere, notari poterit.

FINIS.